



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

COLUMBIA LIBRARIES OFFSITE



CU53255119

211;B85

Theses theologicae d

Ex auctore Baumgarten. Causa.

Dr. Wilibald Gram.

1844.

l

004

211

B85

Columbia University
in the City of New York
Library




Special Fund

1898

Given anonymously



IOAN. FRANCISCI BVDDEI
THEOL. D. ET P.P. O.
THESES THEOLOGICAE
DE
A T H E I S M O
ET
SUPERSTITIONE
VARIIS OBSERVATIONIBVS
ILLVSTRATAE
ET
IN VSVM RECITATIONVM
ACADEMICARVM
EDITAE.



I E N A E
apud IOAN. FELIC. BIELCKIVM
M DCC XVII.

ARBITRATION
AND
ADJUDICATION
OF
LABOUR DISPUTES
BY
THE
INDIAN
LABOUR ACT

THE
INDIAN
LABOUR ACT

THE
INDIAN
LABOUR ACT



THE
INDIAN
LABOUR ACT

Dec. 24 apr. '99

ILLVSTRISSIMO COMITI AC

DOMINO

DOMINO

ERDMANNO

SACRI ROMANI IMPERII COMITI DE
PROMNITZ, LIBERO DYNASTAE IN
PLESSE, SORAV, TRIEBEL, NAVM-
BURG ET KLITSCHDORFF, HEREDI-
TARIO DOMINO IN HALBAV, KVNAY

ET BVRE, RELIQA,

DOMINO SVO LONGE

GRATIOSISSIMO

APR 14 1899 Harvard Univ. Lib. 24

255642

ILLVSTRISSIME COMES,

DE L'UNIVERSITE DE PARIS

DOMINE GRATIOSISSIME,

O M M O O

O M M O O

DE L'UNIVERSITE DE PARIS

DE L'UNIVERSITE DE PARIS

Cum praeteriti tempo-
ris rationes in me-
moriam mihi reuo-
co, inter reliqua vitae, inter
labores academicos maxi-
mam partem transactae,
gesta, nihil quod iucundius
mihi sit, aut maiori me vo-
luptate perfundat, temere

occurrit, quam quod tibi
 quoque, DOMINE GRATIOSI-
 SSSIME, visum fuerit, cum in
 academia Hallensi, littera-
 rum studiis, magna cum
 laude, immo cum admi-
 ratione maxima eorum
 omnium, quibus paulo pro-
 prius TE intueri, continge-
 bat, incumberes, mea quo-
 que institutione uti. Eam
 namque philosophiae par-
 tem, quae corrigere & e-
 mendare mentem, & ad
 praeclara quaevis atque
 egregia instruere docet, a
 me TIBI explicari tradiue
 a 3 volui-

voluisti; quae, vt nobilissi-
 ma omnium, longeque
 praestantissima est, ita sum-
 mam istam, in qua per pro-
 sapiam illustrissimam Deus
 TE collocavit, vel maxime
 decet fortunam. Neque
 promte tantum alacriter-
 que eo tempore, quae tra-
 debantur, capiebas, retine-
 basque firmiter, sed cum sa-
 lutaribus insuper doctrinis,
 quas scriptura sacra conti-
 net, ad sublimia & coelestia
 nos erudiens, animum im-
 bueres, indeque verae ac
 non fucatae pietatis semina
 menti

menti generosissimae infir-
 meres, fieri aliter non pote-
 rat, quin ista virtutis, qua
 inter omnes, quos nascenti
 di conditio, generisque
 sublimitas, tibi aequales fe-
 cit, emines, imago, in te ex-
 splendesceret. In tuas, enim
 vero, illusterrime comes,
 excurrere laudes, animus
 non est. Etsi enim nihil,
 quam quod verissimum sit,
 dici posset, non magis ta-
 men eos, qui hoc faciunt,
 tibi placere scio, quam id
 eos decet, qui ad christia-
 nae doctrinae regulam, vi-
 tam

tam suam inoresque com-
 ponere, suarum ducunt esse
 partium. Summi potius
 benignissimi que Numinis
 gratiam atque fauorem sin-
 gularem, deuota mente
 celebramus, tam largiter
 quod suas in TE contulerit
 dotes, ut nihil TIBI prius, ni-
 hilque antiquius sit, quam
 mentem a seculi contagio
 puram & illibatam seruare,
 amoremque erga serua-
 torem nostrum sincerum
 non verbis tantum, sed
 factis demonstrare, omnia
 denique agere, quae ad
 diuini

diuini Numinis gloriam
 propagandam ac ampli-
 ficandam, facere aliquid vi-
 dentur. Ego vero, vt ob
 istam felicitatem Tuam
 gaudio maximo perfun-
 dor, ita & hoc nomine bea-
 tum me iudico, quod meae
 qualiscunque institutionis
 adeo non fueris immemor,
 vt subinde fauoris Tui sum-
 mi, gratiaeque, documen-
 tum erga me extare volue-
 ris. Immo cum nuper in
 nostra vrbe praesens esses,
 non tantum facultatem te
 ad eundem, **ITCVMQVE** collo-
 que
 a 5 quen-

faciunt, ingredi debent,
 qui suis rite consultum re-
 bus cupiunt. Atheismi
 nimirum seu impietatis,
 dum solide, vt puto, de-
 struxi fundamenta, christi-
 anae simul religionis, quae
 sola nos beatos reddit, &
 ab omni miseria liberat, ad-
 struxi veritatem. Super-
 stitionem autem, alterum
 illud, nec minus noxium,
 dum reieci monstrum, lu-
 culenter ostendi, ritus, &
 ceremonias, & externa
 quaeuis, parum prodesse,
 nisi corde per fidem in
 Chri-

Christum a peccatorum
 fordibus purgato, Deum
 colamus. Quae dum co-
 piose edisserui, de maxi-
 mi momenti rebus, praeci-
 puisque quibusdam sacrae
 doctrinae capitibus, verba
 mihi facienda fuere. Quod
 quidem argumentum, ut
 haud dubio TIBI, DOMINE
 GRATIOSISSIME, longe erit
 gratissimum, ita, licet ipsa
 tractatio nihil eximii con-
 tineat, solum tamen effice-
 ret, quo minus non pror-
 sus indignus liber hicce
 censeretur, qui in Tuum
 prodeat

prodeat conspectum. Non
 ergo, quae TVA est cle-
 mentia & gratia singularis,
 aegre TE laturum confido,
 eum quod ILLUSTRISSIMO
 NOMINI TVO sacrum esse ius-
 ferim; immo qua omnes
 homines soles, ac me ipsum
 quoque haud semel acce-
 pisti, humanitate, & hunc
 libellum TE accepturum,
 prorsus mihi persuadeo;
 idque vt facias, ea qua de-
 cet animi obseruantia a TE
 peto, atque contendo. Hoc
 vero si impetrauero, voti
 mei me damnatum cense-
 bo;

bo; qui, & quod mearum
 omnino partium esse existi-
 mo, praepotentem Deum
 nunquam venerari desi-
 nam, vt TE, ILLVSTRIS-
 COMES, omni felicitatis ge-
 nere auctum cumulate ac
 locupletatum, rebus mor-
 talium, sed ad aeterna sem-
 per & immortalia adspiran-
 tem, quam diutissime inter-
 esse iubeat, tandemque cur-
 su huius vitae ex voto per-
 acto, in beatorum sedes
 translatum, coetui ob ho-
 stes seruatoris nostri forti-
 ter deuictos, triumphanti,
 adiun-

adiungat. Haec votorum,
haec precum summa est,
quas nunquam non pro
TVA salute fundet

TVVS

ILLVSTRISSIME COMES

DOMINE GRATIOSISSIME

deuotissimus subiectissimus

musique

XXVII. IAN.

M. DCC. XVI.

IO. FRANCISCVS DVODEVVS

ADLO-

ADLOCVTIO AVCTORIS

AD

AVDITORES SVOS.

Quod academiae nostrae leges iubent, & res ipsa postulat, vt ad diuinatum litterarum intelligentiam sedulo & omni cura perducantur, qui docentium munere aliquando rite in ecclesia fungi cupiunt, id a me quoque haud perfunctorie hactenus obseruatum esse, nemini vestrum, iuuenes optimi, ignotum esse potest. Neque enim tantum in iis, quas priuato studio suscepi, recitationibus, id egi, vt ad veteris testamenti libros recte intelligendos viam vobis munitem, sed in publicis quoque, eandem operam in noui federis codicibus plenisque, non sine insigni, vt credo, quod

b

ad

ad plures inde redundauit, emolumento, collocaui. Primo enim cum ante undecim, & quod excedit, annos, in hanc academiam concederem, *Ioannis*, apostoli & euangelistae sanctissimi, *euangelium* enarraui, ita quidem, ut nihil, quod difficile aut obscurum videri poterat, praetermitterem, cuncta vero ad fidei atque vitae usum transferrem. Deinde *acta apostolorum* eadem ratione explicauit, & hisce *introductionem ad epistolas Paulinas* subieci, in qua & vitam resque gestas Pauli, & dicendi, quo usus est, genus, occasionem praeterea & argumentum singularum, quae eum auctorem agnoscunt, epistolarum, edisserui, nec quidquam eorum, quae lucem paulo obscurius dictis affundere poterant, praetermisi. Tum vero *harmoniam* quatuor *euangelistarum* tradere aggressus sum, ut ipsa simul

corum

eorum verba commentario illustrarem. Quod quidem & arduum admodum, & ob amplitudinem difficile videbatur opus; sed per Dei tamen gratiam, propitiumque fauorem, suffragante auditorum constantia, animumque addente, & hoc feliciter ad finem perduxi. Iam animus erat, ad *acta* iterum *apostolorum*, & tum porro ad *epistolas*, tum Pauli, tum reliquorum apostolorum progredi, cum vestra, commilitiones, vtilitas, nostrique seculi ratio suadebat, ab isto paulisper deflectere tramite, viamque mediam, quam homines inter atheismum & superstitionem tenere debeant, monstrare; eo vero cum defunctus labore essem, si vitam porro viresque Deus concederet, ad sacri codicis interpretationem redire.

Istius vero consilii non leues me habuisse rationes, vt ipsimet facile in-

telligitis, ita, ne praecipuae earum aut vos, aut quenquam alium lateant, efficere, id quidem mearum duco esse partium. Enimvero si quis nostri seculi conditionem paulo accuratius contempletur, nihil aequae ecclesiae doctoribus necessarium esse statim perspiciet, quam ut serpens indies latius atheismi venenum detegant, & tela habeant in promptu, quibus monstrum hoc conficere queant. Non equidem mihi persuadeo, tantum eorum esse numerum, qui animum ad negandam diserte Numinis existentiam satis obfirmatum habent, quantum eum nonnulli faciunt; at opinionibus ad atheismum ducentibus scatere orbem, qui christianus vocatur, quibus si vel maxime ad supremum stultitiae gradum non perducantur, quod tamen aliquando fieri potest, a recto tamen & genuino salutis tramite abducti,

ducti, aeternam perniciem sibi attrahant, negari nequit. Sane id haud difficulter eiusmodi opinionibus, quae sub speciosa libertatis sentiendi forma multis abblandiuntur, nec pauciores decipiunt, infernalis obtinet genius; ut, si non Numinis extinguere sensum omnem, quamuis frustra & irrito conatu, annitantur, dogmata tamen ista, quibus omnis religio Numinisque cultus, ceu fulcris innititur, in dubium vocantes, aut pro non satis certis reputantes, tepidi in cultu diuino fiant, hinc cupiditatibus prauis laxent habenas, & ita tandem agantur in praeceps. Cumque vera religio hominibus quandoque vel hoc nomine molesta admodum videatur, quod prauis cupiditatibus frenum iniiciat, legumque diuinarum proteruis contemtoribus incutiat terrorem, mirum non est, pronis hinc inde auribus ex-

cipi opiniones ad securitatem carnalem ducentes, impunitatemque agendi quidlibet, ut miseri quidem isti sibi persuadent, concedentes, simulque a metu, quo tantopere excruciabantur, eos liberantes. Utinam vero inter ipsos sapientiae & litterarum alumnos, qui in scholis & academiis educantur, non reperiantur, qui eodem morbo laborantes, eadem quoque opus habeant medicina! Reperiri vero experientia docet, eoque dolendum magis, quo grauiora ab eiusmodi hominibus, nisi tempestiue in rectam viam reducantur, & ecclesiae & reipublicae imminet pericula. Quodsi etiam initio forte pauci sint, qui eo usque progrediantur, mox tamen commercio suo venenum istud latius diffundunt, pluresque in partes trahunt, damnumque societatibus litteratis adferunt, simulque orbi vniuerso, quod
 non

non temere refarciri queat. Hic, qui doctores academicos rem superuacaneam agere putant, si foeditatem atheismi demonstrent, & impietatis istius fundamenta euertant penitus, & semina eius, quae hinc inde sparsa sunt, ex animis tenerrimis iuuenum euellere & eradicare annitantur, nae! eos, quodnam veri doctoris officium sit, ignorare prorsus oportet.

Sed esto, non dari in scholis & academiis, quorum animos venenum istud adflauerit, (quanquam optandam magis, quam sperandam hanc felicitatem existimem,) praemunienditamen sunt iuuenum animi, ne ex academiis discedentes, & peregrina, quod haud raro fieri solet, ora lustrantes, hominibusque nullius religionis, admixti, impiis, qui in colloquiis & commerciis quotidianis spargi solent, erroribus locum relinquunt, seque

b 4

exem.

exemplis in devia quaestis ac praecipitia abripi patiantur. Accedit denique ad haec omnia, quod illi, qui in academiis instituuntur, publicis aliquando praefecti muneribus, inter eos, quos ceu gregem sibi concreditum pascere debent, homines varios, non vno morbi genere laborantes, & haec quoque atheismi peste infectos, deprehendant; quos vt ad sanam erectius reuocent mentem; rationes profecto, quibus erroris conuinci possint, & quo pacto argumenta, quibus propugnare impia dogmata solent, infringere & labefactare debeant, ignorare eos non decet.

Haec vero omnia, & quae reliqua sunt eiusdem generis, si rite ponderaueritis, vos mecum consensuros existimo, non negligendas esse in recitationibus academicis, nec perfunctorie tractandas eas quaestiones, quibus
atheis-

atheismus profternitur, & errores cum eo connexi folide refutantur. Attingi sane quaedam huius generis, in compendiis & ſystematibus theologicis, iisque recitationibus, quibus aut thetica aut polemica theologia explicatur, ſolent. Sed in tanta rerum, quas haec complectitur, grauiffimarum multitudine, fieri vix poteſt, vt vnicum hocce de atheismo, dogmatibusque cum eo connexis, caput, tam operoſe, tamque prolixè tractetur, prout & rei dignitas grauitasque, & lectorum aut auditorum vtilitas, aut noſtri ſeculi conditio, id requirit. Accedit, quod plerique, reuelatae theologiae fundamenta tradentes, ea, quae ad naturalem ſpectant, adeoque & doctrinam de exiſtentia Dei iam ſupponant; & haecenus quidem non ſine ratione, quod abſonum eſſet, ſi ad reliqua dogmata, quae de voluntate & operibus diuinis nos eru-

diunt, haurienda, accederent, qui aut
 ignorarent, Deum esse, aut hac de re
 dubitarent, vel omnino prae fracte ne-
 garent. Soleo quidem & ipse, uti ple-
 risque vestrum notum est, quoties the-
 ticam polemicamque theologiam vo-
 bis trado, ea, quae ad atheismum &
 dogmata connexa pertinent, haud in-
 diligenter explicare; lubens tamen fa-
 teor, multa me semper ob rerum alia-
 rum copiam, temporisque penuriam,
 praetermittere, quae tamen vobis scitu
 & utilia & necessaria esse existimo.
 Quod cum saepius mecum voluerem,
 in eam tandem ingressus sum senten-
 tiam, non rectius rebus vestris me
 consulere posse, quam si aliquando in
 publicis recitationibus hoc argumen-
 tum ex instituto, & prout eius dignitas
 grauitasque postulat, pertractarem.
 Ut autem eo commodius hoc fieret,
 vosque labore nimis multa calamo
 excipi-

excipiendi subleuarem, praecipua huius tractationis capita thesibus succinctis comprehensa, & variis obseruationibus illustrata, typis tradere mecum constitui, quas etiam nunc publicae luci expositas videtis. Librorum sane, quibus atheismus refutatur & prosternitur penitus, haud exiguus est numerus; in quorum etiam praecipuis nec robur, aut neruum argumentorum, quibus veritas adstruitur, nec ingenii acumen, in nebulis illis dispellendis, quas luci clarissimae offundit impius error, nec reliqua, quae ad causam hanc perorandam faciunt, requiras. Praeterquam vero, quod de omnibus hoc dici nequeat, inter eos etiam, qui suum in hoc genere locum tuentur, nullum, qui meo prorsus accommodatus esset instituto, inuenire potui. Animus nimirum erat, vno velut, sed succincto, systemate, omnia, quae de hoc

hoc argumento dici poterant; complecti, & dogmata cum atheismo connexa, sed diuersa tamen ab eo, rite quidem discernere, nec tamen praetermittere; cum primis etiam controuersias recentissimas huc spectantes simul attingere. Qua quidem ratione qui argumentum hocce pertractauerit, mihi nemo innotuit. Quamobrem, ut ne utiquam tam mihi suffenus sum, ut praestantius, aut subtilius quid a me adferri posse existimem, quam iam ab iis adlatum est, qui magna cum ingenii aut doctrinae laude in hocce argumento sunt versati; ita aequos tamen atque cordatos rerum existimatores id mihi duros, mihi persuadeo, non prorsus superuacaneum hunc laborem censendum, illis saltem cum inseruire, qui sanis iustisque principiis imbuendi sunt, quibus eos insistere decet, qui aliquando rite prodire in aciem contra
 diuinae

diuinae veritatis hostes, & feliciter contra eos pugnare cupiunt.

Eam praeterea secutus sum tractandi rationem, quam res ipsa postulabat; quaeue, vt naturalis, minimeque coacta est, ita ne aut superfluis laboraret, aut necessaria deessent, operam dedi. Dum vero celebrem quaestionem, an dentur athei? primo statim loco attigi, historiam atheismi paulo plenius pertexere, deque iis, qui aut vero, aut falso, atheismi accusati sunt, verba facere operae duxi pretium. Nec enim sine ratione, aut causa grauiissima, hoc a me factum existimo. Primo namque eos, quos ceu hostes aggredi animus est, paulo accuratius nosse, admodum conducit; quemadmodum & quo quisque habendus loco sit, nos scire oportet, vt aciem rite instruamus, neue Andabatarum pugnemus more. Sane non tantum
 se

se ipsos, sed saepe etiam causam, quam defendendam susceperunt, aliorum ludibrio exponunt, qui magnos contra atheismum clamores tollunt, & ipsi tamen, quinam athei sint, aut quid doceant, nesciunt, aut viros omnino innocentes in atheorum numerum referunt. Praeterea, dum de iis, qui iure atheismi accusantur, exposui, simul operam dedi, ut integrum illorum systema paucis & in compendio exhiberem. Ita enim cuncta atheorum fundamenta in apricum produxi, eo facilius deinceps euertenda, & simul eorum fraudes detexi. Occasio hinc mihi simul suppeditata est, de Graecorum philosophis mentem meam aperiendi, eorundemque edisserendi sententiam; quam eo minus praetermittere visum fuit, quod videam, viros doctissimos hac in re laborare, nec usque quaque inter se consentire.

PE-
TRVS

TRVS namque BAELIVS ita censuit, & subinde operose docuit, veterum philosophorum, si non omnium, certe plerorumque systemata aut prorsus cum Spinozismo consentire, aut ad eum ducere, adeoque eos in atheorum referendos esse numerum. Quae cum in plurimis, minime contemnendis rationibus mihi niti videretur sententia, eandem propugnare non dubitavi, in dissertatione de *Spinozismo ante Spinozam*, quae in *analectis historiae philosophicae* recusa prostat. Nec alios quoque viros ingenio & doctrina florentes ab ea alienos esse, notum est. Fuerunt tamen rursus, quibus durum nimis visum, tot philosophos, eos praesertim, quorum tanta inter ipsos christianos fuit, aut adhuc est, auctoritas, atheorum ordini adscribere, vnde illorum in se suscipere patrocinium non dubitarunt. Fecit id cum pri-
mis

mis peculiari eaque elegantissima dis-
 fertatione de *atheismi falso suspectis*,
 vir doctissimus, & cuius singularia in
 rem litterariam merita nemo ignorat,
 IOANNES CHRISTOPHORVS WOLFIVS,
 gymnasii, quod Hamburgi floret,
 professor longe dignissimus, celeberrimusque; quem & lucem subinde sin-
 gularem argumento huic adfudisse,
 non temere quis inficiatus fuerit. Pro
 illorum equidem rursus sententia, qui
 antiquis philosophis atheismi crimen
 impingunt, IO. HENRICVM FOPPIVM,
 virum clarissimum, in aciem pro-
 diisse, & duas iam dissertationes, de
*atheismo philosophorum gentilium cele-
 briorum*, reliquarum, quas pollicitus
 est, prodromos, in lucem emisisse, ac-
 cepti; nec tamen ipsas istas dissertatio-
 nes videre mihi contigit. Sed pro de-
 fensione rursus philosophorum disser-
 tatio de *gentilium philosophis, atheismi
 falso*

falso suspectis, Bremæ hoc ipso anno
M DCC XVI sub præsidio viri clarissimi,
doctissimique, IACOBI HASÆI, moralis
philosophiæ in Bremensium athenæo
professoris celeberrimi, lucem adspe-
xit publicam. Quæ quidem præ-
stantium doctissimorumque virorum
erudita, sed amica certamina, cum
mihi occasionem de re ista iterum cog-
itandi præberent, mox apprehendi
facillime cuncta expediri, & quæ se
offerre videntur, difficultates superari
posse, si modo diuersi atheismi gradus
rite obseruentur, & a se inuicem dis-
cernantur. Idque in hac ipsa a me
ostensum est commentatione, vbi sta-
tim ab initio monui, posse duas atheo-
rum classes constitui, ad quarum
ynam qui referuntur, *atheï primi or-
dinis*, dicantur, qui ad alteram, *secundi
ordinis*. Prioris generis illi sunt, qui
aut diserte & citra ambages, se nullum
Deum



Deum credere, profitentur, aut systema-
tis sui, ex quo hoc directe fluit, conse-
quentias rite perspectas cognitasque ha-
bent. Posterioris generis illi sunt, qui e-
iusmodi philosophiae systema constitu-
unt, quod, si non directe, saltem per con-
sequentiam quandam, aut a creatione ac
gubernatione mundi Deum remouet,
aut eum omni libertate priuat, vel omni-
no cum natura ipsa confundit, adeoque
reuera Deum prorsus tollit, etsi ipsi syste-
matis istius auctores consequentias istas
forte non videant, aut etiam non admit-
tant. Epicuracos, ceterosque, qui diserte
providentiam Dei impugnabant, vel
etiam palam, Deum esse, negabant,
quorum nonnullos in ipsa tractatione
commemoravi, inter primi ordinis
atheos referendos esse, nemo negaue-
rit. Aristotelem, Stoicos, aliosque,
qui Deum cum materia arctissimo
vinculo colligantes, omni libertate pri-
uabant,

uabant, vel omnino cum materia confundebant, cum ea, quae ex hac sententia fluebant, non satis perspexisse videantur, ad secundi ordinis atheos retulerim. Non aequè Benedictum de Spinoza, qui quidem omnia, quae ex systemate eius sequi poterant, accuratissime perspecta & explorata habuit, & data opera, summaque & calliditate & malitia, cuncta ita instruxit, ut non alius, quam natura ipsa, Deus admitteretur, primum ideo praecipuumque locum inter atheorum pessimos merito sibi vindicans. Atque haec si obseruentur, primo quidem auctoritati & dignitati veterum philosophorum, quos ob ingenium & eruditionem merito maximi facimus, ita consulatur, ut veritati simul locus relinquatur, nec alia istis tribuatur sententia, quam reuera habuerunt, nec, quae inde per pronam consequentiam fluunt, dis-

Simulantur. Deinde, ipsimet sectam
 philosophi praestantissimi haud diffi-
 culter conciliabuntur, qui interdum
 tam praecclare de Deo rebusque diui-
 nis, de virtute, de ratione colendi
 Deum, loquuntur, ut rectam eos de
 his omnibus tenuisse sententiam, vel
 iureiurando confirmares; alibi rursus
 eiusmodi principia ponunt, quae prio-
 ra effata euertunt penitus, & aut directe
 aut per ambages ad atheismum, hoc
 est summam & impietatem & stul-
 ticiam ducunt. Infra nimirum illa &
 tam alte cordibus mortalium infixam
 summi Numinis notitia, subinde
 vim suam in illorum animis sese
 exerebat, vnde effata ista praecclara
 & veritati testimonium perhibentia.
 Dum vero rursus rerum omnium in-
 uestigare principia, & rationis, imbe-
 cillitatis eius immemores, ambitu
 cuncta complecti volebant, in praeci-
 pida

plura varia dati, talia asserbant, quae in supremum Numen erant iniuria. Quod ipsum miserimam gentilium, immo eorum omnium, qui reuelationis lumine sunt destituti, conditionem, reuocare nobis in memoriam debet, ut nostram rite inde aestimare, gratoque agnoscere discamus animo, felicitatem. Sibi ipsis enim contradicentes, & pugnantia secum asserentes, ostendebant satis, se nihil, cui firmo inniterentur talo, inuenisse. Idque cum praestantissimis philosophorum contigerit, quid de reliquis, qui ingenii acumine his multum cedebant, dicemus? Atheis denique hac ratione promte obuiam iri potest, ne, quod cupiunt, philosophorum istorum exemplum in rem suam vertentes, inde, quod causae suae faueat, capiant. Positum namque eiusmodi hominibus in more est, ut mox omnes

ab atheismi suspitione liberando, alios in eam inducant opinionem, nullos omnino dari atheos, vt eo facilius impietatis & ipsi euitent suspitionem; mox atheorum ultra modum numerum augeant, vt & multitudine & auctoritate eorum, quos secum facere aut iactitant, aut tacite subinuunt, alios eo facilius in partes suas pertrahant. Sed vt neutro aliquid efficiant modo, facile caueri potest, modo hic recta mediaque incedamus via, quod & in ipsa a me factum tractatione existimo. Quaedam enim atheorum cum in aprico posita sint exempla; vt exceptionem non admittant, se ipsum traducet turpiter, qui nullos dari atheos asseruerit. Cum vero rursus & illud demonstratum sit, multis perperam atheismi crimen obiectum, numerus eorum, qui in huncce censum referuntur, insigniter

signiter imminuetur. Ad philosophos autem quod attinet, licet nonnulli atheis primi ordinis annumerari queant, pauci tamen illi sunt, & suo exemplo demonstrant, praestantissima etiam ingenia, si caute non incedant, rere in praecipitia, & ad absona quaevis prolabi posse; plerique tamen, si atheismi accusandi sint, athei saltem secundi ordinis erunt, hoc est, qui directe Numinis existentiam non negant, nec manifestissimam illam veritatem, quae omnium animis tam firmiter inhaeret, impugnant; talia autem cum doceant, ex quibus atheismus sequitur, inde id provenit, quod falsas erroneasque de Deo habeant opiniones, & mentis quadam coecitate laborent, qua impediti, nec omnes systematis sui consecutiones perudent, nec quod secum pugnantia quandoque proferant, animadvertunt.



Expedita hunc in modum quæ-
 stione, an dentur athei? quid & quo-
 duplex atheismus sit, edissero, simul-
 que fundamenta cuiusque atheismi
 speciei indico, deinceps *cap. VI.* euer-
 tenda peritus atque destruenda. Dog-
 matici nimirum atheismi, quem a
 sceptico rite discerno, quatuor consti-
 tuti posse classes, ostendo, ut alius sit
 Epicuræus, Stoicus alius, alius Aristo-
 telicus, & Eleaticus denique alius,
 quem recentiori ætate Benedictus de
 Spinoza restauravit. Ad unam enim
 ex hisce classibus atheorum deliria ut
 referantur, necesse est, nisi ipsimet,
 se desipere profus, nullamque imple-
 tatis suæ adferre rationem posse, fa-
 teri velint. Cum vero iuculenter
 ostensum sit, quodcunque ex hisce
 systematibus ab atheis assumatur, id
 aut collabascere sua sponte, aut ad
 euertendam potius, quam stabilien-
 dam

dam illorum impietatem aptius esse,
 sequitur inde, ineptam stolidam-
 que istorum hominum esse impie-
 tatem, omni quippe fundamento
 destitutam. Cum hominibus, qui
 brutorum instar viuunt, & quam
 phaenomenorum, quae in hoc rerum
 vniuerso quotidie se offerunt, ratio-
 nem reddant, parum sunt solliciti, no-
 bis nunc res non est, quippe qui nec
 hominum nomine digni sunt, sed
 cum iis, qui philosophorum sibi vin-
 dicant nomen, adeoque, si istud ueni-
 volunt, eiusmodi eligere systema de-
 bent, per quod vniuersi huius phaen-
 omena rite explicare queant. Quod si
 nullum inueniant, quod cum illorum
 consistere errore possit, explicandisque
 naturae phaenomenis, si Deus orbis
 conditor inde remoueatur, sufficiat,
 victos tandem eos dare manus, si
 modo a pertinacia sua hoc impetrare
 queant,

queant, necesse est. Quae, ut expeditissima atheos conuincendi mihi visa detur ratio, ita, an ab alio eo modo, quo id a me factum, adhibita sit, mihi quidem ignotum esse, libere profiteor. Nec id sine ratione a me factum puto, quod dogmata cum atheismo coniuncta, aut ad eum ducentia, ab ipso atheismo discreuerim. Cum enim nihil solemnius sit, quam ut atheismi postulantur, qui eiusmodi dogmata fouent, alius rursus quouis modo repugnantibus, negantibusque, atheismi statim reos esse, qui talia asserunt, tutissima rectissimaque mihi via visa est, ab atheismo equidem in se spectato ista discernere, sihul tamen, quam arctum cum eo connexa sint vinculo, ostendere. Quemadmodum autem *cap. III.* de auctoribus & fundamentis istorum dogmatum differui, ita *cap. VII.* eadem ex instituto confutau. Ut autem

tem *cap. III.* de causis, proprietatibus & effectibus atheismi quaedam subiungerem, & res ipsa postulauit, & eo etiam lubentius teci, quod contro- uersias quasdam, quae nostra aetate agitantur, attingendi mihi suppedita- retur occasio, an e. gr. atheus vir ho- nestus, virtutisque deditus, esse queat? maiusne ab atheismo, an a superstitione, reipublicae imminet periculum? & quae reliqua sunt eiusdem generis. In probanda Numinis existentia, quod praecipuum causae momentum est, cui *caput V.* destinatum, ita ver- satus sum, ut argumentis non inuisita- tis quidem, solidis tamen, perspicuis, & ad omnium captum accommoda- tis, uterem. Qui enim ingenii, osten- tandi causa a via recepta discedunt, hoc demum obtinent, ut causam opti- mam pessime agentes, atheis vel inu- ti, si modo non interdum data opera, victo-

victoriam tradant. Plenissime autem persuasus sum, rationes hasce ita comparatas esse, vt non possint non quemlibet in veritatis consensum pertrahere, nisi ad neganda manifestissima quaeque animum obfirmauerit ipse.

Cum atheismi refutatione quod doctrinam de superstitione conuinxerim, id non sine causis grauissimis a me factum, quilibet paulo accuratius rem omnem pensans, intelliget. Primo namque ob ipsorum hoc factum est atheorum fallaciam, qui religionem cum superstitione data opera confundentes, contra hanc ita disputant, vt illam simul euertant, caliginem ita imperitorum hominum animis offundentes. Ostendendum itaque fuit, quid superstitio sit, vt omnes maximum illud, quod inter eam & religionem intercedit

cedit, discrimen intelligentes, fraudes istas atque fallacias hominum impiorum eo facilius euitare possint. Deinde plerisque mortalium contingit, ut alterum extremum, quod impietatis est, declinaturi, in alterum, quod superstitionis est, incidant. Certe longe plures superstitionis morbo laborare, quam atheismi, negari nequit; a quo & interdum eo difficilius liberari possunt, quo speciosior est religionis, quo superstitio haud raro regitur, ritulus. Non minus tamen noxia est, immo pro quadam animorum peste habenda; ut in ea, aequae ac impietate eradicanda, & ex animis mortalium euellenda, cordatis ecclesiae doctoribus elaborandum esse existimem. Ita namque etiam vera & regia ad veritatem ac salutem panditur via, quam

quàm religio, purusque ac genuinus
Numinis cultus, medium inter super-
stitionem & impietatem locum te-
nens, exhibet. Nullam etiam hac
ratione aliis conquerendi dabimus oc-
casionem, quod aliquando factum
memini, ac si theologi contra atheos
equidem disputent, ac de superstitione
ex animis hominum euellenda pa-
rum sint solliciti.

Ultimo loco & hoc addere ope-
rae fuerit pretium, nonnulla, quae in
scriptis meis philosophicis breuius aut
obscurius, quam ut statim ab omni-
bus intelligi possint, dicta erant, data
hic commoda occasione, luculentius
explicata esse, ut recte adeo facturi
sint, qui hancce commentationem
scriptis meis philosophicis ceu *sup-
plementum aliquod* sint adiuncturi.
Multa namque etiam ad historiam
philo-

philosophicam, cuius synopsis philosophia instrumentalis continet, nemque ad philosophiam theoreticam spectantia, longe copiosius hic, quam in *elementis* a me editis pertractantur, ne dicam, quod fructus praecipuus philosophiae, maxime theoreticae, qui est creatoris ex operibus creationis agnitio, hic luculentissime exhibeatur, & oculis subiiciatur. Quae autem adhuc addi poterant, ea recitationibus publicis, quibus huncce libellum explicare animus est, reseruavi. Hisce vero ut non tantum frequentes interfitis, sed animum quoque attentum, qualem rei dignitas & argumenti grauitas postulat, vobiscum adferatis, id quidem est, quod a vobis precibus meis contendo. Deum, quod superest, supplex venor, ut tum ad vos, optimi iuuenes,

ntes, tum ad alios quoque lectores
fructus vberimus, amplissimusque,
ex qualicumque labore hocce redun-
det, ut, qui in errore constituti sunt, ab
eo liberati in rectum tramitem redp-
cantur, qui autem veritatem agnoue-
runt, in ea confirmantur corroboran-
tibus, & ad vitam simul doctrinae ve-
ritatis consentaneam, moresque chri-
stiano homine dignos induendos, por-
ducantur. **Menae die xxv. Julii,**

anno M DCC XLVI

10

7

10



Q. D. B. V.

CAP. I

AN DENTVR ATHEI?

VBI ET HISTORIA ATHEISMI SVC-
CINCTE TRADITVR, ET AB EIVS
SVSPICIONE VIRI QUIDAM INNO-
CENTES LIBERAN-
TVR.

Σύνοψις.

Atheos dari, ex-
perientia & hi-
storia docet, §. I.
Iam ante diluuium
quosdam fuisse a-
theos, probabile est,
§. II.

Post diluuium super-
stitio inualuit, cui, vt
& atheismo, oppo-

sita fuit religio Isra-
elitarum; Mosen
fuisse pantheistam,
execrabilis est ca-
lumnia, §. III.

Inter Israelitas quos-
dam fuisse atheos,
dubitari nequit, §.
IV.

Salomoni tamen aut
pro-

prophetis; non nisi
per turpissimam ca-
lumniam atheismus
tribuitur, §. V.

Recentiorum kabbali-
starum impia dog-
mata, ex veteri &
genuina Israelita-
rum doctrina, neuti-
quam sunt deriuanda,
§. VI.

De Zabiorum seu Sa-
baeorum atheismo
nihil certi adfirmari
potest, §. VII.

Nec de Chaldaeorum,
§. VIII.

Orpheus an pantheista?
§. IX.

Pœtæ Graecorum su-
perstitioni, philosophi
atheismo fauere cre-
duntur; speciatim,
qui Ionicae sectæ
primam classem con-
stituunt, atheismi
accusantur, §. X.

Socrates ab atheismi
suspensione liberatur,
§. XI.

Critias contra, Socratis
discipulus, impieta-
tis huius reus iudi-
catur, §. XII.

Plato perperam atheis-
mi accusatur, etsi
omnia eius neuti-
quam probanda sint
dogmata, §. XIII.

Academici & sceptici,
an & quousque in-
ter atheos referendi?
§. XIV.

Aristoteles an atheus?
§. XV.

Strato Lampfacenus in
quibusdam ad Spi-
nozam, in quibus-
dam ad Epicurum,
accedit, §. XVI.

Ex Cyrenaicis Theodo-
rus & Bion Boristhe-
nites, ex Megaricis
Stilpo, inter atheos
referuntur, §. XVII.

Cynicis & Stoicis an
& quousque athe-
ismus tribui queat?
§. XVIII.

Do

De Eleatica secta idem quaeritur; & speciatim, quibus ex ea atheismus obiectus fuit, recensentur, quoue id factum iure, disceptatur, §. XIX.

De Heraclito, Hippocrate, & Euhemero disquiritur, §. XX.

item de Graecanicis quibusdam philosophis, qui post Christum natum vixerunt, speciatim de Plutarcho atque Luciano, §. XXI.

Inter Romanos praeter alios Ciceronem, Liniuum, atque Plinium in atheismi suspicionem adductos; quo id iure factum? §. XXII.

Inter christianos primis seculis non fuit, qui iure atheismi accusari potuerit; in ipso tamen deinceps scho-

lasticorum regno extiterunt, qui hoc nomine non sine ratione male audiunt, §. XXIII.

Post bonarum litterarum restaurationem, magna erupit atheorum cohors, praesertim in Italia; quorum nonnulli, vita tamen moribusque potius, quam doctrina se tales demonstrarunt, §. XXIV.

Non minus tamen & in Gallia extiterunt, qui eiusdem impietatis notam subierunt, §. XXV.

De Benedicto de Spinoza ex instituto agitur, eiusque sectatoribus, quos praesertim in Belgio habuit, §. XXVI.

De atheis, quos Anglia protulit, atque Germania, §. XXVII.

A 2

Colli.

Colligitur ex hæcenus dictis, dari omnino atheos, et si nonnullis per calumniam atheismus tribuatur, quod aliquot insuper exemplis ostenditur, §. XXVIII.

§. I.

ET si Deum esse, tam manifestum sit, ut nemo nisi reluctante animo hoc negare queat; fuisse tamen subinde homines, qui sibi ipsis velut vim inferendo, eo usque progressi sunt, ut hoc discrete in dubium vocarent, idque aliquando aperte profiterentur,* aut talia docuerunt, ex quibus Deum non esse directe sequitur,** experientia docet, rerumque gestarum annales veteres ac recentiores, nos nulla ratione dubitare sinunt.***.

* Fuerunt, qui omnino dubitarent, an athei theoretici & proprie sic dicti, dentur? Immo, non dari, nonnulli sibi persuaserunt. Quod si de illis intelligatur, qui nullum unquam Numinis sensum habuerunt, nec unquam reluctantis animi vim experti sunt, præsertim si non omni de Deo rebusque diuinis informatione fuere destituti, rectissime se habet. Eoque sensu admittenda, quæ hac de re disputat GIBERTVS VOETIVS, *disputat.*

disputat. de atheismo, disputation. selectar. part. I. pag. 143. 144. Fuisse autem homines, qui conscientiae dictamen quouis modo suppressimere allaborarunt, & ad veritatem manifestissimam impugnandam animum obfirmarunt, hinc &, saltem ad tempus, testimonium conscientiae suffocarunt, cum experientia hoc doceat, nulla negari ratione potest.

** Cum vox *atheus*, diuersimode sumatur, & diuersa etiam dentur atheorum genera; hic tamen eam proprie accipimus, prout primo eos, qui aperte & citra ambages Deum esse negant, deinde eos, qui talia docent, quibus directe natura & existentia Numinis euertitur, denotat. Illos *primi ordinis* atheos, hos *secundi*, dixeris. Vtrique nobis in hocce capite, in censum veniunt.

*** Patebit hoc ex mox dicendis, vbi atheorum vtriusque ordinis exempla adferemus, sed ea ratione, vt ab atheis veris falso suspectos discernamus. Cautè nimirum hac in re versandum. Qui enim atheos vere tales excusant, hoc agere videntur, vt securitatem, impunitatemque iis, qui eorum vestigia premunt, concilient, inducendo homines in eam opinionem, frustra aliquem atheismi accusari, cum nulli dentur athei.

Rurfus tamen, qui viros innocentes in atheorum numerum referunt, non tantum magnam illis inferunt iniuriam, fed ipsis atheis rem minime ingratam faciunt, cum illis honorificum valde fit, & ad decipiendos incautos plurimum faciat, fi viri ingenio & doctrina praestantiffimi, vel inuiti in illorum societatem pertrahantur. Laudanda itaque illorum opera, qui hanc calumniam a viris recte sentientibus depellunt, quod peculiari, eaque erudita differtatione *de atheismi falso fufpectis* fecit vir clariffimus, IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS,

§. II.

Qui ante diluuium in omne fe dederunt flagitiorum genus, & hac ratione vltimam orbi primo attraxere perniciem, vita moribusque, nullo fe Numinis metu ductos, fatis superque testati funt. Vix autem dubitare licet, quin & nonnulli eo vsque infaniae progressi funt, vt nullum fe credere Deum ore profiterentur.*

* Primi orbis incolas ad atheismum fuisse pronos, & res ipfa docet, & recte obseruauit IO. DE HISPANIA, in *annotationibus ad decalogi praeceptum I. operum*, quae lingua germanica prodierunt, pag. 107. Contrarium

ex

ex *Genes. IV. 25.* euinci non posse, iam demonstratum est in *histor. ecclesiast. vet. test. period. I. sect. I. ad §. XXXVI & XXXVIII. pag. 155. & 159.* Legenda &, quae de atheismo hominum ante-diluvianorum copiose disserit ANTONIVS REISERVS, in *dissertat. epistolari ad Theophilum Spizelium, de origine, progressu, & incremento antitheismi seu atheismi*, qui & speciatim *pag. 26.* Cainum primum atheum fuisse existimat. Quod de atheismo theoretico vix probabitur; etsi hominem impium & fratricidam fuisse, satis constat. Colloquium inter Cainum & Abelem, quod in targum Hierosolymitano legitur, eo minus hoc euincet, quia ex zelo pharisaico contra Sadducæos istud confictum esse, constat, ideoque & eeu spurium merito a viris doctis reiicitur. Obseruare *ως ἐν πνεύματι* iuuabit, eundem virum doctum ANTONIVM REISERVM, aliosque, voce athei, in latiori subinde significatione vti, multosque ideo inter atheos referre, qui accurate loquendo, inter eos non sunt collocandi.

§. III.

Vt autem homines facile ab vno extremo ad alterum procurrunt, ita post diluuium superstitionis & idololatriæ vniuersum fere orbem occupauit. In Abrahami

vero posteritate, cum primis in gente Israelitica, vera conseruata & propagata est religio, atheismo aequae ac superstitioni opposita. Quam cum in scriptis Mosais deprehendere luculenter liceat, nihil aliud agunt, quam vt summam stultitiam cum maxima improbitate coniunctam prodant, qui Mosen in Pantheistarum referre numerum non erubescunt. *

* Hoc tamen citra ambages IOAN. TOLANDVS asseruit, atheorum, quos nostra actas tulit, facile impudentissimus, in *originibus iudaicis*, eius *adesidaemoni* additis, pag. 155. 156. castigatus ideo ex merito a IACOBO FAYO, in *defensione religionis, nec non Mosi ac gentis Iudaeae, &c. part. II. cap. IV. p. 194. seqq.* itemque ab ELIA BENOIST, dans la *melange des remarques critiques, historiques, philosophiques, theologiques sur les deux dissertations de M. Toland &c. pag. 250. seqq.* Immo non tantum Mosen, aut, si malis, scriptorem pentateuchi, hunc enim subinde a Mose distinguit, sed & vniuersam fere scripturam sacram pantheismi ream agit, dum hasce loquendi formulas: *ens summe perfectum; alpha & omega; quod principio caret & fine; quod fuit, quod est, quod erit; omne in omnibus; illud, in quo vivimus, mouemur ac sumus,*

CEU

ceu aequiuocas, atheismo aequae ac theismo congruere, cum de praesupposita vniuersi aeternitate sint verissimae omnes, stolide non minus, quam audacter pronuntiat.

§. IV.

Gentem Israeliticam ad superstitionem maxime pronam fuisse, tot scriptorum sacrorum de idololatria gentilium in ea recepta, & subinde inualescente, totque sanctissimorum vatum hac de re querelae, nos dubitare non sinunt. Fuisse tamen & in ea, qui ad alterum extremum procurrerent, & non tantum vita moribusque, sed animi quoque sententia se atheos profiterentur, ex variis scripturae locis haud difficulter colligitur. *

* Cum primis hoc liquet ex *psalm. XIV. vers. 1.* *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Recte eiusmodi homines *insipientes* dici, ex infra dicendis patebit. Cum vero non semper, quod cogitant, aperte profiteri audeant, *in corde suo* hoc dicunt, quamuis aut factis, aut alia ratione animi sententiam satis prodant. Non autem id sibi vult sanctissimus vates, ac si plane pleneque conuicti sint, non dari Deum, sed quod hoc sibi quavis ratione persuadere annitantur, & animum

ad omnem Numinis sensum extinguendum, renitente licet & reluctante conscientia, obfirmant. Errant itaque, qui ex hisce verbis colligunt, nullam dari notitiam Dei insitam; quod pluribus ostendit ABRAH. CALOVIVS, ad *b. l. item, system. theol. tom. II. pag. 35. 77.* add. IOANNES MULLERVS, in *atheismo deuidto pag. 96.* AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. centur. II. loc. XIV. pag. 566. seqq.*

§. V.

Interim turpissima iterum est calumnia, aut Salomonem, aut prophetas, qui post eum vixerunt, talia docuisse, quae atheorum placitis speciem vllam aut colorem conciliare queant, aut ad ea vlla ratione accedant. Idque qui asserunt, aut in re apertissima coecutiunt, aut proteruiam calumniandi, causamque desperatam atheorum vtcunque adiuuandi studium, luculenter ostendunt.*

* Notandus itaque merito hic nobis venit ANTONIVS COLLINVS, IOANNIS TOLANDI, si non discipulus, certe amicus, qui in libro notissimo, de *libertate cogitandi*, inter *libere cogitantes*, quo nomine, si citra ambages dicere velis, quod res est, aut atheos, aut eorum patronos, vel tales, qui, quae proxi-

me ad atheismum accedunt, docent, intelligit, Salomonem pariter ac prophetas refert pag. 218. seqq. Et Salomonem quidem huc refert, quod mundi aeternitatem adferat, vitam contra aeternam atque animae immortalitatem in dubium vocet, *Kobel. cap I. vers. 4. 5. 6. 7. 9. III. 18. 19. seqq. VII. 14. IX. 5. & 10.* Prophetas autem, quod cultum externum eo tempore stabilitum summa cum libertate reprehendant, & tantum non ceu meram imposturam reiiciant, cum a populo pro diuinitus instituto haberentur. Qua in re quantopere auctor fallatur, quamuis quilibet facile intelligat, vberius tamen in ipsis recitationibus, seu thesaurorum harum explicatione, ostendemus. Nunc id saltem addimus, nos neutiquam illi facere iniuriam, dum asserimus, cum libere cogitantes atque atheos, ipsumque adeo Salomonem, vno eodemque habere loco. Hoc vel inde patet, quod sententiam, quam Salomoni de aeternitate mundi tribuit, cum Maniliana aeternitatis mundi descriptione plane consentire existimat, quae hisce versibus clauditur:

Non alium videre patres, aliumve nepotes

Aspicient; DEVS EST, qui non mutatur in aeuum.

Quibus

Quibus verbis haud obscure innuere videtur, se non alium, quam mundum, Deum agnoscere. Proxime huc accedere videntur, qui Salomonem scepticis annumerant, contra quos erudite disputat IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, *cod. pseudepigrapho vet. test. num. CCIV. pag. 157. seqq.*

§. VI.

Ipsa autem Israelitarum doctrina, quam in Mosis aliorumque veteris Testamenti scriptorum Θεοπνεύτων libris legimus, vt purissima est, & atheorum stultitiae ac impietati e diametro opposita, ita sequiori aetate per philosophematum a gentilibus acceptorum admixtionem, aut alia ratione, eadem ita corrupta & deprauata fuit, vt, quae in Kabbalistarum, quos vocant, scriptis, extant asserta, atheorum, speciatim Spinozistarum impietati patrocinari, non sine ratione credantur, certe ceu absona, erronea, & maximo cum periculo coniuncta, merito reiiciantur.*

* Fallitur itaque maximopere IOANNES GEORGIUS WACHTERVS, dum recentiorum, Iudaeorum, seu Kabbalistarum, sententiam de emanatione rerum omnium a prima causa

causa, & retractione in primum ens, quae in turpem naturae ἀποθέωσιν definit, pro antiquae philosophiae Ebraeorum genuino & principali fundamento venditat, in *elucidario kabbalistico cap. III.* Recentiorum Ebraeorum seu kabbalistarum commenta, cum vera ac genuina gentis huius doctrina non esse confundenda, saepius iam monui; praesertim & in *introducēt. ad histor. philos. Ebraeor. pag. 325.* Interim cum tum *eadem in loco*, tum in *dissertat. de Spinozismo ante Spinozam §. XXI.* docui, discrimen aliquod inter Spinozismum & kabbalistarum doctrinam intercedere, neutiquam id eo comparatum, ac si kabbalistarum extenuare aut excusare errores velim. Etsi enim vel maxime haec sententia de emanatione rerum creatarum a Deo, ceu fonte, a Spinozismo differat, est tamen falsa, erronea, absorta, & ita comparata, vt facile ad atheismum ducat. Nec etiam de eo, an kabbalistarum sententia a Spinozismo differat, cum quocumque magnopere contendere velim, etsi non ignorem, viros eruditissimos hac in re mecum consentire, quos inter etiam est IOANNES CRISTOPHORVS WOLFIVS, in *dissertatione de atheismi falso suspectis, sect. II. §. IV.*

§. VII.

§. VII.

Inter reliquas gentes, & quidem antiquissimas, quarum quaedam ad nos notitia peruenit, eminent Zabii, siue Sabaei, qui si nonnullis credimus, idololatria, seu superstitione totum repleuerunt orientem. Simul vero talia docuisse perhibentur, quae ad Spinozismum quodammodo accederent. Quod licet fidem non plane superet, quia per gentilium idololatriam facili negotio ad pantheismum iri poterat, non tamen pro certo adfirmari potest. *

* Zabios seu Sabaeos talia docuisse, quae ad Spinozae sententiam quodammodo accederent, innuere videtur MOSES MAIMONIDES, *moreb nenochim part. III. cap. XIX.* Hoc iam indicaui, in *dissertatione de Spinozismo ante Spinozam, §. XX.* Non autem pro certo hoc ibi adfirmaui, sed dubitanter locutus sum: *Zabiorum forte eodem collimauit sententia, si credendum MOSI MAIMONIDI &c.* Fieri sane potuit, vt Zabiismus tandem in Spinozismum euaderet. Multi enim veterum per varia, quae apud gentiles colebantur, idola, nihil aliud, quam partes huius vniuersi intelligebant. Vnde summus ille

ille Deus, qui per partes colebatur, non alius erat, quam τὸ πᾶν, hoc vniuersum. Quo minus tamen certi quid hac de re statuere liceat, non tantum non adeo clara MAIMONIDIS verba, sed id cum primis obstat, quod cuncta, quae de Zabiis seu Sabaeis, antiquis scilicet illis, dicuntur, incerta fide auctorum, qui nihil fere certi de iis prodere potuerunt, nitantur. Qua de re ex instituto dictum in *historia ecclesiastica veteris testamenti, period. I. sect. III. ad §. XXII. pag. 417. seqq.*

§. VIII.

Quod de Zabiis diximus, idem & de Chaldaeis obseruandum, eos talia docuisse, quae nonnullorum iudicio pantheismo fauere videntur; nec ab imualescente apud ethnicos summa impietate, cum absurdissima superstitione coniuncta, hoc prorsus alienum esse; caute tamen & hac in re incedendum, ne sine sufficienti ratione atheismus iis tribuatur, quanquam a sententiis eo ducentibus, vel illorum, qui eos defendere annituntur, iudicio, absolui nequeant.*

* Chaldaeos eandem cum Stoicis, mundum ipsum pro Deo habentibus, fouisse sententiam,

PHILONIS quodam testimonio comprobatur
 INSTVS LIPSIVS, *physiolog. stoic. lb. II. cap. X.*
 idque ex eodem repetit in *dissertat. de Spi-*
nocismo ante Spinozam §. XX. analector. hi-
stor. philof. pag. 348. Excusare tamen Chal-
 daeos annuitur vit doctissimus IOAN. CHRIS-
 TOPHORVS WOLFIVS, eo quod ex fragmen-
 tis doctrinae chaldaicae & oraculis, quae
 sub Zoroastris nomine circumferuntur, pa-
 teat, omnino Chaldaeos distinxisse inter
 principium omnium rerum, & res ipsas, quae
 ex eo manarint, quod adductis testimoniis
 quibusdam confirmat. Non magnopere,
 haec ita se habere, repugnabimus, nec infi-
 ciati fuerimus, vestigia doctrinae de rerum
 creatione apud Chaldaeos permansisse:
 ipsum talem virum doctissimum tandem fa-
 terti, obseruamus, doctrinam de rerum cre-
 atione apud Chaldaeos minime incorruptam
 mansisse; idque vel inde constare, quod,
res omnes ex essentia Dei fluxisse existimasse-
 rint. *Hic enim, inquit, volunt variae lo-*
quendi rationes, quae in oraculis Zoroastris
leguntur, ex quibus tantum pronocabimus ad
vers. 17. seqq. ubi de principis sermo est:

Καὶ πρῶτ' ἀπὸ τοῦ θεοῦ πάντα κτίσθησάν

Μήτεα συγχεσθῆναι τὰ κτίματα·

Ἐἴη δὲ θεοῦ ὁρμήσιν πάντα κλυποικίλῃ
 ἔλκε'

Es

*Et fons fontium , & fontium terminus
omnium ,*

Matrix continens omnia ;

Inde affatim exilit origo variae materiae.

*Referamus itaque Chaldaeos inter eos , qui
communi gentibus errore , Deum huius vniuer-
sitate auctorem ita statuerunt , vt ex eo ema-
nasse is existimetur , l. c. §. V. Ad minimum
itaque Chaldaeorum sententia inter eas refe-
renda , quae ad Spinozismum ducere possunt.
Addi his merentur , quae idem vir doctus de
Aegyptiis , l. c. §. VI. commentatur.*

§. IX.

A barbaris , quas vocant , gentibus , ad
Graecos si transeamus , primum Orpheus
se nobis offert , theologiae & religionis ,
seu superstitionis potius , graecanae , pri-
mus praecipuusque auctor. Hic vero
πλεταῖς , ritibus , ac ceremoniis , quas in-
stituit , sacris , nihil aliud sibi voluisse vide-
tur , quam vt sapientiae studium , rerum-
que naturalium scrutinium hac ratione
commendaret , & ad alios propagaret ,
simul tamen homines , qui hacce cogni-
tione ad pessima quaeque abuti poterant ,
inde arceret. Nec tamen desunt , qui

B

omnia

omnia eo tandem rediisse autumant, vt illis, qui ad mysteria capienda & propaganda idonei iudicabantur, impium & monstrosum dogma, naturam ipsam Deum esse, committeretur. *

- Non nescio, viros quosdam doctos omnem Spinozismi suspensionem ab Orpheo amoliri. Nec is ego sum, qui vel obtorto collo aliquem atheorum cohorti adscribere cupiam. Largior etiam, inter fragmenta Orphica occurrere quaedam, quae nos mitius de eo sentire iubeant. Quicquid autem de ipso Orpheo sit, disciplinam ipsam arcanam Graecorum atque *πλάτωνος* eo tandem collimasse, non omni prorsus verosimilitudine caret. Idque si ita se habeat, patet, quo pacto infernalis genii fraude res toto coelo distantes, summa superstitio & summa impietas, seu atheismus, mirabili artificio inter se connecti queant. Conferenda, quae de Orpheo dixi in *hystor. ecclesiast. vet. testam. period. II. sect. II. §. XVIII. pag. 1003. seqq.*

§. X.

Diuiinarum naturaliumque rerum scientia apud Graecos tum per poëtas, tum per philosophos, sed diuersa ratione, propagata est. Illi ex voluntate diuina rerum ortum deriuantes, indeque *theologi*

logi dicti, simulque populi captui se accommodantes, polytheismo patrocinati sunt; * hi vero ad ipsam naturam attendentes, indeque *physici* adpellati, magis ad atheismum inclinare nonnullis visi sunt. Saltem, qui primam Ionicae sectae classem constituunt, THALES MILESIUS, ANAXIMANDER & ANAXIMENES, nonnullis valde atheismi suspecti videntur, etsi non desint, qui, eos ab hac accusatione liberari posse, contendant. **

* Poëtas Graecorum veteres *theologos* dictos constat, aliisque iam saepe obseruatum est; idque eam maxime ob causam, quod *Ἱστορίας* describerent. Has vero *Ἱστορίας* non ipsi inuenerunt, vt HERODOTVS innuere videtur, *lib. II. cap. LIII.* sed ab orientis populis, speciatim Phoeniciis, eas acceperunt. Qua de re nemo dubitabit, qui legerit, quae ex Sanchuniathone refert EVSEBIUS, *praeparat. euangel. libr. I. cap. IX. pag. 31.* Quodsi primam originem spectes, probabile, fuisse, antiquissimis temporibus, qui ad imitationem Mosis de prima rerum omnium hominumque origine commentarentur, ac *genealogias* scriberent, quae deinceps in *Ἱστορίας* facile commutari potuerunt. Iungenda, quae hac de re dixi *hi-*

stor. eccles. veter. testam. ad period. II. sect. II.
 §. XVIII. pag. 986. 987.

** Fuerunt iam pridem, qui sectam Ionicam atheismi ream agerent; cum primis tamen hoc egit, auctor obseruationis, quae *de primo rerum ortu philosophorum Ionicae sectae dogmata inter se, & cum dogmatibus praecedentium & sequentium philosophorum Graecorum collata*, exhibet, *tom. I. obseruation. Hallens. obseruat. XXI. pag. 445.* Nimirum tres is constituit atheismi gradus. Primum atque supremum illorum, qui, nullum plane Deum esse, contendunt: alterum, qui, Deum quidem esse, fatentur, sed mundum ab eo conditum negant, qualis sit Deus Epicuri; tertium denique, seu infimum illorum, qui, Deum quidem produxisse mundum, concedunt, verum non voluntate sua libere motum, sed necessitate velut naturae coactum, quam Aristotelis atque Stoicorum fuisse sententiam, existimat. Iam ad Ionicae sectae philosophos quod attinet, eos in duas classes disepcit. Ad priorem Thaletem, Anaximandrum & Anaximenem refert, qui, cum in quibusdam dissentiant, in eo tamen conueniunt, res omnes sua sponte nulla Dei intercedente opera extitisse, adeoque ad secundum gradum atheismi referendi sint. Anaxagoras, Diogenes Apolloniata, & Ar-
 che-

chelaus, alteram Ionicae sectae classem constituunt; qui licet a prima classe in eo discesserint, quod materiae causam efficientem Deum adiunxerint, adeoque a secundo atheismi gradu liberandi sint, ad tertium tamen referri posse, quod Deum cum materia arctissimo vinculo colligauerint. Haec omnia AVGVSTINI cum primis auctoritate confirmantur. Repetitque ea PETR. BAEIVS, *diction. histor. crit. voc. Thales, p. 2857.* vt non tantum calculum adiiciat, sed testimonium contrarium, quod ex Cicerone adferri poterat, remoueat. Alii contra Ionicos philosophos, praesertim Thaletem, ab ista atheismi suspicione liberare annituntur, eumque in finem varia eius adferunt effata, quibus haud obscure Deum mundi auctorem profiteri videtur. Haud vltimum inter ea est, quod DIOGENES LAERTIVS inter apophthegmata Thaletis refert: *πρεσβύτατον τῶν ὄντων θεός, ἀγέννητόν γάρ· καὶ ἄριστον κόσμου, ποιημὸς γὰρ θεῶν.* *Antiquissimum eorum omnium, quae sunt, Deus: ingenitus enim. Pulcherrimum, mundus, a Deo enim factus est; lib. I. sect. XXXV.* Addenda, quae pro secta Ionica, speciatim Thalete Milesio, contra atheismi imputationem disputant RVDOLPHVS CVDWORTHVS, *system. intell. libr. I. cap. I. §. XII.* SAM. PARKERVS, *de Deo & providentia diuina, dissertat. I. sect. V.* IOAN-

PHILONIS quōdam testimonio comprobatur IVSTVS LIPSIVS, *physiolog. stoic. lib. II. cap. X.* idque ex eodem repetit in *dissertat. de Spinozismo ante Spinozam §. XX. analector. hist. philof. pag. 348.* Excusare tamen Chaldaeos annititur vir doctissimus IOAN. CHRISTOPHORVS WOLFIVS, eo quod ex fragmentis doctrinae chaldaicae & oraculis, quae sub Zoroastris nomine circumferuntur, pateat, omnino Chaldaeos distinxisse inter principium omnium rerum, & res ipsas, quae ex eo manarint, quod adductis testimoniis quibusdam confirmat. Non magnopere, haec ita se habere, repugnabimus, nec inficiati fuerimus, vestigia doctrinae de rerum creatione apud Chaldaeos permanuisse: ipsum saltem virum doctissimum tandem fateri, obseruamus, doctrinam de rerum creatione apud Chaldaeos minime incortuptam mansisse; idque vel inde constare, quod, *res omnes ex essentia Dei fluxisse.* existimauerint. Hoc enim, inquit, *volunt variae loquendi rationes, quae in oraculis Zoroastris leguntur, ex quibus tantum prouocabimus ad vers. 17. seqq. ubi de principiis sermo est:*

Καὶ πηγὴ πηγῶν καὶ πηγῶν πείρας ἀπασῶν

Μήτηρ συνέχουσα τὰ πάντα·

Ἐνθὲν ἄρδην θρώσκει γένεσις πολυποικίλης
ὕλης·

Et

*Et fons fontium, & fontium terminus
omnium,*

Matrix continens omnia;

Inde affatim exilit origo variae materiae.

Referamus itaque Chaldaeos inter eos, qui communi gentibus errore, Deum huius vniuersitatis auctorem ita statuerunt, vt ex eo emanasse is existimetur, l. c. §. V. Ad minimum itaque Chaldaeorum sententia inter eas referenda, quae ad Spinozismum ducere possunt. Addi his merentur, quae idem vir doctus de Aegyptiis, l. c. §. VI. commentatur.

§. IX.

A barbaris, quas vocant, gentibus, ad Graecos si transeamus, primum Orpheus se nobis offert, theologiae & religionis, seu superstitionis potius, graecanicae, primus praecipuusque auctor. Hic vero *πλεταῖς*, ritibus, ac ceremoniis, quas instituit, sacris, nihil aliud sibi voluisse videtur, quam vt sapientiae studium, rerumque naturalium scrutinium hac ratione commendaret, & ad alios propagaret, simul tamen homines, qui hacce cognitione ad pessima quaeque abuti poterant, inde arceret. Nec tamen desunt, qui

B

omnia

omnia eo tandem rediisse autumant, ut illis, qui ad mysteria capienda & propaganda idonei iudicabantur, impium & monstrosum dogma, naturam ipsam Deum esse, committeretur. *

- Non nescio, viros quosdam doctos omnem Spinozismi suspicionem ab Orpheo amoliri. Nec is ego sum, qui vel obtorto collo aliquem atheorum cohorti adscribere cupiam. Largior etiam, inter fragmenta Orphica occurrere quaedam, quae nos mitius de eo sentire iubeant. Quicquid autem de ipso Orpheo sit, disciplinam ipsam arcanam Graecorum atque *πλεταις* eo tandem collimasse, non omni prorsus verosimilitudine caret. Idque si ita se habeat, patet, quo pacto infernalis genii fraude res toto coelo distantes, summa superstitio & summa impietas, seu atheismus, mirabili artificio inter se connecti queant. Conferenda, quae de Orpheo dixi in *hystor. ecclesiast. vet. testam. period. II. sect. II. §. XVIII. pag. 1003. seqq.*

§. X.

Diuiinarum naturaliumque rerum scientia apud Graecos tum per poëtas, tum per philosophos, sed diuersa ratione, propagata est. Illi ex voluntate diuina rerum ortum deriuantes, indeque *theologi*

logi dicti, simulque populi captui se accommodantes, polytheismo patrocinati sunt; * hi vero ad ipsam naturam attendentes, indeque *physici* adpellati, magis ad atheismum inclinare nonnullis visi sunt. Saltem, qui primam Ionicae sectae classem constituunt, THALES MILESIUS, ANAXIMANDER & ANAXIMENES, nonnullis valde atheismi suspecti videntur, etsi non desint, qui, eos ab hac accusatione liberari posse, contendant. **

* Poëtas Graecorum veteres *theologos* dictos constat, aliisque iam saepe observatum est; idque eam maxime ob causam, quod *Θεογονίας* describerent. Has vero *Θεογονίας* non ipsi inuenerunt, vt HERODOTVS innuere videtur, *lib. II. cap. LIII.* sed ab orientis populis, speciatim Phoeniciis, eas acceperunt. Qua de re nemo dubitabit, qui legerit, quae ex Sanchuniathone refert EVSEBIUS, *praeparat. euangel. libr. I. cap. IX. pag. 31.* Quodsi primam originem spectes, probabile, fuisse, antiquissimis temporibus, qui ad imitationem Mosis de prima rerum omnium hominumque origine commentarentur, ac *genealogias* scriberent, quae deinceps in *Θεογονίας* facile commutari potuerunt. Iungenda, quae hac de re dixi *hi-*

stor. eccles. veter. testam. ad period. II. sect. II.
 §. XVIII. pag. 986. 987.

** Fuerunt iam pridem, qui sectam Ionicam atheismi ream agerent; cum primis tamen hoc egit, auctor obseruationis, quae *de primo rerum ortu philosophorum Ionicae sectae dogmata inter se, & cum dogmatibus praecedentium & sequentium philosophorum Graecorum collata*, exhibet, *tom. I. obseruation. Hallens. obseruat. XXI. pag. 445.* Nimirum tres is constituit atheismi gradus. Primum atque supremum illorum, qui, nullum plane Deum esse, contendunt: alterum, qui, Deum quidem esse, fatentur, sed mundum ab eo conditum negant, qualis sit Deus Epicuri; tertium denique, seu infimum illorum, qui, Deum quidem produxisse mundum, concedunt, verum non voluntate sua libere motum, sed necessitate velut naturae coactum, quam Aristotelis atque Stoicorum fuisse sententiam, existimat. Iam ad Ionicae sectae philosophos quod attinet, eos in duas classes dispescit. Ad priorem Thaletem, Anaximandrum & Anaximenem refert, qui, cum in quibusdam dissentiant, in eo tamen conueniunt, res omnes sua sponte nulla Dei intercedente opera extitisse, adeoque ad secundum gradum atheismi referendi sint. Anaxagoras, Diogenes Apolloniata, & Arche-

chelaus, alteram Ionicae sectae classem constituunt; qui licet a prima classe in eo discesserint, quod materiae causam efficientem Deum adiunxerint, adeoque a secundo atheismi gradu liberandi sint, ad tertium tamen referri posse, quod Deum cum materia arctissimo vinculo colligauerint. Haec omnia AVGVSTINI cum primis auctoritate confirmantur. Repetitque ea PETR. BAEIVS, *diction. histor. crit. voc. Thales, p. 2857.* vt non tantum calculum adiiciat, sed testimonium contrarium, quod ex Cicerone adferri poterat, remoueat. Alii contra Ionicos philosophos, praesertim Thaletem, ab ista atheismi suspicione liberare annituntur, eumque in finem varia eius adferunt effata, quibus haud obscure Deum mundi auctorem profiteri videtur. Haud vltimum inter ea est, quod DIOGENES LAERTIVS inter apophthegmata Thaletis refert: *πρεσβύτατον τῶν ὄντων θεός, ἀγέννητόν γάρ καὶ διῆσον κόσμου, ποιημὲν γάρ θεῶ.* *Antiquissimum eorum omnium, quae sunt, Deus: ingenitus enim. Pulcherrimum, mundus, a Deo enim factus est; lib. I. sect. XXXV.* Addenda, quae pro secta Ionica, speciatim Thalete Milesio, contra atheismi imputationem disputant RVDOLPHVS CVDWORTHVS, *system. intell. libr. I. cap. I. §. XII.* SAM. PARKERVS, *de Deo & providentia diuina, dissertat. I. sect. V.* IOAN-

10. CHRISTOPHORVS WOLFIVS, de *atheismi falso suspectis* §. IX. Licet vero Ionici, qui Thaletem secuti sunt, in explicandis rerum naturalium causis, Dei, seu causae efficientis, nullam fecerint mentionem, inde tamen, eos Deum non agnouisse, tuto inferre non licet. Namque & multos recentiorum in rerum naturalium consideratione materiae tantum habere rationem, constat, causae efficientis primae, seu Dei, nulla iniecta mentione, quos tamen ideo inter atheos referre nefas fuerit. Hoc etiam olim monui in *elem. philos. instrum. part. I. cap. IV. §. VI.* Ibi enim, postquam obseruaueram, materiae fluidae, sed inertis, mentem praefecisse Anaxagoram, tanquam motus principium, & ordinis quoque omnisque structurae elegantioris auctorem, addidi: *Quod tamen non ita capiendum, ac si Thales ceterique Ionici fuerint athei, sed quod inter rerum naturalium causas solam materiam considerauerint.* Consentunt, quae hac de re scripsi, in *sapientia veterum, seu dictis illustrioribus septem Graeciae sapientum explicatis, & quidem in ethica Thaletis, §. X.* Interim non negandum, systema eiusmodi rerum naturalium, ex quo causa efficiens aut excludatur, aut in quo nulla eius habeatur ratio, atheismo alendo & promouendo valde accommodatum esse. Quod ex dicendis luculentius patebit. De
Anaxi-

Anaximandro dubitat SAMVEL PARKERVS, cum, vt materiam quandam immensam rerum initium esse, dixerit, ita aliud quoduis principium admisisse, non plane constet; interim eum pariter, ac Anaximenem, eadem ratione, qua Thaletem defendi posse diximus, defendit, *loc. cit. disput. I. sect. VI. pag. 15.* Non desunt tamen, ne quid dif-
 fitear, dubitandi rationes. Certe de Anaximene AVGVSTINVS: *omnes rerum causas infinito aëri dedit, nec Deos negavit aut ta-*
cuit; non tamen ab ipsis aërem factum, sed ipsos ex aëre ortos credidit, de ciuitat. Dei
libr. VIII. cap. II. Quales vero illi dii, qui ex aëre facti sunt? Diogenes vero Apolloniates, Anaximenis discipulus, teste eodem AVGVSTINO, *loc. cit. aërem quidem, dixit,*
rerum esse materiam, de qua omnia fierent, sed eum esse compotem diuinæ rationis, sine
qua nihil ex eo fieri posset. Quo ipso inu-
 ere videtur, aërem ipsum esse Deum. Ita certe mentem Diogenis expressit CICERO:
Quid? aër quo Diogenes Apolloniates utitur
Deo, quem sensum habere potest, aut quam
formam Dei? de natura deor. lib. I. pag. 46.
 add. MINVTIVS FELIX, in *Octauio, cap. XIX.*
pag. m. 61. Iungenda, quae de hocce phi-
 losopho disputat PETRVS BAEIVS, *diction.*
hisor. crit. voc. Diogenes Apolloniates, pag.
 1054. Ad Anaxagoram quod attinet, cum

primum materiae mentem adiecisse, auctor est **DIOGENES LAERTIVS**, *lib. II. sect. VI. pag. m. 82.* Idemque praeter alios confirmat **CICERO**: *Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam, primus omnium rerum descriptionem, & modum mentis infinitae vi ac ratione designari & confici voluit; de natura Deor. libr. I. add. SAM. PARKERVS, loc. cit. pag. 17. 18.* Nec id negat auctor observationis antea laudatae, adeoque **Anaxagoram** eiusque successores ab atheismo secundi generis absoluit; eos vero mentem cum materia indissolubili vinculo coniunxisse, contendit. Id vero probari posse, abnuunt alii. Certe loca veterum in contrarium adduxit vir clarissimus **IOAN. CHRISTOPHORVS WOLFIVS**, *loc. cit. §. X.* Iungenda, quae de hoece philosopho disputat **PETRVS BAELIVS**, *diction. histor. crit. voc. Anaxagoras, lit. D. & E. pag. 228. seqq. item lit. K. pag. 224.* Hinc vero &, quid de reliquis Ionicae sectae philosophis censendum sit, patet.

§. XI.

Ex Ionica schola prodiit **SOCRATES**, nouam tamen melioremque faciem philosophiae inducens. Missis enim vanis speculationibus, vitam potius ad rectae ratio-

rationis ductum componere, veraeque litare sapientiae mortales docuit. Ut autem aliorum vitia libere reprehendendo, maleuolorum odia euitare non potuit, ita reiecta ab eo superstitio, πρόφασιν atheismi crimen ei obiiciendi illis prae-buit,* a quo tamen non minus, ac a superstitione, eum alienum fuisse, satis constat. **

* Inter capita enim accusationis, a Melito contra Socratem prolata, hoc quoque fuit: *Αδικεῖ Σωκράτης, ὅς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεῶς, ὃ νομίζων, ἔπερθε δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσπαγέμενος.* *Iura violat Socrates, quos ex maiorum instituto suscepit ciuitas, Deos esse, negans, alia vero noua daemonia inducens;* apud **DIOGENEM LAERTIVM**, *lib. II. sect. XL. pag. m. 104.* conf. & **XENOPHON**, *memorable Socratis lib. I. cap. I.* Licet autem, quantum ex hacce accusationis formula patet, non tam negati Dei, quam mutatae religionis reus ageretur, hoc tamen apud homines imperitos & coeco zelo furentes, satis erat, vt pro atheo haberetur. Eum autem non fuisse atheum, satis patet ex iis, quae **XENOPHON**, *l. c.* differit, ex quibus etiam intelligitur, eum rectius de Deo, quam & plebeios, & multos philosophorum, sensisse. Ad phi-

Iosophos namque pertinet, quod *ibid. num. XI. pag. 5.* dicitur: εἰ δὲ γὰρ περὶ τῶν πάντων Φύσεως, ἤπερ τῶν ἄλλων οἱ πλεῖστοι διελέγετο, σκοπῶν ὅπως ὁ καλέμενος ὑπὸ τῶν σοφιστῶν κόσμος ἔφυ, καὶ τίσιν ἀνάγκαις ἕκαστα γίνεταί τῶν ἑρᾶνίων· ἀλλὰ καὶ τὰς Φρονητικὰς τὰ τοιαῦτα μωραίνοντας ἐπεδείκνυε. *Nec enim de rerum omnium natura sic differebat, uti complures alii, nimirum considerans, quo pacto is, qui a professoribus sapientiae mundus appellatur, ortus sit: quibusque de causis necessariis, singulae res coelestes fiant. Imo eos, qui his rebus occuparentur, fatuos esse, demonstrabat.* Lectu etiam digna sunt, quae *num. XIX. pag. 9.* adfert, ubi docet, plerosque putare, Deos quaedam scire, quaedam nescire, at Socratem arbitratum, Deos omnia, quae vel dicerentur, vel agerentur, vel clam deliberarentur, scire, eosdem ubique adesse, ac de rebus humanis omnia hominibus significare. Haec vero Socratis sententia, quae ab atheismo aequae ac superstitione eum liberat, cum antiquis ecclesiae doctoribus perspecta esset, parum abfuit, quin, eum christianum fuisse, assererent, certe non maiori iure, quam christianos, atheismi accusatum, contenderunt. Nota sunt ista *IUSTINI* martyris: οἱ μετὰ λόγον βιώσαντες, χριστιανοὶ εἰσι, καὶ ἄθεοι ἐνομιάθησαν· οἷον ἐν Ἑλλάδι μὲν Σωκράτης

κράτης

κράτης καὶ Ἡρακλείῳ, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς.
Quicumque cum ratione vixerunt, christiani sunt, quamuis athei habiti sint, quales inter Graecos fuere Socrates & Heraclitus, atque iis similes; apol. I. pro christianis, pag. 91. edit. IOAN. ERNESTI GRABII. Iungenda & quae idem habet apol. II. §. XI. pag. 26. seqq. & cohort. ad Graecos §. XIX. pag. 85.

** *Quam alienus a superstitione fuerit Socrates, tum tota vita eius, tum ipsa aduersariorum eius accusatio satis superque testatur. Nec contrarium ex iis, quae de genio suo dixit, euinci potest. Siue enim hoc nomine ipsam animam vel mentem Socratis, quae quorundam est sententia, siue, quod fere probabilius, angelum quendam bonum intelligas, nihil in eo deprehenditur, vt iure superstitionis argui queat. Legenda autem hac de re erudita GOTTFRIEDI OLEARII dissertatio, de genio Socratis, THOMAE STANLEII, historiae philosophicae inserta, part. III. cap. VI. pag. 130. seqq.*

§. XII.

Priusquam de philosophis, qui ex Socratis schola prodierunt, nouasque condiderunt sectas, dicamus, commemorandus nobis est CRITIAS, degener Socratis disci-

discipulus, ingratus iniuriusque in patriam, & inter triginta tyrannos, qui Athenis, a Lyfandro Lacedaemoniorum duce subiugatis imperarunt, pessimus. * Hic enim inter eos referri solet, qui aperte & citra ambages Numinis existentiam negarunt; ** quod & a proteruia hominis, summaque iniquitate, non alienum est.

* vid. PHILOSTRATVS, in *vitis Sophistar. lib. I. num. XVI. pag. m. 501.* Fuerunt, qui Socrati vitio verterent, quod ex schola eius prodiissent Critias & Alcibiades. Sed defendit eum XENOPHON, de *factis & dictis Socratis lib. I. pag. 415. seqq.*

** Testis huius rei est SEXTVS EMPIRICVS: Θεὸς γὰρ οἱ μὲν πολλοὶ φασιν εἶναι· πῦες δὲ οὐκ εἶναι· ὥσπερ περὶ Διαγόραν, τὸν Μήλιον, καὶ Θεόδωρον, καὶ Κριτίαν τὸν Ἀθηναῖον; plerique hominum Deos esse credunt, nonnulli autem, ut Diagoras Melius, & Theodorus, & Critias Atheniensis, non credunt; *Pyrrhoniæ. hypotypos. lib. III. pag. 155.* Prolixius integrum velut Critiæ systema idem exhibet, *aduers. mathemat. pag. 318.* quod ex eodem repetit, & varia de eo obseruat, reliqua simul de Critia memoratu digna exhibens

§. XIII.

De PLATONE, qui primum praecipuumque inter Socratis discipulos locum tenuit, diuersa extant eruditorum hominum iudicia. A nonnullis namque enthusiasmi & superstitionis arguitur, * ab aliis vero atheismi, speciatim Spinozismi. ** Sunt contra, qui eum omnino, quae christianae religioni consentanea sint, docuisse perhibent. *** Id certum est, ab atheismo alienum fuisse; placita autem eius, seu dogmata philosophiae Platonicae, non vno omnia habenda sunt loco.*

* Praeter alios hoc ex instituto egit EHRE-GOTT DANIEL COLBERGIVS, in *Christianismo Hermetico-Platonico, cap. I. §. III. pag. 8.* quem & alii secuti sunt. Iesuita quoque doctissimus P. BALTVS polytheismum & superstitionem Platoni multis exprobrat, quanquam simul fateatur, eum veri Dei notitia imbutum fuisse, siue ab Ebraeis eam acceperit, siue rationis rectae vsu assecutus sit, dans la *defense de SS. Peres*

ACCM-

accusez des Platonisme libr. III. pag. 244. seqq. Nonnulla tamen pro defensione Platonis moneri possent. Hoc vero cum irrisu ratio nec requirat, nec patiat, id saltem addere liceat, patribus iam obseruatum, Platonem, etsi de Deo recte sentientem, exemplo Socratis tamen deterritum, de diis ita subinde locutum, ne a recepta apud ethnicos sententia discedere videretur. Lectu digna sunt, quae hanc in rem differit IVSTINVS martyr, *cohortat. ad Graecos §. XIX. pag. 85.* ex editione HUTCHINI.

** Ita auctor doctissimus *otiorum*, anno M DCC VI lingua germanica editorum, *part. II. cap. III. pag. 86.* hoc praecipue argumento nixus, quod Deus ex mente Platonis cum materia coniungatur, quod etsi libere fiat, non tamen ideo Spinozismi suspicionem eum effugere.

*** Plures tum inter veteres, tum inter recentiores fuisse, qui consensum Platonis cum doctrina christiana demonstrare aggressi sunt, constat. Dixi ipse olim aliquid hac de re, in obseruatione de *conciliatione philosophorum cum scriptura sacra*, quae extat *obseruation. Hallens. tom. III. num. XIII. §. III. IV. pag. 235. seqq.* Iungendi de eodem argumento auctores laudati IOANNI ALBERTO FABRICIO, viro doctissimo, *biblioth. graecae*

graecae lib. III. c. I. p. 39. Quantopere autem conciliatores isti fallantur, alibi ostenditur.

Ab atheismo alienum fuisse, tot praeclara eius, quae passim extant, de Deo effata vix quenquam dubitare sinunt. Ad argumentum autem, a viro doctissimo, anteaque iam laudato, allatum, quod attinet, non quaelibet, sed necessaria mentis cum materia coniunctio ad Spinozismum ducit. Si enim Deus libere ad mundum ex materia creandum accessit, distinctus sane & separatus a materia fuit, nec vna substantia est, vt SPINOZA vult, sed duae, distinctae prorsus, atque a se inuicem separatae. Praeterquam vero, quod ipse vir doctissimus fateatur, Deum libere, sine necessitate, ex Platonis mente, ad materiam accessisse, ita eundem Platonem Deum pro principio a materia distincto & prorsus separato habuisse, veterum testimoniis comprobatur IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS, de *atheismi falso suspectis*, §. XII. pag. 37. seqq. qui & in *Manichaeismo ante Manichaeos*, sect. II. §. XXXIV. pag. 142. seqq. erudite Platonis causam egit, vbi & ostendit, quo sensu Deus a Platone in *Parmenide* ἀυθαῖος, dicatur. Iungenda, quae non minus erudite hac de re disserit B. IAC. THOMASIVS, de *exust. mundi stoica*, dissertat. II. §. X. dissert. XIV. & quae nos diximus, in *dissertat. de Spinozismo ante Spinozam*,

zam, §. XIII. XIV. Interim, etsi ab atheismi suspitione liberari queat Plato, non tamen ideo omnia eius asserta probanda sunt; quaedam enim ad entusiasmum ducere, negari nequit.

§. XIV.

Qui Platonis scholam continuarunt, cum de certa rerum cognitione non vnum idemque sentirent, in diuersas abierunt classes. Qui primam academiam constituerunt, vt XENOCRATES, POLEMO, & reliqui, de multis quidem rebus in vtramque disputabant partem, in multis tamen etiam certi quid definiebant.* At, qui secundae academiae auctor fuit, ARCESILAS, eo vsque progressus est, si nonnullis credimus, vt, nihil omnino comprehendi aut sciri posse, doceret; ** quod & qui eum secuti sunt, LACTES Cyrenaeus, TELEOCLES, & reliqui fecerunt. CARNEADES Cyrenaeus, tertiae academiae conditor, in rebus ipsis verum quidem admittebat, at negabat, in nobis esse facultatem illud cognoscendi, probabilia interim multa esse, concedens, quod eodem tandem redibat.*** Haec autem secundae & tertiae

tertiae academiae dogmata recta ad atheismum ducere, nemo non intelligit; * vnde & nonnullis, speciatim CARNEADI, ** eiusque discipulo CLITOMACHO, *** eum obiectum fuisse, non est, vt quis miretur. De PYRRHONE, eiusque sectatoribus, quos scepticos dicere moris est, idem sentiendum. *

* Hanc Platonis, quem & prima academia sectata est, sententiam ita exprimit DIOGENES LAERTIVS: ὁ Πλάτων ἐπὶ μὲν ὧν κατέληθεν, ἀποφαίνεται, τὰ δὲ ψευδῆ διυλίσχει, ἐπὶ δὲ τῶν ἀδήλων ἐπίχει; *Plato quae percipit, asserit; at falsa diluit; de incertis definire supersedet, libr. III. sect. LII. add. GERH. IOANNES VOSSIVS, de philosoph. sectis, cap. XII. §. XXIII.*

** Primus hic mediam inuexit academiam, ὅπως τὰς ἀποφάσεις διὰ τὰς ἐναντιότητας τῶν λόγων, *adsensum continens propter sermonum contrarietates, vt loquitur DIOGENES LAERTIVS, lib. IV. sect. XXVIII. CICERO in libro de oratore ita de eo loquitur: Arcefilas primum, qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris sermonibusque Socraticis hoc maxime arripuit, nihil esse certi, quod aut sensibus aut animo percipi possit, &c. Vnde & POMPONIO MELAE, nihil affirmantis academiae*

C

demiae

demiae clarissimus antistes, audit, libr. I. cap. XVIII. add. EVSEBIUS, praepar. euang. lib. XIV. cap. II. AEGIDIUS MENAGIUS, ad Diogen. Laert. loc. cit. GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, loc. cit. cap. XIII. §. II.

*** Discrimen, quod inter Arcesilam & Carneadem, seu secundam & tertiam academiam intercessisse, nonnulli putant, duobus absoluitur capitibus: primo namque Arcesilas in rebus ipsis nullam esse veritatem, dixisse perhibetur, cum Carneades contra fateretur, aliquid verum aut falsum esse, sed negaret, esse in nobis *κρίσιον* siue artem iudicandi, verumque a falso discernendi. Deinde, cum Carneades assensum cohiberet ob rei incertum, non tamen negaret, aliquid probabile esse, aut contra, Arcesilas horum nihil admittebat; vid. GERH. IOAN. VOSSIVS, *l. c. cap. XIV. §. II. III. CICERONIS loca, ex quibus hocce, quod inter Arcesilam & Carneadem intercedere discrimen dicitur, probari solet, adfert PETRVS BAEIVS, dict. hist. crit. voc. Carneades, lit. B. p. 810.* qui tamen in eo totus est, vt euincat, Carneadem idem prorsus cum Arcesila sensisse, cum reuera apud eum cuncta eo tandem redierint, nihil plane certi esse. Interdum equidem eum prae se tulisse, ac si probabilitatem admitteret, sed hoc eum saltem in finem fecisse, vt aduersario-

fariorum obiectionibus, quibus academicos risui exponere annitebantur, eo facilius occurrere posset. Digna haec sunt, quae accuratius expendantur.

* Certe inter eum, qui, Deum esse, diserte negat, & qui omnia, adeoque & hoc, quod Deus sit, incerta adfirmat, aut nullum aut exiguum admodum discrimen intercedit. Quaesitus enim, an Deus sit? non aliter respondebit, quam: non liquet. Sed hac de re in sequentibus erit dicendi locus.

** Inter eos, quibus atheismus obiectus fuit, & Carneadem, & discipulum eius Clitomachum refert vir clarissimus, IO. ALBERTVS FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. II. cap. XXIII. pag. 817.* Nec sine omni id fieri ratione, ex dictis patet. Qui vno die iustitiam laudauit, sed altero eam non minori facundia euertit, ad idem de Deo faciendum aequae promptum paratumque fuisse, vt credamus, par est. CICERO equidem, cum, quae contra Stoicorum de religione placita Carneades disputasset, retulisset, addit: *Haec Carneades agebat, non vt deos tolleret, quid enim philosopho minus conueniens? Sed vt, Stoicos nihil de diis explicare, conuinceret; de natura deor. lib. III. pag. 625.* Non tantum autem Stoicos haec argumenta feriebant,

sed omnem gentilium religionem penitus euertebant. Et hactenus quidem bene. Fateor etiam, nihil minus philosopho esse conueniens, quam deos tollere: sed inde, Carneadem id non fecisse, nondum sequitur. Profecto, cui omnia incerta sunt, illi nec, Deum existere, certum esse potest.

*** Clitomachus, Diogneti filius, Carthaginiensis, patria lingua Asdrubal dictus, in qua & apud suos philosophari consueuerat, vt auctor est **DIOGENES LAERTIVS** *libr. IV. sect. LXVII.* Carneadis discipulus fuit, & in Atheniensi schola successor, scripsitque vltra CCC volumina, in quibus magistri sui potissimum dogmata illustrauit. **CICERO**, qui subinde eius meminit, eum quatuor libros $\pi\epsilon\rho\ \epsilon\pi\omicron\chi\eta\varsigma$ scripsisse, testatur: *A Clitomacho sumam, qui vsque ad senectutem sum Carneade fuit, homo & acutus, vt Poennus, & valde studiosus, ac diligens, & quatuor eius libri sunt de sustinendis assensionibus &c. in Lucullo.* Legendus & de illo **EVSEBIUS**, *praeparat. euangel. libr. XIV. cap. II.* Cum magistri in omnibus vestigia prefferit, quae de Deo eiusque cultu sententia eius fuerit, facile intelligitur. Atheismum ei diserte obiicit **THEOPHILVS** Antiochenus, *libr. III. ad Autolyicum, p. m. 120.* Nec id sine omni ratione fieri, tum ex hactenus dictis constat, tum & **THOMAS REINESIVS** confirmat, qui

qui de hocce THEOPHILI loco verba faciens, diu, inquit, haesi, num fuisset in eadem haeresi, donec socraticam eius argumentationem, qua, nihil esse deos, mirifice conficit, in Sexti Empirici commentariorum aduersus mathematicos octauo, edit. Lat. Paris. fol. 282. reperirem; eamque ipsam Theophilus b. l. inuinit, laboriosum impietatis & vanitatis opus, collectionem admiratus, var. lection. libr. III. cap. VI. pag. 446.

* *Vetus quaestio*, inquit AVLVVS GELLIVS, & a multis scriptoribus graecis tractata est, in quid & quantum Pyrrhonicos & academicos philosophos intersit. Vtrique enim σκεπτικοί, ἐφεκτικοί, ἀπορητικοί dicuntur; quoniam vtrique nihil adfirmant, nihilque comprehendi putant, &c. not. Atticar. lib. XI. cap. V. pag. 265. Quodsi Ascanio Abderitae credimus, nullum reuera inter Pyrrhonicos & academicos intercessit discrimen. Auctor huius rei est DIOGENES LAERTIVS: γεναιότατα δοκεῖ φιλοσοφῆσαι τὸ τῆς ἀκαταληψίας καὶ ἐποχῆς ἀλλοῦ εἰσυγαγῶν, ὡς Ἀσκάνιος ὁ Ἀβδηρίτης φησὶ; *Nobilissime philosophiam tractasse videtur, commentus multum, quo de omnibus nihil decerneret, neque quidquam comprehendi posse diceret, vt Ascanius Abderites auctor est; libr. IX. sect. LXI.* Alii tamen discrimen aliquod sibi inuenisse vixi sunt, asserentes, Pyrrhonicos non negasse,

aliquid comprehendi posse, interim iudicium de omnibus suspendisse, adeo vt nec illud, nihil esse incomprehensibile, affirmare sustinuerint. Atque hoc etiam AVLVVS GELIVS innuit. Cum enim in reliquis eos conuenire docuisset, discrimen, quod inter eos intercedit, ita exponit: *Quum haec consimiliter tam Pyrrhonii dicant, quam academici, differre tamen inter se se, & propter alia quaedam, & vel maxime propterea existimati sunt, quod academici quidem, ipsum illud nihil posse comprehendi, quasi comprehendunt, & nihil posso discerni quasi discernunt: Pyrrhonii ne id quidem vlllo pacto videri verum dicunt, quod nihil esse verum videtur.*

§. XV.

Referrī etiam ad atheos solet ARISTOTELES.* Certe, quae de Deo, eiusque cum materia nexu necessario, mundi quoque aeternitate, docet, eiusmodi philosophiae systema exhibent, quod cum atheismo consistere queat.** A Spinozismo diuersam eius sententiam fuisse, nonnulli existimant, quia duas substantias, etsi necessario vinculo inter se coniunctas, agnouit, aliis tamen & hunc recte illi tribui, contendentibus.*** Interim, in magno errore eos versatos esse,

esse, patet, qui Aristotelis cum scriptura sacra consensum demonstrare aggressi sunt.*

* De atheismo Aristotelis extat peculiaris liber VALERIANI MAGNI, anno M DC XLVII editus. SAMUEL PARKERVS cum *atheorum omnium principem, atque ipso Epicuro apertiorrem religionis hostem*, pronuntiat, *de Deo & providentia diuina disputat. I. sect. XXIV. pag. 65.* idque deinceps fusius demonstrat *disputat. IV. sect. III. seqq. pag. 355. seqq.* GVIL. POSTELLI verba, quibus atheismum Aristoteli exprobrat, refert IO. LAVNOIVS, *de varia Aristotelis in academia Parisiensi fortuna, cap. XIV. pag. 155.* apud quem & aliorum, de Aristotele non adeo praeclare sententium, iudicia legi possunt. Sed idem quoque ex instituto sibi euincendum sumfit auctor *observationis X. tom. VIII. observation. Hallens. pag. 209. seqq.* Sunt equidem, qui pietatem Aristotelis nimis euehunt, eumque tantum non pro homine sancto, Deoque admodum grato, venditant. Vtrorumque sententias cum recensisset vir doctissimus, IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, suam hac de re *Antiquarium* hunc in modum subiungit: *Mihi quidem non videtur temere inter atheos reiiciendus esse Aristoteles; etsi mundum aeternum a Deo naturaliter ema-*

nasse sensit, etsi multos docuit graues atque maximos errores, quorum vim si omnem penetrasset, vel consecutiones vniuersas fuisset amplexus, in ἀθεότητα forte potuisset incidere, vel saltem perinde omni se exoluere religione, vt Epicurus fecit. Neque disputo, quali ipse fuerit animo erga Deum, vel num omnem eius conscientiam amoremque mente eliminauerit, in cuius operibus contemplandis per omnem fere vitam tam assidue fuit versatus. Hoc saltem adfirmo, ex scriptis Aristotelis, qualia hodie extant, hoc neutiquam constare, nec posse firmiter concludi, Aristotelem fuisse atheum, neque adeo Hippocratem ex scriptis Hippocratis &c. Nam quod non plura de Deo dixerit vterque, ferendum in philosophis, qui rationes proximas rerum naturalium exponere volebant, non ad causam primam, quam praeponebant, tanquam ad aram semper confugere &c. bibliothec. graec. lib. III. cap. VI. pag. 177: Quod moderatum viri summi iudicium vti neutiquam displicet; ita id, puto, haud difficulter concedet, ipsum philosophiae, quod Aristoteles constituit, systema, ita comparatum esse, vt quilibet atheus hoc admittere queat. Hoc & ex mox dicendis patebit. Iungenda, quae nuper hanc in rem disseruit IENKINVS THOMASIVS, in historia philosophica de atheismo cap. II. pag. 48. seqq.

** Summa

** Summa sententiae Aristotelicae de Deo huc redit: mundum aeternum esse, adeoque nec initium habuisse, nec habere finem; cum a Deo necessario productum, qui cum eo non equidem per modum *formae informantis*, sed *assistentis*, vinculo prorsus necessario sit coniunctus; cumque variae sint sphaerae coelestes, quae ab intelligentiis moueantur, Deum coelo supremo praesidere, seu intelligentiam primam atque motorem primum esse, cui adeo cura sit primi mobilis, quod veteribus est, orbis stellarum fixarum, seu octaua sphaera; secundorum autem mobilium, hoc est, orbium, in quibus planetae septem voluuntur, intelligentias secundas curam gerere; vnde & sequitur, primum illum motorem, quem Aristoteles Deum vocat, rerum sublunarium nullam curam gerere. Genuinam hanc esse Aristotelis sententiam, luculenter demonstrauit B. IACOBVS THOMASIVS, de *exustione mundi stoica dissert. II. §. XI. XVII. dissert. IV. §. I. cum primis autem dissert. XIV. §. CXXXIX. seqq. pag. 210. seqq.* add. SAM. PARKERVS, *loc. cit. disputat. IV. sect. III. seqq. pag. 355. seqq.* itemque MICHAEL MOVRGVES, qui mentem Aristotelis accurate exhibet, *dans le Plan theologique du Pythagorisme, &c. tom. I. epist. II. pag. 75. seqq.* vt & *obseruatio decima tomi VIII. obseruation. Hallens. §. XIII. p. 237.*

nec non, quae diximus, in *dissert. de Spinozismo ante Spinozam* §. XV. Haec autem Aristotelis doctrina an procul ab atheismo absit? aliis diiudicandum relinquo. Bene, ni fallor, de mente Aristotelis iudicauit B. LVTHERVS, apud VITVM LVDOVICVM SECKENDORFIVM, *hystor. Lutheranismi libr. III. §. LXXXI. num. XVII. pag. 304. Aristoteles in eam fere delabitur sententiam, vt, etsi Deum non appellet stultum, tamen ignarum rerum omnium statuatur, qui nihil negotiorum nostrorum intelligat, & videat, nihil consideret, praeter se ipsum, & tantum consideret in speculatione sui ipsius. Hoc autem etsi non est stultitiam tribuere, tamen certe est adimere scientiam, & constituere ignarum rerum humanarum. Recteque addit: Sed quid ad nos talis Deus, aut quis eius est vsus?*

*** A Stoicorum sententia in eo differebat sententia Aristotelis, quod illi Deum pro forma mundi informantem, vt in scholis loqui solent, habebant, hic autem pro forma assistente, etsi vinculo necessario cum mundo coniuncto; vt B. IACOBVS THOMASIVS solide demonstrat, *loc. cit. dissert. XIV. per integr. pag. 177. seqq.* Et haec sententia Aristotelis, a sententia Spinozae, diuersa esse videtur. Sunt nihilominus, qui a Spi-

a Spinozae impietate, sententiam Stagiritae non differre autumant. Etsi enim intelligentias sphaerarum motrices, & inter has primam seu supremam quandam, quam Deum vocat, admittat, has tamen omnes vnus substantiae vniuersalis, quae sit anima mundi, arctissimo vinculo cum materia connexa, ex eius sententia, esse partes. Ita PETRVS BAEIIVS, qui passim Aristoteli Spinozismum obiicit, in *dictionar. histor. crit. voc. Aristoteles pag. 351. voc. Caesalpinus, pag. 875. item voc. Spinoza, pag. 2780.*

- * Prae ceteris hoc ex instituto egit IOAN. ZEISOLDVS, celeberrimus quondam academiae nostrae philosophus, sed conatu haud adeo felici, in *tractatu de Aristotelis in illis, quae ex lumine naturae innotescunt, cum scriptura sacra consensu, ab eaque apparente dissensu;* Ienae M DC LXVII. 4to. Legenda autem, quae hac de re dixi in *observatione de conciliatione philosophorum cum scriptura sacra, observation. Hallens. tom. III. obseruat. XIII. §. V. & VI. pag. 239. seqq.*

§. XVI.

Ex schola Peripatetica prodiit STRATO LAMPACENVS, THEOPHRASTI discipulus, magni nominis inter Peripateticos philo-

philosophus, ob diligentem rerum naturalium inuestigationem *Physicus* dictus.* Hic non tantum atheismi accusatur, sed proxime etiam ad Spinozismum accedere videtur, etsi in quibusdam a Spinoza in diuersum abeat.**

* Vitam eius DIOGENES LAERTIVS exhibet *lib. V. sect. LVIII. seqq. pag. 298. seqq.* Docet itidem, eum *Physicum* appellatum, quod in ea speculatione prae ceteris diligentissime versatus esset. Circa finem vero, αὐτὸς δὲ ὁ Στράτων, inquit, ἀνὴρ γέγονε (καθάρτη καὶ ἀνω δεδήλωται) πολλῆς τῆς ἀποδοχῆς ἀξίος, ματρίψας ἐν παντὶ λόγων εἶδει, καὶ μάλιττά γε ἐν τῷ καλεῖσθαι Φυσικῷ, ὅπερ εἶδος ἀρχαιοτέρον τε καὶ σπουδαϊότερον. Ceterum Strato ipse, sicut & supra declaratum est, vir insignis & summa admiratione dignus fuit, in omni disciplinae genere versatus, sed physicae maxime studiis excellens, quod genus & antiquius est, & multorum praeclara ingenia exercuit. Idem vero FLVTARCHO audit: τῶν ἄλλων περὶ παθητικῶν ὁ κορυφαῖότατος Στράτων, Peripateticorum reliquorum summus Strato; aduersus Colotem pag. 115.

** CICERONIS pariter atque PLVTARCHI loca, ex quibus sententia eius colligi queat, recitavi in *dissertat. de Spinozismo ante Spino-*

zam §. VI. Haec vero eo redit, systema mundi consistere posse, etsi nullus admittatur Deus. Negavit enim, teste CICERONE, se Deorum opera uti, ad fabricandum mundum. Hoc ipso vero, ut satis demonstrat, nullam illi fieri iniuriam, si in atheorum classem referatur; ita, quae Spinozismo consentanea sunt, docuit, dum ipsam materiam, ex qua mundus hic compositus est, pro Deo habuit, vel, ut CICERO loquitur, *omnem vim diuinam in natura sitam esse*, censuit. In eo tamen a Spinoza dissentit, quod cum Epicuro materiam in plurimas particulas discernat, cum Spinoza contra unam huius uniuersi substantiam statuat; quemadmodum rursus ab Epicuro in eo discedit, quod pro materia stupida vitaeque omni destituta, substituat, vitam quadam naturali & plastica instructam, sensus tamen omnis atque cognitionis expertem, ut pluribus a me *loc. cit.* ostensum; add. PETRVS BAELIUS, *dictionar. historico-erit. voc. Spinoza, pag. 2767.*

§. XVII.

Inter reliquos Socratis discipulos & ARISTIPPVS fuit, Cyrenaicae sectae conditor, & EVCLIDES Megarensis, a quo Megarici originem ducunt. Et Cyrenaici quidem

quidem cum in corporis voluptate summum hominis bonum collocarent, * mirum non est, extitisse inter eos, quibus atheismus non sine omni, vt videtur, ratione obiectus fuit, vt THEODORVS, cognomine *ἄθεος* dictus, ** eiusque discipulus BION BORISTHENITES. *X* Megarici autem cum ex Socratica disciplina nihil praeter acumen disputandi retinuisent, caillationibusque logicis toti dediti essent, ad eandem facile progredi stultitiam poterant. Certe STILPONEM, qui ex hac schola fuit, inter atheos referri, constat. *

* Aristippum ceterosque Cyrenaicos in voluptate corporis, summum hominis bonum collocasse, testatur DIOGENES LAERTIVS, *lib. II. sect. LXV. & LXXXVII.* XENOPHONTEM librum contra voluptatem, ad refellendam Aristippi sententiam scripsisse, idem DIOGENES auctor est, *l. c.* add. CICERO, de *officiis lib. III. cap. XXXIII.* Atheismum itaque, quem vocant, practicum, Cyrenaicis eminentiori quadam ratione recte tribui, nemo inficias iuerit. Hinc vero facilis ad theoreticum transitus. SAM. PARKERVS, de Theodoro atque Bione verba faciens, & utrosque *quidem,*

quidem, inquit, longe scelestiores fuisse, quam fuisse accusantur, hac sola ratione, etiamsi nullo veteris auctoris testimonio euinci possent, non dubito, quod Aristippi disciplinam secuti fuerint, cum is nihil noui sibi que peculiare introduxerit, aut introducere sudauerit, quam philosophiam a pietate disiunctam; de Deo & prouidentia, dissert. I. sect. VIII. pag. 20.

** Non tantum deos esse negauit Theodorus, sed & librum scripsit, quibus omnia, quae contra vrgeri solent, refutaret, ex quibus plurima Epicurum desumisse perhibent. Hoc **DIOGENES LAERTIUS** nos condocet *libr. II. sect. XCVII.* vbi librum Theodori *ἄτακτα* *ἠθικῶν* minime contemnendum vocat, quia scilicet & ipse sectae Epicureae addictus fuit. **SVIDAS** auctor est, eum multa scripsisse, ad sectam ipsius spectantia, voc. *Θεόδωρος* pag. m. 176. edit. **KVSTERI.** Praeter alios Theodorum hunc inter atheos & **CICERO** refert: *quid? Diagoras atheus, qui dictus est, posteaque Theodorus, nonne aperte deorum naturam sistulerunt? libr. I. de natura deorum, cap. XIV.* Sane aliter de eo sentit **STRABO**, *geograph. libr. XIII. pag. 625.* & qui ex recentioribus eum sequitur **IS. CASAVBONVS** ad *Diogenis loc. cit.* Sed & **GERHARDVS IOANNES VOSSVS** Theodorum ob reiectam gentilium deo-

deorum multitudinem, inter atheos relatum, haud obſcure innuit, de *origine & progreſſu idololatriæ libr. I. cap. I.* quod & MICHAEL MOYRGVES facit *dans le Plan theologique du Pythagoriſme tom. I. epistol. III. pag. 96.* Nullas autem, quæ ab hac ſuſpicionẽ Theodorum liberare queant, a viris eruditiffimis allatas rationes video. Patrum quorundam, teſtes veritatis contra polytheiſmum gentiliũ vndique conquiẽrentium, & ab atheiſmi ſuſpicionẽ facile abſoluentium, quorum teſtimonia ſibi uſui eſſe putabant, effata, hic in cenſum non veniunt. Quod ſemel monuiſſe ſufficiat.

*** Eriſi Bion præter Theodorum, de quo iam dictum, alios quoque magiſtros habuerit, Theodoriæ tamen ſectæ ſe addiẽtum eſſe, tota vitæ ratione ſatis ſuperque teſtatus eſt. Legi ea poteſt apud DIOGENEM LAERTIVM, *lib. IV. ſect. XLVI. ſeqq.* In morbum grauiſſimum cum incidiſſet, idem illi contigit, quod ſubindẽ impiis hominibus contingere ſolet, vt ad alterum extremum procurreret, & in anilem ſuperſtitionem prolaberetur; verſibus quibusdam ideo agiatus a DIOGENE LAERTIO, *loc. cit. ſect. XV.* Sed legi quoque atque expendi merentur, quæ hac de re habet PETRVS BAELIVS, *diſtion. hiſtor. erit. voc. Bion, pag. 602.*


* Paſſim

* Passim & hic inter atheos refertur. Auctor est DIOGENES LAERTIVS, de Phidiae Minerua hanc eum proposuisse quaestionem: *Num Minerua Iouis filia Deus est?* cumque ille, qui interrogabatur, annuisset, dixisse: *at ista non Iouis, sed Phidiae est.* Concedente illo, *non ergo, inquit, ipsa Deus.* Qua ex re cum in Areopagum pertractus fuisset, nihil inficiatum ferunt, immo recte se locutum asseruisse; *non enim Deum esse, sed deam; deos quippe mares esse.* Areopagitas tamen nihilo placatiores factos, iussisse eum vrbe excedere, *libr. II. sect. CXVI.* Ex quibus licet sophisticum Stilponis ingenium facile agnoscas, atheismi tamen nondum conuinci potest, cum nihil aliud inde sequatur, quam quod gentilium, statuas ab hominibus factas pro diis colentium, stultitiam irriserit. Maioris momenti esse videtur, quod idem DIOGENES, *loc. cit.* refert, a Cratete eum interrogatum: *an dii precationibus ac diuinis honoribus gaudeant?* respondisse: *noli me, fatue, in via de hisce rogare, sed solum ac seorsum.* Licet vero inde satis constet, Stilponem palam suam de diis sententiam prodere noluisse; potest tamen & hoc de superstitione gentilium intelligi; quam reiicere non minus periculosum erat, quam veri Numinis existentiam in dubium vocare.

AEGIDIUS MENAGIVS tamen hinc infert:

D

Fuis

Fuit Stilpon parcus deorum cultor, & infrequens; immo a  *; quem in finem & ad ATHENAEI quandam narrationem de Stilpone prouocat, quae extat libr. X. cap. V. de qua tamen, vt & reliquis, quae de hocce philosopho moneri poterant, vid. PETRVS BAEIIVS, dictionar. hiflor. crit, voc. Stilpon, pag. 2794. feqq.*

§. XVIII.

Praeter Aristippum, aliosque, & ANTISTHENES ex Socratis disciplina prodiit, a quo *Cynici*, vt ab his *Stoici* originem ducunt.* Inter Cynicos DIOGENES ille Sinopenfis eminet, qui, vt omnem operam nauauit, ne aliquid pudoris retinuisse videretur, ita a summa haud procul abfuisse impietate, coniecturae haud adeo incertae indicant.** Ad Stoicos autem quod attinet, licet splendida passim & magnifica eorum de Deo, eiusque prouidentia, virtutibus sectandis, vitiisque fugiendis extent effata; *** ipsum tamen philosophiae, quam professi sunt, systema, si paulo accuratius consideres, ad Spinozismum proxime illud accedere, deprehendes.

Interim

Interim fuisse inter eos viros honestatis & externae virtutis studiosos, non negauerim.

* Zeno namque Cittieus, Crateſis Thebani, philoſophi Cynici, diſcipulus fuit, quamuis idem academicos quoque, Xenocratem, Polemonem, aliosque, audiuerit. vid. **DIOGENES LAERTIVS**, *lib. VIII. ſect. I.*

** Inter rationes, quibus Cynicus hicce philoſophus in atheiſmi ſuſpicionem adducitur, eminent illud, quod de eo memoriae prodidit **CICERO**: *Diogenes quidem Cynicus dicere ſolebat, Harpagum, qui temporibus illis praedo felix habebatur, contra deos teſtimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viveret; & iterum: Improborum igitur proſperitates ſecundaeque res redarguunt, ut Diogenes dicebat, vim omnem deorum ac paupertatem; de natura deor. lib. III. cap. XXVII.* At inde id quidem ſequitur, diuini Numinis prouidam curam Diogenem non credidiſſe, quippe quam hac ratione ludibrio exponere voluit, atheum ſtriſte ſic dictum inde conficere nondum licet, etſi coniecturam haud leuem praebet. Alias rationes, quibus idem probari queat, adfert **PETRVS BAEIVS**, qui, licet ſimul oſtendat, quid ad eas pro liberando ab hac ſuſpicionem

D a

Dioge

Diogene responderi possit, cum tamen absolute non audet, sed rem in medio relinquit, *dictionar. histor. critic. voc. Diogenes, pag. 1053.* Eum sub *αἰδία Φοβία* praetextu non decori modo, sed honestatis limites proterue migrasse, certum, adeoque exiguum Numinis sensum in animo habuisse, necesse est.

*** Haec magno numero apud SENECAM, EPICTETVM, M. AVRELIVM ANTONINVM,prehenduntur, sed ita comparata sunt, vt aut documento sint, posse quandoque ex falsis principiis veram deduci conclusionem, aut ostendant, Stoicos non semper principiis suis consentanea docuisse, quod & aliis philosophis quandoque contigit; conf. PETRVS BAEIVS, *diction. hist. & critic. voc. Spinoza, pag. 2768. col. 1. circa fin.*

* Non tantum enim Deum supremum pro anima mundi habebant, sed indissolubili vinculo cum materia coniungebant. Cumque Aristoteles Deum tantum pro forma mundi *assistente* haberet, Stoici omnino eum formam mundi *informantem* esse statuebant, vt luculenter euicit B. IACOBVS THOMASIVS, de *exust. mundi Stoica, dissert. XIV.* cui titulus: *Stoicus Deus forma mundi informans, pag. 177. seqq. add. dissert. de Spinozismo ante Spinozam, §. XVIII. Quo ipse*

ipſo profecto propius adhuc ad Spinozismum accedunt, quam Ariſtoteles. Luculentiffime etiam hoc ex illorum de ſummo bono doctrina patet. Cum enim Zeno Citieus finem bonumque vltimum dixiſſet ὁμολογεῖσθαι ζῆν, *conuenienter viuere*, quod de virtute, vt pote quae ſibi ſemper conſtat, capit SENECA, *ep. LXXIV.* Cleanthes vocem naturae addidit, aſſeruitque, vltimum finem eſſe, ὁμολογεῖσθαι τῇ Φύσει ζῆν vel συμφώνως τῇ Φύσει ζῆν, *conuenienter vel conformiter naturae viuere.* Quod ſi quaeſas, quid naturae voce ſibi velint Stoici? reſpondebit SENECA: *Quid aliud eſt natura, quam Deus, & diuina ratio toti mundo & partibus eius inſerta? libr. IV. de benefic. cap. VII.* Et alibi idem SENECA: *vis Deum naturam vocare, non peccabis: eſt enim, ex quo nata ſunt omnia, lib. II. quaest. natural. cap. XLV.* Deus ergo & natura Stoicis vnum idemque. Vnde & patet, quo pacto intelligendum ſit, quando docebant, ſummum bonum in eo poſitum eſſe, vt *Deum ſequamur*, item, *ſapientem virum cum diis viuere*; & quae reliqua erant eiusdem commatis. Eo nimirum cuncta redibant, fati legibus, quibus tota natura regeretur, obediendum eſſe. Quod ſimul documento eſſe poteſt, quam impia dogmata haud raro ſub ſplendidiffimis effatis tegantur. Non itaque

quenquam etiam eorum de prouidentia dicta morabuntur. Praeterquam enim, quod antea iam obseruatum sit, philosophos non semper, quae principiis suis consentanea sunt, docere, cuncta tandem in factum aliquod resoluuntur, quo nomine ut ipsimet, quid sibi voluerint, non satis intellexerunt, ita *fati Stoici malignitatem* satis demonstrauit B. IACOBVS THOMASIVS, de *exust. mundi Stoica dissertat. XIII. pag. 166. seqq.*

** Plerosque Stoicorum maximos in vita fuisse hypocritas, constat, idque vel HORATIUS omnes condocere potest, tum alibi, tum maxime *libr. II. sat. III. conf. FRIDERICVS RAPPOLTVS, commentar. ad libr. II. sermon. cap. IX. pag. 310. seqq.* Fuisse tamen & inter eos viros honestos, & externae virtutis studiosos, exemplum SENECAE, EPICTETI, M. AVRELII ANTONINI, & aliorum quorundam, nos dubitare non sinit. Etsi enim isti secundum sectae suae principia de Deo non poterant non peruersissime sentire, externam tamen virtutem sectati sunt, siue animi tranquillitatem inde sperarent, siue quod alias ob rationes id sibi expedire crederent.

§. XIX.

Iam, si ad Eleaticam sectam accedamus, huic atheismus velut proprius fuisse videtur. * Immo cum Spinozae deliriis prorsus illorum conuenerunt dogmata. XENOPHANES namque Colophonius, vnum omnia esse, docuit. ** Nec alia ratione PARMENIDES, *** MELISSVS, * atque ZENO Eleates, ** vt omnem motum, omnesque adeo generationes atque corruptiones negarent, inducti videntur, quam quod vnicam tantum crederent substantiam. LEVCIPPVS *** atque DEMOCRITVS, * ex fortuito atomorum concursu mundum construentes, Dei in eo producendo & conseruando, operam sibi minus necessariam videri, testabantur. Hunc equidem, sed ad mortem saltem, vt videtur, declinandam, in systema suum introduxit EPICVRVS, at talem, qui nulla rerum humanarum cura tangeretur. ** Ne quid nunc de DIAGORA, *** PROTAGORA, * huiusque discipulo, PRODICO CEO, ** atque ALEXANDRO Epicuraeo *** dicamus, quibus atheismum non sine ratione, vt arbitror, obiectum fuisse, constat.

D 4

*No-

* Nomen habet Eleatica secta a Lucaniae urbe, quae Romanis *Velia*, Graecis autem *Ἐλία* dicebatur. Parmenides namque & Zeno, quibus haud exiguum haec secta incrementum debet, Eleatae fuerunt. Sunt, qui putant, Eleaticam sectam a Pythagora, originem ducere, cuius tamen vestigia in doctrina de Deo Leucippus, Democritus, aliique, minime secuti sint, immo quae ab illo recte tradita sint, in atheismi patrocinium arripuerint. Ita SAM. PARKERVS, qui de Italicae successionis philosophis, quorum Eleaticos refert, verba faciens, multo magis perspicuam eorum causam esse, pronuntiat, *cum plane quidem constet, Leucippum & Democritum, qui a Pythagora, aliisque suae sectae antiquioribus genuinam philosophandi rationem acceperunt, ea non magis improbe, quam indocte in atheismi patrocinium usos fuisse; de Deo & provident. diuina disput. I. sect. X. pag. 24.* Ad Pythagoram equidem quod attinet, cum inter illos quoque, quibus atheismus obiectus fuit, referendum, vel ex THEOPHILO Antiocheno constat; cuius *libr. III. de Autohycum pag. m 120.* haec de eo extant verba: *Πυθαγόρας δὲ τῶν πάντων μοχθήσας περὶ θεῶν, καὶ τὴν ἀνω καὶ κάτω πορείαν ποιησάμενος, ἔχατον ὀρέσκει φύσιν καὶ αὐτοματισμὸν εἶναι.* Φησὶτε

ὅτι τῶν πάντων θεὸς ἀνθρώπων μηδὲν
 φροντίζει. Quae verba ita vulgo vertun-
 tur: *Pythagoras magno labore summa ima-
 que perscrutatus, extremum naturam Deum
 esse autumat, adstruitque, omnia fortuito fieri,
 & Deum mortalium nullam curam gerere &c.*
 Sed ita potius reddenda, recte obseruavit
 THOMAS REINESIVS: *Pythagoras, postquam
 adeo de diis laborasset, & huc illuc (apud
 varias gentes peregrinatus) discurrisset, vl-
 timum (tandem) determinat, cum naturam
 esse, fierique omnia fortuito; dicit etiam,
 deos hominum nullam habere curam.* Ad
 rem ipsam vero quod attinet, Pythagoram
 ab ea, quam THEOPHILVS illi tribuit, sen-
 tentia, longissime abfuisse, idem, quem iam
 laudauimus, REINESIVS, docet: *de Deo enim,
 inquit, eum longe alia sensisse, vel sexcenti
 testes sunt: nimirum in eius schola Deum esse
 effectorem mundi, non negandum est; cum
 enim Deum adpellauit ΨΥΧΩΝ, quid aliud,
 quam auctorem vitae, motuum, caloris, lucis
 faciebat? idemque dogma non solum notarum
 obscuritate obduxit alias, sed etiam diuturno
 silentio inuolui curauit; ne profanis temeri-
 tatibus contaminaretur, si prostacket publica
 rei omnium absconditissimae notitia. Proui-
 dentiam etiam diuinam, quae spem omnem
 potentiamque hominum superet, habito coram
 Plaalaride cum Abaride colloquio, adstruxit,*

Iamblichus lib. I. de vita Pythag. cap. XXXIII &c. variar. lectio. lib. III. cap. VI. pag. 445. Dubium tamen alicui mouere potest, quod CICERO de eo perhibet: *Pythagoras, qui censuit (Deum) animum esse per naturam rerum intentum & commeantem, ex quo nostri animi caperentur, non vidit, distinctione animarum humanorum discerpi & dilacerari Deum &c. de natura deor. libr. I. pag. 9.* Quod eiusmodi profecto est, vt, si haec mens eius & sententia fuit, ab omni errore, etiam tali, qui ad Spinozismum ducit, non prorsus absolui queat: nec tamen cum Spinozismo ideo prorsus conuenit, cum Deum a materia distinguat. Idque & inde porro liquet, quod naturam in duo principia diuisit, *causam effectricem, quae est mens seu Deus, & materialem, seu passionibus subiectam, quae est mundus visibilis; apud PLVTARCHVM, de placitis philosophorum libr. I. cap. III. add. SAMVEL PARKERVS, loc. cit. pag. 24.* Alii contra in contrarium currentes, superstitionis, speciatim magiae Pythagoram accusant; a qua tamen criminatione eum liberare annititur GABRIEL NAVDAEVVS, *apologie pour les grands hommes, soupçonnés de magie, cap. X. pag. m. 136. seqq.* An autem, & quousque, magia cum atheismo consistere queat, ex infra dicendis patebit.

** Te-

Testis huius rei est CICERO, qui, cum Anaxagorae adduxisset sententiam, de Xenophane addit: *Xenophanes paulo etiam antiquior, unum esse omnia, neque id esse mutabile, & id esse Deum, neque natum usquam & sempiternum conglobata figura; quaestion. academ. libr. II. pag. 1044.* Alibi equidem idem CICERO sententiam Xenophanis ita exprimit, ut mentem ab infinito, hoc est, Deum ab hoc uniuerso, discernere videatur, *de natura deorum, libr. I. pag. 44.* Sed ibi cum parum accurate locutum, ostendit PETRVS BAEIVS, *dictionar. histor. critic. voc. Xenophanes, pag. 3034.* ubi & ARISTOTELIS de Xenophane testimonia adfert, & sub examen reuocat. Addantur, quae dixi in *disseruat. de Spinozismo ante Spinozam §. VII.* Nec abludunt, quae de Xenophane refert DIOGENES LAERTIVS, de Deo cum ita existimasse: *Dei substantiam globosam esse, nihilque cum hominibus habere commune. Totum cernere, totumque audire, non tamen respirare. Συμπαντὰ τὸ εἶναι, simulque omnia, mentem, prudentiam, aeternitatem; lib. IX. sect. XIX. pag. 558.* Quae verba ut eo rectius intelligantur, conferenda, quae ad *b. l.* notauit THOMAS ALDOBRANDINVS. Idem, quem iam laudauimus, PETRVS BAEIVS ex DIOGENE LAERTIO, *loc. cit.* & EUSEBIO *praeparat. euangel. lib. XIV. cap. XIV.* docet,

docet, totam sectam Eleaticam, vnitatem rerum omnium, atque earum immobilitatem statuisse; quorum prius atheismi, posterius scepticismi primum fuit principium. Plenius idem nexum totius systematis horum philosophorum exhibet, *l. c. p. 1042.* add. THOMAS STANLEIVS, *hystor. philosoph. part. X. cap. II. pag. 874.* vbi, quae BAEIIVS hac de re dixit, repetuntur.

*** Parmenides Eleates, Xenophanis, teste CLEMENTE Alexandrino *lib. I. Strom. p. 301.* auditor, teste autem THEODORETO, *lib. II. de curat. graecar. affection. p. 159.* socius eius, inter praecipuos Eleaticae sectae philosophos locum obtinet. Eum in multis a Xenophane discessisse, veteres tradidere; speciatim DIOGENES LAERTIVS, *lib. IX. sect. XXI. pag. 560.* In eo tamen, quod caput causae erat, cum consensisse, eodemque adeo iure atheismi argui, vel ex EVSEBIO patet, *praeparat. euangel. lib. I. cap. VIII.* cuius, quae huc spectant, verba recitavi, in *dissertat. de Spinozismo ante Spinozam, §. VIII.* add. PETRVS BAEIIVS, *voc. Xenophanes, pag. 3035. & 3042.* Testis quoque huius rei ipse est ARISTOTELES, secundum quem Parmenides docuit, *omnium rerum vnum esse principium, & id immutabile quidem. Vnum omnia & ens infinitum esse, quicquid vero est praeter ens,*

ens, id non ens esse, atque nihil. Ens vero unum esse, quicquid ergo est praeter unum, id esse nihil; omnia igitur unum sunt; *phys. libr. I. cap. II.* Quem ARISTOTELIS locum etiam THOMAS STANLEIVS laudat, *hist. philosoph. part. X. cap. II. pag. 877.* Lúculenter vero inde patet, & Parmenidem, vnam tantum admisisse substantiam.

- * Melissus Samius, fuit discipulus Parmenidis, & cum Heraclito etiam versatus est. vid. *DIOGENES LAERTIVS, libr. IX. sect. XXIV.* Parmenidem quoque secutus, principium rerum unum & immutabile statuebat, unum scilicet haec omnia esse, & ens infinitum. Idque, vt ARISTOTELES *loc. cit.* auctor est, sequenti ratione euincere annisus est: *Id quod factum est, principium habet; id quod non factum est ergo, neque principium habet. Vniuersum vero, siue hoc quod est, factum non est; principium ergo non habet; immo nec finem. Infinitum ergo est, adeoque & unum; infinita enim plura dari, repugnat; ergo & immutabile erit; omnia enim occupat, neque quippiam est, a quo moueatur. Nec praetermittendum, quod *DIOGENES LAERTIVS, loc. cit.* de eo refert: ἀλλὰ καὶ περὶ θεῶν ἔλεγε, μὴ θεῶν ἀποφαινεῖσθαι, μὴ γὰρ εἶναι γινῶσιν αὐτῶν. De diis nihil definiendum dicebat, neque enim illorum certam esse cognitionem.*

** Ze-

** Zenonem Eleatem consentanea doctrinae Xenophanis & Parmenidis docuisse, vel ex iis patet, quae ex ARISTOTELE referret THOMAS STANLEIVS, *hist. philos. part. X. cap. III. pag. 883*. Summa eo redit, non multa, sed vnum esse, idque vnum esse Deum. Non tantum discipulus, sed &, iuxta quosdam, filius adoptiuus Parmenidis fuit. vid. DIOGENES LAERTIVS, *libr. IX. sect. XXV*. Quem admodum autem iam antea obseruauimus, sententiam de vna, eaque immobili & immutabili substantia, quae Eleaticis propria fuit, eosdem ad ἀπαταλησίαν, adeoque scepticismum perduxisse, ita, si SENECAE, *epist. LXXXVIII*. fidem adhibere velimus, Zeno ad summum scepticismi gradum progressus est, asserendo, in hoc vniuerso nihil esse. Quod tamen cum ingenii acumine, quo Zeno claruisse dicitur, vix conciliaueris; adeoque post IVSTVM LIPSIVM, *manuduct. ad philosoph. Stoic. lib. II. dissertat. IV*. non sine ratione in dubium vocatur a PETRO BAELIO, *voc. Zenon. pag. 3058*.

*** Leucippum Zenonis auditorem fuisse, testatur DIOGENES LAERTIVS, *lib. IX. sect. XXX*. Atomorum primum eum inuentorem esse, idem DIOGENES auctor est: πρώτος τῶν ἀτόμων ἀρχαῖς ἐπισημαίνο, *primus hic atomos principia subiicit*. Sunt equidem, quibus doctrina

doctrina de atomis antiquior videtur. Posidonius namque Moschum quendam, hominem Sidonium, qui ante belli Troiani tempora vixerit, eius inventorem praedicat apud STRABONEM, *libr. XVI. pag. 512.* & apud SEXTVM EMPIRICVM, *aduers. mathem. pag. 367.* Sed infirmitas hanc Posidonii traditionem niti talo, gloriamque inventae huius hypotheseos Leucippo eripi non posse, ostendit THOMAS BURNETIVS, *archaeolog. philosoph. libr. I. cap. VI.* cui & suffragatur PETRVS BAÉLIVS, *voc. Leucippus pag. 1803. & 1804.* Quicquid huius sit, ob hypothesein de atomis in se spectatam non reprehendendus, sed laudandus potius est LEUCIPPVS, quippe quae si recte adhibeatur, doctrinae naturali accuratius excolendae mirifice inseruit; sed hoc potius nomine culpandus venit, quod hoc de atomis principio ita vsus sit, vt omnem causam effectricem excluderet, & aeternitatem atomorum asserens, & ex fortuito illarum concursu, sine moderatore, cuncta producta, contendens, & hac ratione Deum ex hacce mundi machina remouens. Et hac quidem ratione CICERO, Democriti, & ante eum Leucippi flagitium fuisse, recte dicere potuit: *e corpusculis effectum esse coelum ac terram, nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito;* *libr. I. de natura deorum.* Refutare Leucip-

Leucippum aggressus est LACTANTIUS, *diuin. institut. lib. III. cap. XVII.* Sed non in omnibus aequè feliciter, ut ostendit PETRVS BAEIIVS, *loc. cit. pag. 1804.* add. IENKINVS THOMASIVS, in *historia philosophica de atheismo, cap. V. §. II. pag. 84. seqq.*

- * Cum Democritus hypothésin de atomis eadem ratione, qua Leucippus, assumeret, de Deo quoque eum non sensisse rectius, inde liquet; conf. DIOGENES LAERTIVS, *libr. IX. sect. XLIV.* Diffitendum tamen non est, veteres in sententia Democriti de Deo exprimenda, non prorsus inter se conuenire. CYRILLVS Alexandrinus, cum de Thalete Milesio adseruisset, eum Deum pro mente mundi habuisse, Democritum Abderitem ei quodammodo assentiri, ait, sed & aliud adiecit: *ὄν μὲν γὰρ εἶναι τὸν θεὸν ἰχυρίζεται καὶ αὐτὸς, πλὴν ὅτι περὶ σφαιροειδεῖ, καὶ αὐτὸν εἶναι τὴν τῷ κόσμῳ ψυχὴν;* contendit enim & ipse, Deum esse mentem, verum ipsam in sphaera ignea esse, videlicet mundi animam; *libr. I. contra Iulian. pag. m. 28.* Quod ex PLVTARCHO desumpsisse videtur, de *placitis philosophorum, libr. I. cap. VII.* ubi eandem de Deo sententiam Democrito tribuit. Aliter adhuc mentem eius de Deo exprimit VELLEIVS apud CICERONEM: *Quid? Democritus, qui tum imagines; e-*
tumque

rumque circuitus in deorum numero refert, cum illam naturam, quae imagines fundat, ac mittat, tum scientiam intelligentiamque nostram, nonne in, maximo errore versatur? cumque idem omnino, quia nihil semper suo statu maneat, neget, quicquam esse sempiternum, nonne Deum ita tollit omnino, ut nullam opinionem eius reliquam faciat? de natura Deorum libr. I. pag. 46. Quae si Democriti sententia fuit, inter eos profecto, qui crassissima quadam ratione atheismum professi sunt, referri meretur. Natura enim, quam Deum vocavit, ex ipsius sententia nec vna, nec aeterna, nec immutabilis est, nec reliquis diuinae essentiae attributis gaudet. Immo Dei nomen imaginibus, & ideis obiectorum, & actui intellectus, quo obiecta haec cognoscimus, tribuit. Quantumvis autem PETRVS BAELIYS hanc Democriti sententiam ob subtilitatem laudet, eamque non nisi a magno ingenio proficisci posse, contendat, immo CICERONI, *haec omnia patria Democriti (Abdera) quam Democrito digniora esse, pronuntianti, irascatur, ipse tamen diffiteri tandem nequit, absque ea esse; quemadmodum & reuera sunt; voc. Democritus, pag. 1030.* Quamcumque autem ex haecenus allatis Democrito sententiam tribuas, id inde patet, nullam ei fieri iniuriam, si in atheorum numerum referatur.

E

ratur.

ratur. Iungenda, quæ de Leucippo pariter ac Democrito grauiter pronuntiat SAM. PARKERVS, de *Deo & prouidentia disput. I. pag. 26.* Referuntur equidem de Democrito etiam talia, quæ cum magiæ, adeoque superstitionis, suspectum reddunt. Quod cum atheismo eius non videtur consistere posse. Sed si recte cuncta ponderentur, aut de magia naturali, seu curiosa occultarum rerum inuestigatione, intelligenda sunt, aut nullo certo fundamento innituntur, ne dicam scripta quaedam, ex quibus eiusmodi quid colligi queat, perperam Democrito tribui; conf. IOANNES ALBERTVS FABRICIUS, *bibliothec. graec. libr. II. cap. XXIII. pag. 809.* vbi scripta, quæ Democriti nomen mentiuntur, recenset; itemque GABRIEL NAUDAËVS, *apolog. pour les grands hommes soupçonnez de Magie, cap. XII. pag. 187. seqq.*

* Prouidentiam diuinam negasse Epicurum, & plurimi veterum tradidere, & non semel ei a Stoicis, licet re ipsa non rectius de Deo sentientibus, aliisque, exprobratum fuit. Nec aliter sentire poterat, qui deos in intermundiis positos vitam beatam agere, existimabat; immo, vt naturæ diuinæ nihil conuenientius, quam vitam beatam, ita
vita

vitae beatae nihil aduersum magis, quam curis variis, rerumque aliarum administratione turbari, arbitrabatur. Hinc SENECA ex mente Epicuri: *Itaque non dat Deus beneficia, sed securus & negligens nostri, auersus a mundo aliud agit, aut, (quae maxima Epicuro felicitas videtur) nihil agit, nec magis illum beneficia, quam iniuriae tangunt; de benefic. lib. IV. cap. IV. Et cap. XIX. eiusdem libri: Tu denique, Epicure, Deum inermem facis. Omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam, & ne cuiquam metuendus esset, proiecisti illum extra mundum. Hunc igitur insepsum ingenti quodam & inexplicabili muro, diuisumque a contactu & a conspectu mortalium, non habes, quare verearis, nulla illi nec tribuendi, nec nocendi materia est. In medio interuallo huius & alterius coeli desertus, sine animali, sine homine, sine re ruinas mundorum, supra se circaque se cadentium euitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus. Similia apud CICERONEM, libr. I. de nat. deorum, pag. 281. aliosque, passim occurrunt. Sed suffragatur quoque DIOGENES LAERTIVS, ex mente Epicuri ita pronuntians: *ὅ γὰρ συμφωνῶσι πραγματοῖαι, καὶ Φροντίδες, καὶ ὄργαι, καὶ χάρεις μακαριότητι, ἀλλ' ἂν θενεία, καὶ φόβῳ καὶ προσδεήσει τῶν πλησίων ταῦτα γίνεται. Neque enim beatitati conueniunt negotia & curae, & irae, & gratiae,**

sed ob infirmitatem, ac timorem, & indigentiam proximorum ista fiunt; libr. X. sect. LXXVII. Hanc quoque Epicuri mentem fuisse, adeo non dubitat PETRVS GASSENDVS, magnus ceteroquin eius admirator, vt potius eam in illo ceu erroneam refellat, in *notis ad libr. X. Diogenis Laërtii, tom. V. opp. pag. 128. & physicae sect. I. lib. IV. cap. VI. pag. 319.* In aliam nihilofecius sententiam abiit IACOBVS RONDELLVS, in *libro de vita & moribus Epicuri*, Amstelodami, anno M DC XCH edito, negatam ab Epicuro prouidentiam abnuens. Statuisse equidem eum, deos non curare tempestatum serenitatisque vices, generationes meteororum & corruptiones, aliaque physices innumera, quippe qui mundo satis virium ac roboris ad semet sustentandum inesse, crediderit. Non debere tamen eum ideo tantoperè vituperari, cum & inter ipsos christianos effati huius propugnatores nonnulli inueniantur, nec desint inter theologos, qui prouidentiam diuinam tantum ad res morales & theologicas restringant. Verum haec an omnibus persuasurus sit RONDELLVS, valde dubito. Quod enim Epicurus prouidentiam diuinam a rebus humanis etiam remouerit, vel inde patet, quod beatitati, vt DIOGENES LAERTIVS docet, nec *curas, nec iram, nec gratiam, conuenire, existimauerit.* Ira, autem

tem

tem ac gratia Numinis, quo pacto in res inanimatas cadat, profecto non capio. Praeterea providentiae diuinae negatio cum systemate Epicuri prorsus consentit, praesertim cum primo eius principio, in animi voluptate, seu tranquillitate, summum hominis consistere bonum. Haec enim tranquillitas cum nulla alia re magis, quam Numinis metu turbetur, nec homo ethnicus, quod ei opponeret, remedium inuenire poterat, nihil aliud ei relictum erat, quam ut Numinis providentiam in dubium vocaret. Impiam hanc sententiam esse, & ad omnem Numinis cultum euertendum comparatam, adeoque ad atheismum proxime accedere, nemo temere dubitauerit. Nihilofecius nonnulli nobis multa de pietate Epicuri, & Numinis veneratione, narrant. Qua in re, ut sibi constaret, *propter maiestatem Dei eximiam, singularemque naturam eius* illud se colere, videri volebat; conf. SENECA, *lib. IV. de beneficiis, cap. XIX.* Iungenda, quae hanc in rem collegit PETRVS GASSENDVS, *de vita & moribus Epicuri, lib. IV. cap. III. tom. V. opp. pag. 201. seqq.* Sane quidem generoso admodum animo fuisse Epicurum oportet, si Deum tantum ob naturae praestantiam coluit, probe sciens, eum nulla sui cura tangi. Qua in re an multi eius exemplum imitaturi sint? valde dubito. Multo

autem magis dubito, an serio & ex animi
 sententia hoc egerit. Certe ad poenam cui-
 tandam, pietatem deorumque cultum eum
 prae se tulisse, diserte innuit CICERO, de
nat. deor. libr. I. pag. 123. Estque hoc prin-
 cipiis Epicuri longe conuenientissimum,
 a quibus tam acuti ingenii virum in vita
 discessisse, non est verosimile. PETRVS BAE-
 LIVS suspicionem CICERONIS, ad poenam
 euitandam Epicurum Numinis cultum prae
 se tulisse, non prorsus reiicere audet, acqui-
 tati tamen & charitati conueniens esse pu-
 tat, vt de occultis aliorum sententiis in me-
 liorem pronuntiemus partem, remque
 omnem Deo cordium scrutatori permitta-
 mus, *voc. Epicurus, pag. 1133.* Quod lubens
 concedo, modo rationes grauiores non ob-
 stent. Quod vero idem addit, nullam esse
 causam, cur credere non debeamus, Epicu-
 rum ideam de cultu Numinis, qui sola eius
 praestantia, insuper habita prouidentia, ni-
 tatur, habuisse, cum theologi *ὁρθοδοξό-
 τισι* eandem quotidie commendent, asseren-
 tes, colendum amandumque Deum esse, etsi
 nulla spes coeli, nullus inferni metus sit, hoc
 serio & ex animi sententia eum dixisse, vix
 credo. Immo, nisi me omnia fallunt, my-
 sticorum quorundam huc collimantes sen-
 tentias, exagitare hac ratione voluit. Minus
 adhuc ab atheismi suspicionem eum liberari
 posse,

posse, idem vir doctus censet *loc. cit.* si asseruisset, deos, vt reliqua omnia, ex atomis esse compositos; hac enim ratione mortales & corruptioni obnoxios, hoc est, non deos statuisset; sed cum inter *κυρίας* eius *δόξας* apud CICERONEM refertur, quod beatum & immortale est, id non habet, nec exhibet cuiquam negotium, de *nat. deor. libr. I. pag. 284.* quod DIOGENES LAERTIVS ita effert, Deum esse, *ζῶον ἀφθαρτον καὶ μακάριον*, animal immortale ac beatum, *lib. X. sect. CXXIII.* inde colligit, eum diis immortalitatem tribuisse. Quod recte quidem se haberet, si iam certo constaret, eum Deum aut deos credidisse, & non potius ad poenam euitandam talia docuisse. Quod si reuera deos immortales, & ex atomis non compositos credidit, in eo sane a sententia Democriti discessit; a quo & in eo dissentit, quod atomos anima destitutas statuit; cum Democritus contra anima praeditas admittat, qua quidem ratione hic facilius variis, quae illi obiici poterant, dubiis satisfacere potuit; simul tamen negandum non est, systema Democriti atheismo defendendo hac ratione longe esse accommodatius, quam systema Epicuri. Legenda, quae hanc in rem disserit PETRVS BAEIVS, *loc. cit. pag. 1132. lit. E.*

* Diagoram hic commemoramus, quod Democriti seruus & discipulus fuisse feratur. Hic enim ex numero seruorum, qui venum exponebantur, eum mille drachmarum pretio redemisse, & non tantum pro seruo vsu, sed & inter discipulos recepisse, dicitur; vid. SVIDAS & HESYCHIVS ILLUSTRIVS voc. Διαγορας. Patria fuit Melius, & atheismi magno veterum consensu accusatur, adeo vt cognomine *atheus* dicatur, vt apud CICERONEM, de *natura deor. libr. I. & III.* DIODORVM SICVLVM., *libr. XIII. cap. VI.* LACTANTIUM, de *ira Del, cap. IX.* aliosque, videre licet. Nimirum; cum alii, qui in eadem erant sententia, per ambages incederent, hic tanta impudentia fuit, vt aperte sine vlla dissimulatione, Deum esse, negaret. Idque CICERO nos condocet, cautiorem hac in re Protagoram fuisse, perhibens; *in hac quaestione plerique, quod maxime verisimile est, & quo omnes duce natura vebimur, deos esse dixerunt: dubitare se, Protagoras, nullos esse omnino, Diagoras Melius, & Theodorus Cyrenaicus putauerunt, de nat. deor. libr. I. circa init.* Athenis itaque, vt supplicium effugeret, discedere coactus fuit *Olymp. XCI.* Atheniensibus nihilofecius certam pecuniae summam in caput eius constituentibus, si quis eum aut interficeret, aut viuum traderet.

ret. CLEMENS Alexandrinus cum ideo saltem inter atheos relatum putat, quod gentilium superstitionem dampauerit, *adm. ad gentes*, pag. 45. quem hac in re etiam sequitur M. ANTONIVS MVRETVS, *variar. lection. lib. X. cap. XVII.* & THEOPHILVS RAYNAV-DVS, *tom. XII. opp. pag. 411.* Sed, quae eum atheismi damnant, veterum testimonia, nimis luculenta sunt. Patet hinc, ecclesiae patres, gentilium superstitionem impugnantes faciliores saepius, quam decebat, in excusandis philosophis, qui atheismi suspecti erant, fuisse, saltem vt inter ipsos ethnicos, veritatis testes & confessores contra ethnicos inuenirent. Quae res, dici non potest, quantum veritati damnum adferat. Quae de occasione, qua inductus Diagoras ad summam hancce impietatem processit, commemorantur, fere demonstrant, hominem non satis compotem mentis fuisse. Legi merentur, quae hac de re obseruat PETRVS BAELIVS, *voc. Diagoras, pag. 1039.* vbi & reliqua, de hocce auctore scitu digna, persequitur, de quo & in compendio differit IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, *biblioth. graec. libr. II. cap. XXIII. §. XVI. pag. 817.* add. & MICHAEL MOVRGVES, *dans le Plan. theologique du Pythagorisme tom. I. epist. III. artic. I. pag. 93. seqq.*

* Protagoras Abderites, e baiulo Democriti auditor & philosophus extitit. Quod qua ratione factum sit, exponit AVL. GELIVS, *poët. Atticar. lib. V. cap. III.* Cum librum de diis componeret, his eum verbis exorsus est: *πρὶ μὲν θεῶν ὅσα ἔχω εἰδέναι, εἴθ' ὡς εἰσὶν, εἴθ' ὡς ὅσα εἰσὶν; πολλὰ γὰρ τὰ πωλύοντα εἰδέναι, ἢ τε ἀδηλόγης, καὶ βραχύς ὢν ὁ βίβηται ἀνθρώπων.* De diis quidem statuere nequeo, neque an sint, nec ne? Sunt enim plurima, quae id scire prohibeant, quippe & summa rei incertitudo, & brevis hominis vita. Ita DIOGENES LAERTIVS, *libr. IX. scët. LI.* qui & addit, ob hocce óperis principium eum ab Atheniensibus pulsum, librosque eius in foro crematos, sub praeconis voce a singulis, qui illos habebant, inuestigatos. Confirmat idem CICERO: *Quid? Diagoras atheus qui dictus est, posteaque Theodorus, nonne aperte deorum naturam sustulerunt? Nam Abderites quidem Protagoras, cuius a te modo mentio facta est, Sophistes illis temporibus vel maximus, cum in principio libri sui sic posuisset: De diis, neque vt sint, neque vt non sint, habeo dicere, Atheniensium iussu vrbe atque agro est exterminatus, librique eius in concione combusti; de natura deorum, libr. I.* Sed & SEXTVS EMPIRICVS, *aduersus mathe-*
mati-

maticos pag. 319. aliique, idem testantur, quorum hac de re loca adfert AEGIDIUS MENAGIVS, ad *Diogenis loc. cit. p. m. 420.* Ex Persica disciplina Protagoram hanc impietatem accepisse, auctor est PHILOSTRATVS, de *vitis Sophistarum lib. I. pag. m. 494.* Est vero obseruandum, quod dubitando sententiam suam proposuerit, nec aperte deos negauerit, sed non satis id sibi perspectum esse professus sit; qua in re cautiore, aut, si mauis, callidior, non autem melior fuit Diagora, vt iam antea ex TVLLIO docuimus.

* Praeter SEXTVM EMPIRICVM, *lib. VIII. contra mathematicos; pag. 318. seqq.* eum inter atheos refert CICERO: *Quid? ii, qui dixerunt, totam de diis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus reipublicae causa, ut, quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret, nonne omnem religionem funditus sustulerunt? Quid Prodicus Chius? qui ea, quae prodesse hominum vitae, deorum in numero habita esse dixit, quam tandem religionem reliquit? de natura deor. lib. I. circa finem.* Sola itaque utilitate religionem omnem niti, innuere videtur; quod profecto perinde est, ac religionem omnem
tol.

tollere, Ab Atheniensibus cicutam bibere iustus est, vt, qui iuuentutem corrumpere, teste SVIDA. . . Reliqua de eo suppedabit PETRVS BAEIVS, voc. *Prodicus*, pag. 255. add. IOAN. ALBERTVS FABRICIVS, *biblioth. graec. libr. II. cap. XXIII. §. XLI. pag. 838. seqq.* item MICHAEL MOVRGVES, dans le *Plan theologique du Pythagorisme*, *epist. III. art. I. pag. 93. seqq.*

*** Alexander hicce Epicuraeus is est, cuius PLVTARCHVS meminit, *libr. II. sympos. quaest. III.* qui & eum *elegantem & valde litteratum* fuisse, dicit. Ex eodem auctore constat, Alexandrum huncce quaestionem de gallina & ouo proposuisse, vtrum prius extiterit, quod ad aeternitatem mundi, aut mundorum sibi inuicem succedentium continuam seriem, pertinet; conf. & PETRVS GASSENDVS, de *vita & moribus Epicuri libr. II. cap. VI. tom. V. opp. pag. 190.* Ab hocce Alexandro cum Dauidem de Dinanto, de quo in sequentibus dicemus, atheismum suum accepisse, nonnulli existimarent, hinc illum docuisse, asseruerunt, Deum & materiam esse vnum idemque. Ita de eo pronuntiat ALBERTVS magnus: *Fuit Alexander Epicuraeus quidam philosophus, qui Deum dixit esse materiam, vel non esse extra ipsam, & omnia essentialiter esse*

esse Deum, & formas esse accidentia imaginata, & non habere veram entitatem, & ideo dixit, omnia idem esse; & hunc Deum vocavit aliquando Iouem, aliquando autem Palladem, & aliquando Apollinem, & formas esse pepulum Palladis, & vestem Iouis, & neminem sapientem dixit ad plenum posse reuelare occulta sub peplo Palladis, & sub veste Iouis, libr. I. phys. tract. III. cap. XIII. Verum hanc perperam Alexandro tribui sententiam, etsi ceteroquin ab atheismi suspitione secundum systema Epicuri non sit liberandus, accurate ostendit IACOBVS THOMASIVS, de exust. mundi Stoica, dissertat. XIV. §. CV. seqq. pag. 201. seqq.

§. XX.

Vt reliquos, quorum non adeo magna est celebritas, qui itidem ob atheismum male audiunt, mittam, * inter philosophos veteres HERACLITVS, ** inter medicos autem HIPPOCRATES *** adhuc nobis commemorandus est. Vtrique enim atheismus obiectus fuit; non equidem sine specie, at sine sufficienti, vt videtur, ratione. Nec enim desunt, quae pro illorum innocentia asserenda in medium, adferri possunt. Idem de EVHEMERO cen-

consensendum, qui non aliam ob causam, quam quod idololatriam & superstitionem Graecorum reiecisset, in atheorum numerum relatus videtur.*

* Iunctim quosdam Graecorum philosophos, quibus atheismus obiectus fuit, complectitur AELIANVS, dum in eo est, vt doceat: *ὅτι μηδεὶς τῶν βαρβάρων ἀθεῖται*, quod nemo barbarorum impius sit; *lib. II. histor. variae, cap. XXXI.* καὶ τίς, inquit, οὐκ ἂν ἐπήνεσε τὴν τῶν βαρβάρων σοφίαν; εἶγε μηδεὶς αὐτῶν εἰς ἀθεότητα ἐξέπεσε, μηδὲ ἀμφιβάλλουσι περὶ θεῶν, ἀρεὰ γὰρ εἰσιν, ἢ οὐκ εἰσι· καὶ ἀρεὰ γὰρ ἡμῶν Φεροντίδῃσιν, ἢ ἔ· ἔδειξ γὰρ ἐννοιασὶν ἔλαβε τοιαύτην, ὡς ὁ Εὐήμερος ὁ Μεσσηνίος, ἢ Διογένης ὁ Φρύξ, ἢ Ἴππων, ἢ Διαγόρας, ἢ Σωσίας, ἢ Ἐπίκουρος, ἔτε Ἰνδός, ἔτε Κελτός, ἔτε Αἰγύπτια. Et quis non barbarorum sapientiam laudibus extollat? si quidem nemo eorum ad atheismum prolapsus est, neque in dubium vocant, sintne dii, an non sint, & curentne res nostras, an non? Nemo igitur, neque Indus, neque Celtae, neque Aegyptius, talem cogitationem in animum induxit, qualem vel Euemerus Messenius, vel Diogenes Phryx, vel Hippon, vel Diagoras, vel Sofias, vel denique Epicurus. Quo iure AELIANVS hic asserat, nullos inter barbaros extitisse atheos, non inquiram. Id tamen

tamen certum puto, atheismum frequentio-
rem saltem inter Graecos fuisse, quam reli-
quas gentes, quas barbaras vocabant. Cu-
ius rei rationem facile perspiciet, qui indo-
lem ingeniumque Graecorum consideraue-
rit. Praeter Euemerum Messenium, de quo
deinceps ex instituto, itemque praeter Dia-
goram atque Epicurum, de quibus iam
supra dictum, Diogenem Phryga inter
atheos refert, cuius an vltus veterum cete-
roquin meminerit, mihi non constat. De
Hippone autem, quem & CLEMENS Alexan-
drinus, *protrept. pag. 15. & 36.* aliique, atheis
annumerant, vid. IO. ALB. FABRICIVS, *biblio-
thec. graec. lib. II. cap. XXIII. §. XX. p. 819.*
Ad Sofiam quod attinet, pro eo vel Hip-
pian, vel Gorgian reponendum esse, cen-
set ISAACVS CASAVBONVS, obseruante eo-
dem, quem iam laudauimus, viro docto,
FABRICIO; *loc. cit.* vbi & Hippian, tyran-
num Atheniensem, Pisistrati filium, atheis
a quibusdam annumeratum, docet. Solet &
Daphides quidam grammaticus inter atheos
referri, eo quod ambigua quadam quaestio-
ne Apollini Delphico illudere in animum
induxisset, cuius tamen petulantiae suae
grauissimas mox poenas dederit, quod plu-
ribus exponit VALERIVS MAXIMVS, *libr. I.
cap. VIII. p. m. 123.* Mitto reliquos, Apol-
lophanem, Aristagoram, Callimachum, Ci-
nesiam,

nesiam, Gorgiam, similesque, qui itidem atheis annumerantur, sed de quibus, quid pronuntiari queat, certi quid vix suppetit.

- ** Heraclitum, philosophum, inter veteres longe celeberrimum, iam olim atheis annumeratum, IVSTINVS martyr nos condocet, sed ita condocet, vt non tantum ab hac criminatione eum absoluat, verum inter christianos fere referre non dubitet. Verba eius ex *ap. I. pro christianis*, pag. 91. supra iam ad §. XI. protulimus, cum de Socrate diceremus. Socratem enim atque Heraclitum vno eodemque loco habet. Immo ex ipsis epistolis, quae sub Heracliti nomine extant, quas & THOMAS STANLEIVS exhibet, *hisor. philos. part. IX. cap. III. pag. 829.* apparet, atheismi iam, dum vixit, eum suspicionem incurrisse, quam tamen quouis modo a se amoliri annititur. *Euthyales*, inquit, *Nicophontis illius sacrilegi filius, impietatis me accusauit, virum sapientia praestantem. Linguae procacitate superans, quasi arae, ad quam constiteram, mecum nomen adscripserim, me ipsum, homo cum sim, Deum faciens. Inde iudicabor ab impiis de impietate. Quid censes? Videbor illis impius, cum aliter, quam illi, de diis sentiam. Si caecis de visu sit iudicandum, caecitatem visum esse, dicent. Verum o rudes homines,*
docete

docete nos prius, quid sit ille Deus, qui in templis concluditur. Nempe pii estis, qui in tenebris Deum collocatis. His ergo si fides habeatur, impietatis & atheismi non aliam ob causam accusatus Heraclitus fuit, quam quod idololatriam & superstitionem gentilium damnaret. Certe superstitionis & idololatriae infensum eum fuisse hostem, ex quibusdam etiam eius apophtegmatibus, quae THOMAS STANLEIVS, *loc. cit. cap. V. pag. 835.* refert, liquet. Sacrificia enim deridens, per quae deos suos homines deliniri existimabant, *purgantur, inquit, dum cruore polluuntur, non secus, ac si quis in lutum ingressus, luto se abluat.* Idolis vota facientes, *perinde agere, dicebat, ac si quis loquatur cum aedibus.* Bacchi vero sacra his verbis irrisit: *Nisi pompam facerent Baccho, & cantica canerent impudentissima, actum erat.* De vero autem Deo praeclate admodum eum sensisse, si MERICO CASAVBONO credimus, ex hisce verbis, apud DIOGENEM LAERTIUM liquet: *εἷναί γὰρ ἐν τῷ σφῶν Ἰστιάδαί γινώμεν ἢ το ὅι ἐγχευενησε παντα διὰ πάντων; Vnam quippe sapientiam esse, scire animum, quando & quomodo gubernentur omnia in omnibus, libr. IX. sect. I. pag. m. 548.* Nimirum per γινώμεν ipsum eum intellexisse Deum, qui apud PLVTARCHVM, *libr. I. de placitis philosophor.* eidem

Heraclito, εἰμαρμένη, λόγῳ ὁ δία τῆς
 ἔσας τῆ παντός δεικνῶν, dicatur, CASAMBO-
 NVS contendit, qui & magnam horum ver-
 borum, cum iis, quae *Ierem. IX. 23. 24.*
 extant, sibi deprehendisse conuenientiam
 visus est. Quodsi doctrinae Heracliteae
 systema paulo accuratius consideres, occur-
 runt tique nonnulla, quae atheismi in eo
 suspitionem augent. Ipse sane ARISTOTE-
 LĪS Heraclitum inter eos refert, qui solam
 materiam pro rerum omnium principio ha-
 buerunt, omīssa vel abnegata causa efficien-
 te, siue primo motore, & ἀμειβογῶν. Quod
 licet cum primis Ionicis, de quibus supra
 dictum, ei commune fuerit, accedunt ta-
 men & alia, quae quo minus excusari queat,
 vix permittere videntur. Excusat nihilose-
 cius, & liberare eum ab hac suspitione an-
 nititur GOTTFRIEDVS OLEARIVS, in *dis-*
sertatione priori de principio rerum natura-
lium ex mente Heracliti, quae inserta est
 THOMAE STANLEII *historiae philosophicae*,
part. IX. cap. VI. & quidem §. XIII. seqq.
pag. 851. seqq. Accurate, fateor, & erudite
 hac de re vir doctissimus disputat. At non
 omnem scrupulum eximit. Largitur, rem
 omnem pendere ex genuina εἰμαρμένης siue
fati Heraclitei explicatione. Concedit
 etiam, re ipsa eum consentire cum Stoicis.

At

At de Stoicorum fato quid sentiendum sit, supra iam diximus.

*** Veterum quenquam fuisse, qui Hippocratem, medicorum principem; atheis annumeraret, mihi non constat. Nostra tamen aetate id fecit vir clarissimus, NICOL. HIERONYMVS GVNDLINGIVS, *In Notiorum, quae lingua germanica conuersa sunt, part. II. cap. III. cui titulus: Hippocrates ἀθεός. Nec specie profecto defituuntur, quae vir doctissimus hac de re disserit. Fateretur, Hippocratem principium aliquod actiuum & ὀμνιστικόν admittere, quod naturae nomine illi veniat; cui etiam scientiam omnium, quae cuique desunt, iustitiam, & bonitatem, & similia, quae de Deo eum locutum arguant, tribuat. Alibi tamen mentem ita hac super re declarasse, vt pateat, per hocce principium, seu naturam, eum nihil aliud, quam τὸ θερμὸν ἀθάνατον, calidum, seu ignem immortalem, intellexisse. Locum ad hoc probandum inter alia producit, ex libro de principiis seu carnibus, tom. I. edit. Linden. pag. 112. δοκτεῖ δέ μοι ὁ καλούμεν θερμὸν ἀθάνατον πῦρ εἶναι καὶ νοεῖν πάντα καὶ ὄρνῃ; καὶ ἀκείν, καὶ εἰδέναι πάντα καὶ τὰ μέγιστα ἔσεσθαι; Quod calidum vocamus, id mihi immortale esse, videtur, cunctaque intelligere, videre, & audire,*

scireque omnia, tum praesentia, tum futura.
 At hinc forte alius colligeret, cum per τὸ
 Ἐσπερὸν non materiam, sed seiunctum potius
 a materia principium intellexisse, cum, quae
 huic principio tribuit, in materiam non ca-
 dant. Nec *calidi* denominatio obstabit,
 cum gentilium, de Deo, deque primo princi-
 pio cognitio, tenuis admodum, obscura, at-
 que confusa fuerit; vt adeo tam clarae &
 accuratae de Deo ideae & denominationes,
 quales hodie de eo habemus, ab iis non
 sint expectandae. Interim loca, in quibus
 Hippocrates subinde Dei mentionem fecit,
 non adferam, cum ea iam collegerit IOAN-
 NES ANDREAS SCHMIDIVS, Helmstadiensis
 academiae theologus clarissimus, in *differ-*
tatione, de theologia Hippocratis; nec celeberrimus
 GVDLINGIVS ea praetermiserit, sed,
 quid ad ea responderi ex sua mente possit,
 ostenderit. Certe diuersimode ea, pro di-
 uerso, quod medicorum principi tribuitur,
 principio, explicari possunt. Quodsi Hera-
 cliti philosophiam Hippocrates secutus est,
 quod vir celeberrimus cum DANIELE CLE-
 RICO, *hist. de la Medicine pag. 109.* asserit,
loc. cit. §. IX. pag. 113. mens eius sententia-
 que ex antea dictis diiudicanda fuerit. Ad-
 datur IOAN. ALBERTVS FABRICIVS, *biblioth.*
graec. lib. II. cap. XXIV. §. I. pag. 843.

*Euhe-

* EVHEMERVM seu Euemerum Messenium atheis
 annumeratum, iam antea ex AELIANI *hista-*
ria varia lib. II. cap. XXXI. docuimus. Hi-
 storiam namque deorum gentilium scripsit,
 in qua ex instituto id executus est, deos,
 quos venerentur gentes, fuisse reuera fortes
 & claros & potentes viros, immo mortes &
sepulturas deorum, demonstravit, vt ait CI-
CERO de natur. deorum, libr. I. Specimen
 istius deorum, quam Euhemerus condidit,
 historiae, exhibet EVSEBIUS, *praeparat. euan-*
gek lib. II. cap. II. pag. 59. & quidem ex
 DIODORI SICVLII, *bibliothecae libr. VI.* qui
 hodie non amplius extat; a sacrorum forte
 apud gentiles antistitibus ex exemplis, quae
 nascisci potuerunt, ablati, quod rebus suis
 minus consultum putarent, si haec de diis
 gentilium ab omnibus legerentur. Fraudes
 eiusmodi hominum fati notaesunt. Inter
 atheos itaque relatus est non aliam ob cau-
 sam, quam quod deos gentilium, quos ho-
 mines fuisse sciebat, pro diis veris agnoscere
 nollet, sed veram potius originem fabula-
 rum detegeret. Praeter AELIANVM vero &
 SEXTVM EMPIRICVM, atheis cum annumerat
 PLVTARCHVS, de *Iside atque Osride, tom. II.*
opp. pag. m. 380. De eo enim verba faciens,
 ὅς αὐτός, inquit, ἀντίρροφα συνθεῖς ἀπίστῶν
 καὶ ἀνυπόκριτῶν μυθολογίας, πᾶσιν ἀθεό-

ἡγεῖα κατασκεδύνοισι τῆς οἰκουμενῆς τὰς νο-
 μιζομένης θεῶς πάντας ὁμαλῶς Διαγρεσί-
 φων, εἰς ὄνομα στρατηγῶν, καὶ ναυαρχῶν
 καὶ βασιλέων, ὡς δὴ πάλαι γεγονότων·
*Is enim commentario conscripto incredibilium
 & nouarum fabularum, omne impietatis ge-
 nus per totum sparsit terrarum orbem, eos,
 qui dii existimantur, vniuersos aequaliter ex-
 pungens, & ad nomina priscorum imperato-
 rum, nauarcharum ac regum detorquens &c.*
 Verum, cum accusationis suae PLVTARCHVS
 non aliam causam adferat, quam quod do-
 cuerit, deos gentilium homines fuisse, ma-
 ximam Euhemero iniuriam facit, dum eum
 ideo atheismi arguit. Esto vero, falsa eum
 tradidisse, de deorum gentilium origine, aut
 omnino quaedam finxisse, quod PLVTAR-
 CHVS deinceps vrget, inde tamen nondum
 sequitur, eum esse atheum, sed hoc saltem,
 eum deos gentilium pro meris saltem ha-
 buisse hominibus. Alibi equidem, scilicet
*de placitis philosophorum, libr. I. cap. VII.
 tom. II. opp. pag. m. 880.* Euhemerum
 cum Diagora Melio, & Theodoro Cyre-
 naeo, coniungit; quod cum IAC. PERIZO-
 NIVS ad AELIANI, *loc. cit.* obseruasset, addit:
*Ex quo tamen loco forsitan, si solus esset, &
 verum diceret, non male illud potius conclu-
 deres, Euhemerum plane reiecisse non tan-
 tum istos gentilium deos, sed omne Numen.*
 Verum,

Verum, si CALLIMACHI CYRENAEI iambos, quos ibi PLVTARCHVS allegat, recte expendas, non alio argumento, quam libro antea memorato, quem contra gentilium deos scripsit, eum niti, statim perspicias. Legenda, quae pro Euemero contra PLVTARCHVM erudite disputat IO. RAINOLDVS, in *censura libror. apocryphor. veter. testam. praelection. CCXXI. tom. II. pag. 1327. seqq.* Nescio autem, annon paulo facilior, vt hoc *ὡς ἐν παροῦσι* moneamus, PLVTARCHVS fuerit in atheis multiplicandis, quando & de EVRIPIDE, poëta tragico, *loc. cit.* addit, eum equidem hanc sententiam (quae Deum esse negat) aperte profiteri ausum non esse, metuentem areopagiticum iudicium, indicasse tamen eam, dum Sisyphum introduxit, qui eam proferret, ipsumque ei patrocinatum hac sententia :

ἦν γὰρ ἄνθρωπος ὅτ' ἀτακτὸς ἦν ἀνθρώπων βίῃ,

καὶ θεοῦδης, ἰχθυὸς δ' ὑπέρβητος.

Incondita olim vita fuit mortalium,

Et belluina, viribusque seruens;

legibus nimirum deinde positis, (ita EVRIPIDIS sententiam exponere pergit) iniustitiam fuisse repressam ; sed cum hae aperta possint flagitia prohibere, multi autem oc-

culite scelera perpetrarent, tum quendam callidum virum prodiisse, qui docuerit, veritati tenebras mendacio offundendas, hominibusque persuadendum esse:

οἷς ἐστὶ δαίμων ἀφθίτω θάλλων βίω
 οἷς ταύτ' ἀκέραι καὶ ἀλέπει φρονεῖ τ'
 ἀγαν

*Quod sit perenni vita aliquis vicens Deus,
 Qui cernat ista & audiat, atque intel-
 ligat.*

Sed ad Euhemerum vt redeamus, miror, eundem & a CICERONE inter atheos relatum. Cum enim dixisset: *Quae ratio maxime tractata est ab Euhemero, quem & interpretatus & secutus est Ennius noster, ab Euhemero autem & mortes & sepulturae demonstrantur deorum;* addit: *Vtrum igitur hic confirmasse religionem videtur, an penitus totam sustulisse?* lib. I. de natura deor. Sane religionem, aut superstitionem potius, gentilium, penitus sustulit: at ideo veram religionem non sustulit. Rectius de Euhemero sensit ENNIUS, qui ipsomet CICERONE teste, *eum non tantum interpretatus, sed & secutus est,* hoc est, sententiam eius adprobavit. Atque haec cum ita se habeant, haud sine ratione Euhemerus a veteris ecclesiae doctoribus,

tibus, AVGVSTINO, *libr. IV. de ciuitat. Dei, cap. I.* LACTANTIO, *de falsa relig. libr. I. cap. XI.* aliisque, inter veritatis testes contra gentilium superstitionem, relatus est. Id dubium alicui videri posset, qui factum, vt Euhemerus in atheismi suspicionem apud ethnicos venerit, cum tamen poëtae Graecorum, HOMERVS, HESIODVS, de diis gentilium non aliter quam de hominibus locuti sint, immo talia de iis prodiderint, quae vix in homines honestos cadunt. Sed cum poëtarum proprium esset, fingere & mentiri, illorum de diis asserta non adeo noxia esse putabant, quam aut historicorum, aut philosophorum, qui rem serio agere videbantur, facileque adeo alios, vt minus praecclare de tota religione sentirent, inducere poterant. Legenda &, quae de Euhemero differit PETRVS IVRIEV, *histroir. critiq. des dogmes & des cultes &c. part. III. cap. III. pag. 408. seqq.*

§. XXI.

Ad eos, qui post Christum natum floruerunt, philosophos graecanicos quod attinet, quid de illis, qui certae sectae nomen suum dederant, si doctrinam, quam professi sunt, spectes, censendum sit, ex haecenus dictis facile intelligitur.*

F §

Inter

Inter reliquos, qui ad nullam sectam certam referri possunt, eminent PLVTARCHVS ** atque LVCIANVS. *** Vterque enim inter atheos a quibusdam relatus est, fundamento tamen non aequo certo, aut extra omnem dubitationem posito.

* Non itaque necesse est, vt speciatim aut EPICETVM, aut M. AVRELIVM ANTONINVM, imperatorem & philosophum, aut DIOGENEM LAERTIVM, aut SEXTVM EMPIRICVM, ceterosque, hic commemorem. Etsi enim hisce atheismus, quantum mihi constat, speciatim obiectus non sit, quam tamen de Deo animo conceperint opinionem, ex sectae cuiuslibet, cui addicti fuerunt, placitis, intelligere licet. EPICETVM VERO & M. AVRELIVM ANTONINVM in Stoicorum, DIOGENEM LAERTIVM in Epicuræorum, & SEXTVM EMPIRICVM in Pyrrhonorum militasse castris, notum est.

** PLVTARCHVM Chaeronensem in quibusdam Aristotelem secutum, subinde tamen & Platonis calculo suo adprobasse scita, sed & haud raro cum academicis suspendisse iudicium, Stoicorum autem ita reiecisse paradoxa, vt multo magis Epicuræorum placita in Deum iniuria improbaret, constat. Etrores itaque, certae sectae proprii, illi
tri-

tribui nequeunt. Atheismum illi obicit PETRVS MOLINAEVS, de *cognitione Dei*, pag. 81. eo maxime argumento, quod in libro *περι της σιδαιμωνίας* atheismum superstitione tolerabiliorem esse, pronuntiauit. At inde profecto nondum sequitur eum fuisse atheum. Immo eo minus inde atheismi argui potest, quod non de quolibet atheismo, nec de quacunque superstitione hoc intellexerit, sed hoc velit, quaedam superstitionis genera ita comparata esse, vt maiora hominibus aliis damna inferant, quam speculatiuus ineptorum quorundam hominum atheismus. Recte id obseruatum IOANNI ALBERTO FABRICIO, Plutarchum contra MOLINAEVM defendenti, *bibl. graec. libr. IV. cap. XI. pag. 332. & 351.* Recte & per ambages, vt alios, ita & Plutarchum, atheis accenset auctor libri: *discours sur la liberté de penser*, quem ANTONIVM COLLINVM esse ferunt. Inter libere enim cogitantes & Plutarchum refert, *sect. III. pag. 192.* Eo scilicet hoc nomine facit, quia mascule & cordate contra superstitionem locutus est. Huc enim tendunt loca, quae ex eo adfert. Mereturque omnino eam ob rem, non tantum inter libere, sed & inter recte cogitantes referri. Quodsi vero auctor *superstitionis* nomine ipsam religionem intelligat, vt haud obscure innuit, summam Plutarcho iniuriam facit. Res namque ipsa docet, illam eum

eum neutiquam damnasse aut reiecisse. In contrarium equidem currere videtur RICHARDVS SIMON, dans ses *lettres choisies*, *let. XXII. pag. m. 167.* De scriptis enim Plutarchi philosophicis & moralibus verba faciens, *car il est souvent ridicule*, inquit, *dans l'un & dans l'autre, & il est meme si enteté de son Paganisme, qu'il est quelque fois religieux jusqu'à la superstition.* Certe paganismo addictissimum fuisse Plutarchum, negari nequit. Interim, quantum ab homine ethnico expectari potuit, ab atheismo non minus, quam superstitione remotus videtur, id quod scripta eius passim satis testantur.

*** LVCIANVM Samosatensem, rhetorem atque philosophum eximium, & ingenio excellenti pollentem, certae philosophorum sectae nomen non dedisse, constat. Epicurum tamen prae ceteris magni fecit, quem & quodammodo in exemplum, quod imitaretur, sibi proposuisse videtur. Hinc cum Celso, iurato isti christiani nominis hosti, *ψευδομαύτην* suum inscripisset, rationem circa finem adferens, cur hoc ei minime ingratum fore crederet, maximis elogiis Epicurum, in cuius castris Celsum militare sciebat, ornat. *Τὸ πλεον δὲ, inquit, ὅπερ καὶ σοὶ ἠδίου, Ἐπικύρω τιμωρῶν, ἀνδρὶ ὡς ἀληθῆς ἱερῶ, καὶ θεοπροσίῳ τὴν φύσιν, καὶ μόνῳ μετ' ἀληθείας*

Θείας τὰ καλὰ ἐγνωκόη, καὶ ὠδὸδεδωκόη,
καὶ ἐλευθεριότη τῶν ὁμιλεσάντων αὐτῷ γα-
μουένο; *Tum etiam, quod tibi fuerit iuzun-*
dus, ut Epicurum vlciscerer, virum vere sa-
erum, ingenioque diuino, quique solus, quae
vere sunt honesta, nouerit, & tradiderit; li-
berosque reddiderit eos, qui secum haberent
consuetudinem, tom. I. opp. p. m. 783. Ex sane
non tantum in doctrina de prouidentia diuina
non alienum ab Epicuri sententia se passim
demonstrat, sed etiam religionem cultumque
deorum subinde false perstringit, atque irri-
det. Documento sunt, quae, vt alia mittam, in
duobus dialogis, quorum vni titulus est: Ζεὺς
ἐλεγχόμενος, *Iupiter confutatus*, alteri:
Ζεὺς τραγῶδης, *Iupiter tragoedus*, quae
tom. II. opp. pag. 117. seqq. extant, in me-
medium adfert. Certe, quae in vltimo dia-
logo differit, non tantum idololatriam, &
ridiculam gentilium superstitionem, fabulas-
que eorum de diis, sed & generatim prou-
dentiam Numinis, cui cultus eius omnisque
religio innitur, feriunt. Ideoque & pas-
sim inter atheos referri solet; nec sine omni,
vt puto, iure; saltem non aliter, quam Epi-
curum de Deo eum sensisse, certum est.
Qui eum ab hac suspicione liberare cupiunt,
loca quaedam adferunt, in quibus Dei, aut
argumentorum, quibus existentia ac prou-
dentia eius probari potest, mentio iniicitur.

Verum

Verum haec si paulo accuratius consideremus, talia a Luciano non ex ipsius, sed aliorum mente proponi, & ita proponi, vt statim acriter refutentur, deprehendemus. Exemplum luculentissimum praebet dialogus antea iam a me laudatus, cui titulum fecit: *Iupiter tragœdus*. In eo enim Timocles Stoicus, deorum, speciatim prouidentiae causam agit, Damis autem Epicureus, contra deos & prouidentiam disputat. Timocles autem Stoicus per totum dialogum, vt homo longe ineptissimus inducitur, qui conuictis magis, quam rationibus, pugnat; qui porro rationibus tam infirmis dimicat, vt prodere potius, quam defendere deorum causam videatur, & ab auditoribus tandem exploditur & exhibitur. Damis contra vbique rationibus argutis pugnat, vel ipsa modestia aduersarii imbecillitatem arguit, vincit, triumphat, & auditorum adplausum refert. Paucis, ipsius Iouis iudicio Timocles causa cadit, Cum enim Momus dixisset: *ταυτὴ μὲν ἤδη κατὰ ῥῆν ὄρωχωρεῖ τῷ Δάμιδι καὶ πλησίον ἐπὶ τὴν νίκην φέρεται;* *Res certe Damidi secundo flumine procedit, plenisque velis fertur ad victoriam,* respondet Iupiter: *ὄρθως ᾧ Μῶμος εἰκάσεις· ὁ δ' ἔδεν ἰχυρὸν ὁ Τιμοκλῆς ὀπιανοεῖ, ἀλλὰ τὰ κοινὰ ταῦτα, καὶ καθ' ἡμέραν, ἀλλὰ ἐπ' ἄλλοις εὐπερίτροπτα πάντα ἐπαντελεῖ;* *Recte, o Mome, iudicas. Nihil enim validi*
Time-

Timocles comminiscitur : sed communia haec & quotidiana, quae omnia facile refelluntur, alia aliis infundit, pag. 156. Scopus itaque LUCIANI hinc satis intelligitur, qui fuit, Epicureorum sententiam contra Stoicos defendere, hosque simul omnium risui exponere. Praeceptum equidem argumentum, quo Timocles providentiam euincere annitur, hoc est: *Id mihi rerum primus ordo persuasit; (breuitatis enim causa latino saltem sermone haec referre iuuabit) sol quidem iter semper conficit, eodemque modo luna, & tempestatum mutatio, & plantarum procreatio, & animalium generatio, horumque ipsorum tam elegans compositio, ut alantur, moueantur, cogitent, incedant, fabrilem artem & sutoriam exercent. Atque id genus alia mihi prouidentiae videntur esse opera.* Sed respondet Damis: *Tu quidem, Timocles quaestionem corripis. Nondum enim liquet, an horum vnumquodque prouidentia perficiatur. Ceterum, quod haec fiant, nec ipse negauerim. Non tamen ilico necesse est, credere, ea aliquo consilio fieri. Contingit enim, ut haec incepta sint, nuncque similiter, eodemque modo constituentur, &c.* Atque hinc cuiusmodi reliqua sint, quae ex Luciano, ad eum ab atheismi suspitione liberandum proferri solent, perspicere licet.

§. XXII.

Apud Romanos tantus equidem philosophorum non extitit numerus, quam apud Graecos. Nec tamen defuerunt, qui ob atheismum male audirent, aut quorum saltem dubia de Numine, eiusque providentia, ac cultu, censeretur opinio. De iis quidem, qui aliquam ex graecanicis sectis secuti sunt, quid existimandum sit, haecenus dicta itidem neminem dubitare sinunt.* Inter reliquos** triumviri isti CICERO,*** LIVIUS,* PLINIVS,** cum primis commemorandi sunt, quos ut nonnulli audacter atheis annumerant, ita alii contra, saltem duos priores, rationibus haud contemnendis, ab hacce suspitione liberant atque defendunt.

* Sic TITVM LVCRETIVM GARVM Epicuri sectum & acriter defendisse placita, SENECAE autem porticus arrisisse decreta, notum est. Qui autem, SENECAM omnino christianum fuisse, putant, nihil aliud agunt, quam ut significant, se non satis eum intelligere, nec intimiores sensus, qui sub splendidissimis verbis latitant, introspicere.

** Auctor

** Auctor *discursus de libertate cogitandi*, quem ANTONIVM COLLIVM esse, supra diximus, ex Romanis inter libere cogitantes praeter Ciceronem, de quo deinceps, Varronem quoque refert, atque Catonem vtrumque, Censorem & Vticensem, p. 196. seqq. Per libere autem cogitantes quos intelligat, nemini temere ignotum esse potest. Sed ad Varronem quod attinet, ex locis, quae ex AVGVSTINO adfert, nihil aliud colligas, quam eum theologiae gentilis ineptias perspectas habuisse, ac reiecisse, atque hactenus non tantum inter libere, sed & recte cogitantes referri potuit. Vel ex primo statim, quem laudat, hoc patet, loco: *Multa sunt (verba sunt Varronis) contra dignitatem & naturam immortalium ficta. In hoc enim est, ut Deus alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus; apud AVGVSTINVM, de ciuitat. Dei libr. VI. cap. V. De Catone Censore idem censendum. Notissimum enim illud, quod de eo ex CICERONE refert: mirari se aiebat, quod non rideret haruspex, cum haruspicem vidisset, non aliud arguit, quam hypocrisin & fallaciam haruspicum, & sacerdotum gentilium, intime illi perspectam fuisse. De Catone denique Vticensi prolixum ex EVCANO locum profert, in quo eum multa ex Stoicorum disciplina loquentem inducit;*

G

inter

inter quae, quod negandum non est, nonnulla sunt, quae, si veram eius mentem exprimerent, a pantheistarum haud procul cum abiisse sententia, demonstrarent. Cum primis huc sequentia spectant:

*Estne Dei sedes, nisi terra pontus & aër,
Et coelum & virtus? Superos quid quae-
rimus ultra?*

*Iupiter est, quodcunque vides, quacunque
moueris.*

Conferenda haec cum iis, quae supra de Stoicorum doctrina diximus.

*** CICERONEM, licet ethnicum, a superstitione tamen ethnicorum longe abfuisse, nemo dubitauerit, nisi qui librum eius de *natura deorum*, & de *diuinatione*, nunquam inspexit. Inde vero omnino factum, vt cum christianae doctrinae veritate orbis Romanus colustraretur, ipsi ethnici libros eius causae christianorum contra superstitionem suam praesidium adferre, crederent, eosque publica senatus auctoritate abolendos censerent. Testis huius rei est ARNOBIUS: *Cum sciam, esse non paucos, qui auersentur & fugiant libros de hoc eius (Ciceronis) nec in aurem velint admittere lectionem, opinionum suarum praesumpta vincentem? cumque alios audiam, mussitare indignanter, & dicere: oportere*

tere statui per senatum, aboleantur vt haec scripta, quibus christiana religio comprobetur, & vetustatis opprimatur auctoritas? Quinimo, si fiditis, exploratum nos dicere quicquam de diis vestris, erroris conuincite Ciceronem temeraria & impia dictitare, refellite, redarguite, comprobate. Nam intercepta scripta, & publicatam velle submergere lectionem, non est, deos defendere, sed veritatis testificationem timere; libr. III. pag. 103.

An vero ad alterum ita processerit extremum, vt ad atheismum inclinauerit? id est, de quo quaeritur. Sane in libris de *natura deorum* Cotta contra omnes collocutores, qui existentiam deorum defendebant, victoriam referre videtur. Atque vel hoc nomine eum *libere cogitantibus* annumerat, ANTONIVS COLLINVS, qui & ex libro de *diuinatione* argumentum capit, quippe in quo Graecorum ac Romanorum religionis fundamenta penitus euertat. Eum praeterea suum, pariter ac plerorumque philosophorum, characterem expressisse, dum dixit: *Eos, qui dant philosophiae operam, non arbitrari, deos esse.* Addit idem auctor & alia, quibus Ciceronem in libere cogitantium partes pertrahat, immortalitatem animae eum negasse, & inferorum poenas inter poetarum fabulas retulisse, asserens, simulque illis indignatur, qui in contrariam sententiam

tiam eum allegantes, non distinguant, num ex propria, an ex aliorum mente loquatur, *loc. cit. pag. 198. seqq.* Verum, etsi vel maxime CICERO animae immortalitatem non crediderit, aut de ea dubitauerit, etsi etiam, quae poëtae de inferorum poenis tradunt, inter commenta eorum fabulasque retulerit, inde nondum colligere licet, eum fuisse atheum. Quod dixit, *eos, qui dant philosophiae operam, non arbitrari, deos esse*, de omnibus philosophis intelligi nequit, cum ipsemet CICERO quibusdam saltem philosophis contrariam sententiam tribuat: multo minus verosimile, eum se ipsum hisce philosophis aggregare voluisse. In libris de *natura deorum*, fateor, ita disputat, ut Cotta superior ex hoc certamine euadere videatur: sed alibi tamen rursus ita loquitur, ut sententia de Deo, eiusque providentia, & cultu, firmiter animo eius haesisse credi queat. Non displicet itaque iudicium PETRI BAEII, qui de Spinoza disserens ita pronuntiat: *Mr. l' Abbé de Dangeau parle de certaines gens, qui ont la religion dans l'esprit, mais non pas dans le coeur; ils sont persuadés de sa vérité, sans que leur conscience soit touché de l'amour de Dieu. Je crois, qu'on peu dire qu'il y a aussi des gens qui ont la religion dans le coeur & non pas dans l'esprit. Ils la perdent de vue des qu'ils*

qu' ils la cherchent par les voies du raisonnement humain ; elle échape aux subtilitez & aux sophismes de leur dialectique ; ils ne sçauent ou ils ent sont pendant qu' ils comparent le pour & le contre : mais des qu' ils ne disputent plus, & qu' ils ne font qu' écouter les preuues de sentiment, les instincts de la conscience, le poids de l' education &c. ils sont persuadés d' vne religion, & ils y conforment leur vie autant, qu' l' infirmité humaine le permet. Ciceron en estoit là ; on n' en peut guere douter quand on compare ses autres liures avec ceux de *natura deorum*, ou il fait triompher Cotta de tous les interlocuteurs, qui soutenoient qu' il y a des dieux ; in *diction. historico-crit. voc. Spinoza*, pag. 2774.

* Quod oratorum apud Romanos principi, idem & principi historicorum TITO LIVIO contigit, vt atheismi labes ei adspargeretur. Cum primis & ex instituto hoc egit IOAN. TOLANDVS, in dissertatione satis nota, cui titulum fecit : *Atheisidæmon, siue Titus Liuius a superstitione vindicatus*. Enim vero, etsi Liuium se a superstitionis accusatione liberare velle, videri velit, id tamen cum agere, vt religionis omnis contemptum ei tribuat, & reuera atheum ex eo faciat, nemo facile, qui paulo accuratius hanc dissertationem perlegerit, dubitauerit. Idque

ipfemet aperte indicat, quando *S. V. pag. 6.* sine ambagibus afferit: *Liuium totam religionem patriam pro nulla habuiffe, vel, quod eodem redit, pro pulcherrimo politicorum commento, in magistratum subsidium & sacerdotum emolumentum subtiliter exogitato.* Neue existimes, folam ethnicorum religionem, quae fuperfinitio potius fit, cum intelligere, de Mofaica etiam, quae olim fola vera erat, in hac ipfa differtatione non aliter, quam de ethnica, loquitur, fimulque haud femel innuit, fuperfinitionis, fua opinione, expertem non effe, nifi qui omnem religionem eiurauerit. Genuinam TOLANDI de Liuiio mentem pluribus detegit IACOBVS FAYVS, in *defenfione religionis, nec non Mofis, & gentis Iudaicae, contra duas differtationes Ioannis Tolandi, cap. II. & III.* In iuriam vero Liuiio fieri, dum pro atheo omnisque religionis contemptore venditatur, idem, quem iam laudauimus, IAC. FAYVS oftendit, *loc. cit. cap. III. S. IV. pag. 20.* itemque ELIAS BENOIST, *melange de remarques critiques &c. contre Mr. Toland &c. pag. 6. feqq.*

** PLINIVM feniozem, celeberrimum iftum hiftoriae naturalis conditorem, ab Epicuraeorum non abhorruiffe placitis, iam pridem viris eruditis obferuatam. conf. IOANNES

RAI-

RAINOLDVS, in *cenſura librorum apocryphor. vet. teſtam. praelect. CXCII. tom. II. p. 1036.*

IO. TOLANDVS autem, vt & hunc a credulitatis ſuſpicionem liberet, more ſuo omnino atheum facit, in *adeiſidaemone, §. II. pag. 2.* Et negari profecto nequit, cum non tantum *lib. VII. cap. LV.* animarum immortalitatem ex inſtituto impugnare, ſed *lib. II. cap. I.* de vniuerſo hoc ita loqui, vt non aliud agnoſcere numen videatur. Verba eius ſunt: *Mundum & hoc, quod nomine alio coelum appellare libuit, cuius circumflexu teguntur cuncta, numen eſſe, credi par eſt, aeternum, immenſum, neque genitum, neque interiturum vnquam.* Conſentiunt & reliqua, quae ſequuntur. Sed & alibi *lib. XXVII. cap. III.* de caſu verba faciens, *hic ergo caſus,* inquit, *hic eſt ille, qui plurima in vita inuenit, Deus. Hoc habet nomen, per quem intelligitur eadem & parens rerum omnium & magiſtra natura &c.*

§. XXIII.

Inter chriſtianos, vt ad eos nunc tranſeamus, primis ſeculis nemo fuit, cui iure atheiſmus obiici potuerit, etſi iſtis chriſtianis eiſmodi impietas ab ethnicis ſubinde per turpiſſimam calumniam ex-

probrata sit.* Sequenti tamen tempore, cum sub Romanorum pontificum tyrannide ecclesia christiana gerneret, in medio scholasticorum regno extiterunt, qui talia traderent, quae aperte ad atheismum, speciatim Spinozismum, accederent. Idque vel ALMARICI** atque DAVIDIS DE DINANTO*** exemplo constat, ne quid nunc de ceteris dicam.*

* Christianis atheismum & impietatem ab ethnicis olim obiectum, ex ATHENAGORA, ARNOBIO, aliisque, tam notum est, ut superuacaneum foret, hac de re aliquid addere. Loca veterum, hoc comprobantia, diligenter iam collegit B. CHRISTIANVS KORTHOLTVS, in *pagano obtrectatore libr. II. cap. X. pag. 406. seqq.* Obseruat idem auctor, vitium hocce tam vulgare fuisse, ut christiana religio κατ' ἐξοχήν *atheismus* dicta sit. Idque DIONIS CASSII exemplo comprobatur, qui, Clementem & Domitillam, ob christianismi professionem a Domitiano damnatos fuisse, significaturus, *histor. libr. LXVII.* dicit: ἰππινέχθη αὐφοῖς ἔγκλημα ἀθεότητος, *ambobus illatum est atheismi crimen.* Immo eo vsque progressus est, detestandus calumniandi furor, eodem auctore obseruante, ut ipse seruator ethnicis audiret, *religio-*
nis

nis extinctor, & impietatis auctor, qui impietatem docuerit nationes. Testatur hoc ARNOBIUS, lib. II. contra gentes, sub init.

** Seculo post Christum natum decimo tertio floruit ALMARICVS, philosophus, idemque nouorum dogmatum in theologia, si nonnullis credimus, inuentor, ideoque & in haereticorum numerum relatus. Quodsi vera sunt, quae de eo dicuntur, praecipuum eius dogma, ex quo & ceu fonte reliqui errores fluxisse videntur, fuit: *Deum esse materiam primam.* Sententiam eius ex GERSONE, *tract. de concord. metaphys. cum log. part. IV.* ita proponit IACOB. THOMASIVS: *omnia sunt Deus, Deus est omnia. Creator & creatura idem. Ideae creant & creantur. Deus ideo dicitur finis omnium, quod omnia reuersura sint in ipsum, ut in Deo immutabiliter conquiescant; & vnum indiuiduum atque incommutabile permanebunt. Et sicut alterius naturae non est Abraham, alterius Isaac, sed vnus atque eiusdem; sic dixit, omnia esse vnum, & omnia esse Deum. Dixit enim, Deum esse essentiam omnium creaturarum; de exust. mundi Stoica, dissert. XIV. §.XCIX.* Quae quidem ita comparata sunt, vt nec apertius, nec luculentius, Spinozismus exprimi potuerit. Dum vero Almaricus dixit: *Deum esse finem omnium, omniaque in*

G § ipsum

ipsum reuersura , vt in eo immutabiliter conuiescant , & vnum indiuiduum atque incommutabile permaneant, nihil aliud sibi voluit, quam quod deinceps DAVID DE DINANTO docuit, *Deum esse materiam primam*. Cautius nimirum incedens, *finis* quam *materiae*, nomen adhibere maluit, eoque subdole non *causam finalem*, sed id, in quod omnia reuersura essent, intellexit. De origine erroris Almariciani, num ex Platonica, an Aristotelica philosophia fluxerit, dixi in *observatione de haeresibus ex philosophia Aristotelico-scholastica ortis, tom. I. observation. selectar. num. XV. §. XVII.* itemque in *dissertat. de Spinozismo ante Spinozam*, quae in *analectis historiae philosophicae* extat, §. XI. ad XV. pag. 327. seqq. vbi & pag. 334. ex Aristotelica potius, quam Platonica philosophia eum deriuandum, probaui.

*** DAVID DE DINANTO Almarici fuit discipulus, magistrique vestigia premens, apertius etiam, quod ille sensit, elocutus est, asseruitque, *Deum esse materiam primam*. Hunc eum ab Alexandro Epicuraeo accepisse errorem, auctor est THOMAS DE AQUINO, *lib. I. contra gentil. cap. XVII.* Sed Alexandro, utpote Epicuraeo philosopho, eiusmodi sententiam tribui non posse, supra iam ad §. XVIII. obseruauimus. Probabilius longe &

& Almarici, & Daudidis de Dinanto, ex vno eodemque fonte profluxisse errorem. Haud difficulter concessero, quod IAC. THOMASIVS, de *exust. mundi Stoica*, *dissertat. XV. §. CXXIX.* docet, πρώτον ψεύδος Dinantii fuisse, *abnegationem creatricis omnipotentiae, quam ingeniosissimis quoque gentilium pater mendacii persuaserat.* Hunc namque erroris istius fontem vel maxime ex ARISTOTELE, qui eo tempore vnice in scholis regnabat, haurire poterant; quippe cui hoc cum reliquis gentilium firmiter persuasum erat, ex nihilo nihil posse fieri, adeoque aut mundum, aut materiam, semper extitisse. Sublato creatore, cum omnia ex materia deducerentur, primum admodum erat, materiam primam tandem pro ipso Deo habere; idque eo magis, quod scholastici simplicitatem & alia attributa, quae soli Deo conueniunt, materiae assignarent. Saltem argumenta quaedam haec ei praebere potuerunt, quibus impietati suae colorem quandam conciliaret. Iungenda, quae dixi, in *observatione de haeresibus ex philosophia Aristotelico-scholastica ortis, tom. I. observation. selectar. §. XVIII. pag. 205.*

* Vniuersam Scotistarum gentem, quae tantum olim in scholasticorum regno strepitum dedit, Spinozismi arguere non dubitat

PE-

PETRVS BAEIIVS. Nec enim *vniversale* illorum *formale a parte rei*, aut *vnitatem formalem a parte rei*, aliud quid sibi voluisse, quam quod deinceps Spinoza apertius elocutus est, & maiori eruditionis specie proposuit. Idem ex PETRI ABAELARDI, *epist. I. pag. 5.* locum producit, ex quo patet, GVI-
 LIELMVM CAMPELLENSEM, archidiaconum Parisiensem, acerrimumque Abaelardi aduersarium, itidem talia docuisse, quae cum Spinozismo conueniunt. *Erat, inquit, in ea sententia de communitate vniversalium, vt eandem essentialiter rem totam simul singulis suis inesse adstrueret indiuiduis, quorum quidem nulla esset in essentia diuersitas, sed sola multitudine accidentalium varietas; conf. dictionar. historico-crit. voc. Abaelardus, p. 18. item voc. Caesalpinus pag. 876.* Sane quidem istam Scotistarum hypothesin, *vniversalia citra intellectus operationem re ipsa existere, omniaque indiuidua de vna eademque essentia, non specie, sed numero tali, participare*, ad Spinozismum ducere, aut non multum ab eo differre, negari nequit. An vero Scotistae omnes, quae ex hacce hypothesi fluunt, dogmata impia perspexerint, vel, si perspicere potuissent, adprobaturi fuissent, id quidem est, de quo merito dubito. Addenda, quae iam hac de re dixi in *dissert. de Spinozismo ante Spinozam, §. XVII.*

§. XXIV.

§. XXIV.

Cum bonae literae, quae hactenus densa velut caligine oppressae iacuerant, iterum efflorescerent, vt veterum simul philosophorum, cumprimis Aristotelis, scita resuscitarentur, sentiendi hinc orta libertas apud multos in licentiam degeneravit, * magnamque in Italia cumprimis ** impiorum hominum produxit cohortem, quorum alii pro atheis habiti, aut talia, quae ad atheismum ducunt, docuisse crediti sunt, alii autem lasciuis, impuris atque profanis scriptis, sermonibus, moribus, ipsaque adeo vita, nullam numinis, si vera sunt, quae de iis narrantur, se habuisse rationem, testati sunt. Ad priorem classẽ PETRVM ARETINVM, *** FRANCISCVM POGGIVM, Florentinum, * IORDANVM BRVNVM, ** PETRVM POMPONATIVM, *** IVLIVM CAESAREM VANINVM, * HIERONYMVM CARDANVM, ** THOMAM CAMPANELLAM, *** NICOLAVM MACHIAVELLVM, * & celeberrimos istos Aristotelicae philosophiae interpretes, ANDREAM CAESALPINVM, ** CLAVDIVM BERL-

BERIGARDVM, *** & CAESAREM CREMONINVM* referre solent; ne quid de COSMO RVGGERIO dicam, qui cum Italus gente esset, in Gallia vixit, & postquam palam se atheum professus esset, obiit; ** ad posteriorem autem, PAVLVM IOVIVM, *** ANGELVM POLITIANVM, * HERMOLAVM BARBARVM, ** IOANNEM CASAM, *** M. ANTONIVM MVRETVM * aliosque.

* Magnus vtique illorum, qui post bonas litteras renatas ingenium ad atheismum & impietatem pronum demonstrarunt, fuit numerus: nec tamen atheorum proprie & stricte sic dictorum tantus, quantum nonnulli faciunt. Recensent atheos, qui post renatas litteras extitisse perhibentur, GIBBERTVS VOETIVS, *dissertat. de atheismo, tom. I. dissertat. selectar. pag. 217. seqq.* IOANNES MVLLERVS, in *atheismo deuictō*; & THEOPHILVS SPIZELIVS, in *scrutinio atheismi historico-aethiologico, pag 17. seqq.* sed ita, vt multos inter atheos referant, qui tamen, etsi aut moribus impii fuerint, aut erroneas quasdam prauasque sententias fouerint, ideo statim atheismi proprie & stricte sic dicti conuinci nequeunt.

***Italiam

* Italiam, foecundam atheorum, aliorumque hominum impiorum, matrem esse, pridem viris eruditis obseruatum. Quod cum varias ob causas, quas enarrare huius loci non est, contingere queat, nullum tamen dubium, quin crassa illa & prorsus ridicula clericorum hypocrisis, quae ibi conspicitur, multum eo conferat. Legenda, quae post HENRICVM STEPHANVM, *praeparat. ad apolog. Herodoto* hac de re congeffit GIBBERTVS VOETIVS, *loc. cit. pag. 217. add. DN. LA CROZE, entretiens sur diuers sujets d'histoire, pag. 283.*

* PETRVS ARETINVS atheis ideo annumerari solet, quod auctor detestandi libri, *de tribus impostoribus*, esse creditur. THOMAS equidem CAMPANELLA in *atheismo triumphato*, Poggium potius Florentinum hocce nomine suspectum fuisse, indicat: THOMAS autem BROVNE, de *religione medici sect. XIX.* Bernhardum Ochinum pro eius auctore venditat; alii aliter sentiunt. Plerique tamen, infausti huius foetus parentem PETRVM ARETINVM esse, volunt, quibus etiam accedit THEOPHILVS SPIZELIVS, in *scrutinio atheismi pag. 18.* qui & MAR. MERSENNVM laudat, *commentar. in genes. pag. 1830.* asserentem, ex singulari amici cuiusdam, qui librum legerat, indicio sibi constare, stilum esse Aretini,

tini. Sed dubitatum omnino fuit, & adhuc dubitatur, an vnquam eiusmodi liber extiterit. Etsi enim viri quidam docti hoc adfirmant; ad amicorum; a quibus hoc acceperint, testimonia prouocantes, alii tamen diserte hoc negant, quod & RICHARDVS SIMON facit, in *epistolis selectis*, *epist. XVII. pag. 142. seqq.* quibus & vir doctissimus BURCARDVS GOTTHELFF STRVVIVS noster suffragatur, in *dissertat. de doctis impostoribus*, §. VIII. & sequentibus; vbi recte simul docet, etsi eiusmodi liber nunquam editus sit, nefarium saltem eiusmodi iampridem circumlatum apophthegma, cuius num Simon Tornacensis, an Fridericus II. imperator auctor sit, copiose ibidem disquirat, sed vt vtrumque, praesertim Fridericum imperatorem, ab ista impietate liberet. Extare equidem hodie libellum manuscriptum sub hocce *de tribus impostoribus* titulo, & quidem gallicana lingua, certum est, quippe quem ipsemet vidi, sed eum, omnibus istis, qui eius auctores feruntur, longe recentiore esse, iam obseruavi in *hisor. eccles. vet. testam. ad period. II. sect. I. §. XI. pag. 534.* idque etiam confirmat vir doctissimus STRVVIVS, *loc. cit. §. XI. pag. 20.* Ad Aretinum itaque quod attinet, improbis & profanis moribus eum fuisse, non nego, idque & scripta ab eo edita testantur; atheum fuisse,

fuisse, saltem ex eo, quod auctor fuerit libri de *tribus impostoribus*, frustra dicitur.

* BRANDONIVS (vel, vt alii, BRACCIALINVS, aut vt rursus alii, IOANNES FRANCISCVS) POGGIUS, Florentinus, Eugenio atque Nicolao, aliisque pontificibus, a litteris secretioribus fuit, teste PAVLO IOVIO, in *elogiis*, num. X. Eum a THOMA CAMPANELLA pro auctore libri de *tribus impostoribus* habitum, antea iam obseruauimus. TOBIAS WAGNERVS, theologus Tubingensis, Aretinum atque Poggium coniungit, & vtrumque, communicatis consiliis, librum de *tribus impostoribus* confecisse, contendit, in *examine elenchico atheismi speculatiui*, cap IV. §. XXII. pag. 8. 9. Sed rationes, quas adfert, hoc neutiquam euincunt. Quod de Aretino diximus, idem de Poggio censendum, a pietate omni, vita, moribusque alienum cum se demonstrasse, directe autem negasse Deum, aut talia docuisse, ex quibus hoc sequatur, nondum mea opinione est probatum. Adeoque ad alteram potius, de qua mox dicemus, classem pertinebit.

** IORDANVS BRVNVS, Nolae in regno Neapolitano natus, Dominicanorumque primum ordini addictus, ob singularia in religione placita, relicta patria, Geneuam primum se contulit, hinc varias Europae partes

H

pera-

peragrauit, & in variis quoque academiis docuit, & philosophemata sua proponere ausus est; tandem vero Venetiis ab officio inquisitionis comprehensus, Romamque abductus, anno M DC ibi ob impietatem & blasphemias combustus est. Non tantum vero absona multa, sed & blasphema profusus, adstruere iam scriptis suis allaborauit, cuiusmodi sunt: *mundos esse innumerabiles; animam de corpore in corpus, immo & aliam in mundum migrare; vnā animam binā corpora informare posse; magiam esse rem bonam & licitam; spiritum sanctum esse nihil aliud, nisi animam mundi; mundum esse ab aeterno; Mosē miracula sua per magiam operatum esse, in qua plus profecerit, quam reliqui Aegyptii; eum leges suas consinxisse; sacras litteras esse somnium; diabolum saluatum iri; solos Ebraeos ab Adamo & Eua originem ducere, reliquos ab iis duobus, quos Deus pridie fecerat; Christum non esse Deum, sed fuisse magum insignem, & hominibus illusisse; & quae alia sunt eiusdem generis βδελύγματα.* Refert haec equidem CASPAR SCIOPPIVS, in epistola quadam de morte Iordani Bruni, quam vir clarissimus BURCARDVS GOTTHELF STRVVIVS noster exhibet, in *actis litterariis ex manuscriptis erutis, fascic. V.* & DN. LA CROZE dans ses *entretiens sur diuers sujets. d'histoire &c.*

pag. 287. seqq. Sed nullum in hacce epistola, a SCIOPPIO, Bruno tribui dogma, quod non in scriptis eius extet, ostendit idem LA CROZE, pag. 304. seqq. vbi & principia hominis impii ex libro eius de *immenso & innumerabilibus*, exhibet, ex quibus liquet, eum per Deum nihil aliud, quam ipsam naturam, aut essentiam infinite extensam, intellexisse, cuius necessitatem & aeternitatem probare annititur. Re ipsa itaque cum SPINOZAE insania sententia eius conuenit. Quod autem Dei nomine nihil aliud, quam natura ipsa, ei veniat, idem, quem iam laudavi, vir doctissimus, ipsius Bruni verbis luculenter pag. 317. & 318. comprobat. Recte idem etiam obseruat, secundum Bruni systema, Deum non posse vllam materiae partem destruere, nec nouam creare; nihil in mundo esse contingens, necessitatem autem materiae euidentius, quam Dei, demonstrari posse; & nihilofecius ex existentia Dei, eiusque operatione, suas eum probare opiniones; adeoque principio ad conclusiones suas probandas vti, quod per ipsas conclusiones istas, si verae essent, rursus euerteretur; idque sophisma ipsi itidem cum Spinoza commune esse, pag. 316. 317. Nec praetermittendum, quod eidem auctori obseruatum, Brunum substantias spirituales admittere, quos deos & daemonia vocet, *deos*

quidem, qui ex simplici lucis substantia compositi sint, quae votis & iustitia delectentur; daemonia autem ex aqua & spiritu, quae delectentur sanguine. Quod itidem, si nonnullis credimus, systemati Spinozae non repugnat. Etenim, si materia, quae unicam illam substantiam Spinozae constituit, cogitans statuatur, non magis, ex horum mente, ἀδύνατον est, dari substantias cogitantes inuisibiles, quam dari homines unicae istius substantiae modificationes. Qua de re in sequentibus plura. Intelligere hinc licet, non obstare quicquam, quo minus atheus & superstitiosus sit: idque & Bruni huius exemplo liquet, qui circa spirituum adparitiones, veneficia & artes magicas, ad stultitiam usque credulus fuit. Idem lingua italica librum scripsit, cui titulus: *Spaccio della bestia trionfante*, in quo impia sua deliria velut unico fasce complexus est, & subinde trium impostorum meminit: unde IOANNES TOLANDVS in eam ingressus est sententiam, hunc ipsum illum de *tribus impostoribus* librum esse, qui tantum in orbe strepitum dedit: qua de re, quem saepe iam laudauimus, LA CROZE, multa eruditè monet, pag. 326. seqq. quae legisse poenitebit neminem.

*** De PETRO POMPONATIO, Mantuano, qui circa finem decimi quinti, & initium decimi sexti

sexti seculi vixit, Patauiique magna celebri-
tate philosophiam docuit, diuersa extant vi-
rorum doctorum iudicia; quemadmodum
nec ipsi eius aduersarii, quos, dum adhuc
viuebat, expertus est, vnam eandemque de
eo fouerunt sententiam. Nonnulli nam-
que, quos inter & AVGVSTINVS NIPHVVS
fuit, qui librum contra eum scripsit, eum
citra ambages atheis annumerabant, idque
praecipue ob negatam animae humanae
immortalitatem. Sed IOANNES quoque
VIERSVS ab Helidaeo Foroliuiensi, Pompo-
natii discipulo, non semel se accepisse, te-
statur, eum fuisse atheum, quanquam idem,
sperare se, eum resipuisse, addat: de *prae-
stigijs daemon. lib. VI. pag. 569.* Eandem sen-
tentiam secutus est GABRIEL NAUDAEVVS, &
auctori *Naudaeorum* credendum, quae
tamen reuocatur, in *additionibus & cor-
rectionibus ad Naudaeana, pag. 163.* Sed
DANIEL quoque GEORGIVS MORHOVIVS
atheis eum annumerat, immo pro magistro
recentiorum atheorum habet. Cum enim
dixisset, *inter primos fere fuisse Pomponatium,
qui atheismi semina sparsit, & ex eius schola
Iul. Caesarem Vaninum prodiisse,* addit:
*Eandem, quam Vaninus, viam insistit Pom-
ponatius omnium magister, e cuius pharetra
omnia illa tela desumpta sunt, quibus nunc
vtuntur Spinozae & Hobbesii, & quicumque*

in vno illo ludo ad nequitiam docti sunt ; polyhistor. tom. II. lib. I. cap. XI. §. IV. pag. 55. Atque ita quidem vir ille doctus, cum tantum Pomponatii de *incantatione* librum legisset, pronuntiat. De quo quid censendum sit, ex dicendis constabit. Aliter tamen de Pomponatio iudicat, qui itidem ex aduersariis eius fuit, ex discipulo antagonista eius factus, CASPAR CONTARENVS, cuius & iudicium calculo suo adprobat THEOPHILVS RAYNAVDVS, hac de re ita verba faciens: *Non absolute ac simpliciter mortalem animam censuisse videtur Pomponatius, sed duntaxat, si ratio nuda consulere-
retur, vt liquet ex opere Contareni, Cardinalis, de immortalitate, conscripto aduersus Pomponatium, ipsius quondam Contareni in philosophicis magistrum. Nec aliud censuerim, voluisse illos eiusdem acui philosophos, damnatos a Lateranensi concilio, sub Leone X. Sc. de bonis & malis libris, num. XLII. pag. 25. seqq.* GVILIELMVM GRATAROLVM, medicum Italum, Pomponatii defensionem eundem in modum in se suscipientem, laudat, eique $\sigma\mu\acute{o}\psi\eta\Phi\omicron\nu$ se profitetur GISBERTVS VOETIVS, ad augendum ceteroquin, quam imminuendum atheorum numerum pronior, *dissertat. de atheismo, tom. I. dissertat. selectar. pag. 196. seqq.* Ex instituto vero Pomponatium ab atheismi crimine liberat

liberat PETRVS BAELIVS, *dictionar. hiflor. crit. voc. Pomponatius, pag. 2470. feqq.* & qui eum fequitur, IO. GOTTLIEB OLEARIVS, in *difertat. de Pomponatio*, Ienae anno M DCC IX habita. Sane, quod ad librum eius de *immortalitate animae* attinet, qui primam huic accufationi occafionem dedit; cum non femel, fed faepius profiteatur, fe animae immortalitatem firmiter credere, quia fcriptura facra eam afferit, hoc faltem fe negare, quod fecundum principia philofophiae Ariftotelicae demonftrari queat, non video, quo pacto inde atheifmū labes ei adfpergi poffit. Inurenda eadem impietatis nota viris longe praefantiffimis, etiam noftrae ecclefiae theologis effet, qui ex fola fcriptura facra, non aequè ex ratione, animae humanae immortalitatem firmiter demonftrari poffe, afferuere. Myfteria praeterea cuncta ex fola fcriptura constant, ne- tiquam ex ratione: nec profecto, qui, ex ratione ea probari poffe, negat, flatim ea in dubium vocare cenfendus effet. Interim tamen, ne quid diffitear, fieri potuit, vt Pomponatius ad caliginem aduerfariis of- fundendam hoc adfirmaret, fe fcripturae, de animae humanae immortalitate teftanti, fi- dem adhibere. Nec enim infolens, vt pro- fani homines eiusmodi impietati fuae *ω- φαν* quaerant. Sed iftud de incimis cor- dia

dis humani recessibus quis sibi arrogabit iudicium? Non minorem accusationi de atheismo speciem praebuit liber de *incantationibus*, quippe in quo non tantum iis, quae de magicis artibus vulgo narrantur, fidem denegavit, sed miracula quoque in dubium vocare visus est, hominibus quibusdam nescio quam virtutem naturalem talia efficiendi, quae pro miraculis habentur, tribuens. Verum, etsi quaedam miracula ex causis naturalibus explicare annitatur, idque perperam, omnia tamen eum negasse miracula, dici nequit. Contrarium ex verbis, quae ab aliis iam producta sunt, & cap. VI. pag. 87. extant, liquet: *Quamquam alia, quae referuntur esse facta, tam in historia legis Moysi, quam legis Christi, superficialiter reduci possunt, in causam naturalem; tamen multa sunt, quae minime in talem causam reduci possunt; veluti est de resurrectione Lazari quatrividuani, & iam foetentis; de coeco a natiuitate illuminato; de saturatione tot mille hominum ex quinque panibus & duobus piscibus &c.* Atque ex hisce, quo iure Pomponatius inter atheos referatur, iudicare licebit.

- * IULIVS CAESAR VANINVS, Petri Pomponatii discipulus, sed magistro, & ipso non satis bono, longe deterior, Taurisani in
Apulia

Apulia natus, cum ingenium non adeo contemnendum litteris excoluisset, & Aristotelicae cum primis philosophiae diligentem nauasset operam, hinc autem relicta patria varias Europae regiones peragrasset, editisque scriptis variis, ingenii & eruditionis laudem sibi comparasset, tandem Tholosae anno M DC XIX, vt atheus combustus est. Supplicium eius describit GABRIEL BARTHOLOMAEVS GRAMONDVS, *historiar. Galliae ab excessu Henrici IV. libr. III. pag. 210. seqq.* Diligenter quoque de vita, fatis & scriptis athei huius celeberrimi, super egerunt viri quidam doctissimi, IOAN. MAVRITIVS SCHRAMM, in *tractatu singulari de vita & scriptis famosi athei, Iulii Caesaris Vanini, in quo genus, mores & studia, cum ipsa morte horrenda e scriptis suis varioribus & fide dignis auctoribus aliis selecta sunt, & ne cui offendiculo sint, errores eius simul refutati; Custrini M DCC IX 4to.* DN. LA CROZE, dans *ses entretiens sur diuers suiets d'histoire pag. 337. seqq.* IOAN. GOTTLIEB OLEARIVS, in *duabus dissertationibus de vita, fatis, scriptis & opinionibus Iulii Caesaris Vanini, Ienae anno M DCC VIII habitis, & cum primis auctor apologiae pro Iulio Caesare Vanino Neapolitano, anno M DCC XII editae, de qua deinceps plura.* Cum Lucilii nomen a patre accepisset, ipse deinceps

Iulius Caesar vocari maluit, quod ineptissimae ambitionis argumentum est, cuiusmodi plura in scriptis eius occurrunt. Ad atheismum eius quod attinet, non desunt, qui eum ab hocce crimine prorsus absolunt, suppliciumque, quod perpessus est, in artes maleuolorum, quos expertus est, & tyrannidem cleri, conferunt. In eam ingressus est opinioem GOTHOFREDVS ARNOLDVS, in *historia haeres. part. II. lib. XVI. cap. XVI. §. IIX. seqq. pag. 601. seqq.* cum primis autem auctor *apologiae pro Iulio Caesare Vanino Neapolitano*, anno M DCC XII Cosmopoli editae, qui tam erudite, tamque ingeniose hac in re versatur, vt pessima etiam causa nunquam meliorem habuisse defensorem iure diei queat. Alii, eum omnino atheum fuisse, contendunt, iusteque adeo damnatum; at ex scriptis eius diserte atque aperte hoc colligi posse, negant. Primum inter scripta eius, quae viris eruditis, qui de eo sententiam pronuntiarunt, in manus venerunt, & hic in censum veniunt, est *amphitheatrum eius prouidentiae diuino-magicum, christiano-physicum, nec non astrologo-catholicum, aduersus veteres philosophos, atheos, Epicuracos, Peripateticos, & Stoicos, &c.* Lugduni anno MDCXV editum. Id sane variis doctorum hominum suffragiis munitum prodiit, quos inter

IOAN-

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE, censor libri, se hocce opus euoluisse, profitetur, *nihilque in eo a catholica & Romana fide alienum, sed cum peracutas, tum perualidas rationes iuxta sacram sublimiorum in sacra theologia magistrorum doctrinam (o quam utiliter) contineri.* Sed & GEORG. DANIEL MORHOFIVS, de Vanino verba faciens, *amphitheatrum eius, inquit, sanum est, ac subtiliter pro aeternae immortalitate disputat; polyhist. tom. I. libr. I. cap. VIII. pag. 79.* Alia libri huius, ceterorumque Vanini scriptorum, elogia colligit auctor *apologiae pro Incl. Caesar. Vanino pag. 34.* Licet autem liber hicce initio cum elogiis & adprobationibus munitus prodisset, mox tamen damnatus, & tum in Gallia, tum alibi, ne recuderetur, prohibitum est, teste THEOPHILO RAYNAUDO, *erotem. de bonis & malis libris, pag. 20.* Alter Vanini de *admirandis naturae reginae deaeque mortalium arcanis*, liber, qui Lutetiae anno M DC XVI lucem adspexit, variis itidem censorum suffragiis fuit adprobatus. Plures tamen mox vel ipso titulo offendit, qui naturam ipsam pro Deo venditare videtur. GEORGIUS DANIEL MORHOFIVS, qui amphitheatrum Vanini sanum iudicauerat, de hisce eius dialogis longe aliter pronuntiat: *Vanini dialogi istud atheismi virus sub dialogorum forma segunt, in quorum titula dissentis verbis*

verbis natura, Dea & regina dicitur, quae in privilegio regio, quod mirum, repetuntur, l. c. Nihilofecius non tantum auctor apologiae pro Vanino, & huncce eius librum innoxium iudicat, sed idem etiam facit IO. GOTTLIEB OLEARIVS, *dissertat. post. de scriptis & opinionibus Vanini §. XI.* Immo & IOANNES DIECMANNVS generatim de omnibus scriptis Vanini in mitiorem partem pronuntiat, de *naturalismo Bodini, pag. 24.* Mihi autem in utroque iam libro, apertius tamen in *dialogis*, quam *amphiteatro*, atheismi venenum sparsisse videtur. Sane, quae eius de religione christiana sententia fuerit, vel inde liquet, quod existimat, christianos, utpote e legitimo matrimonio, à Paulo apostolo ve sacramentum commendato, natos, non posse non esse stupidos simplicesque, adeoque ad religionem christianam, quae tales postulet, plane aptos, cum beatitudo illis, qui sunt *pauperes spiritu*, promittatur; *dial. de naturae arcanis, pag. 321. 322. item 354. 355.* Immo, cum de variis servatoris nostri actionibus ita differuisset, ut eas risui omnium exponeret, tandem per execrabilem ironiam concludit: *Sapientissima haec sunt Christi acta, loc. cit. pag. 358.* Atque hinc facile colligere licet, quo animo in *amphiteatro*, reiectis, aut explosis, eulentissimis existentiae Dei demonstrationibus, elumbes & nugatorias

torias probationes in earum locum substituerit; item, quo consilio obiectiones atheorum tam diligenter recenscat, nulla aut ieiuna admodum iis addita responsione, vt victoriam data opera illis concedere videatur. Haud nescio, ex eo quod aliquis parum accurate ad rationes atheorum respondeat, non posse quenquam atheismi argui, cum & ingenii, non autem voluntatis, hoc vitium esse queat. Meminisse tamen & eius oportet, quod vulgo dici solet, duo cum faciunt idem, non est idem. Sed plura non addo, cum DN. LA CROZE ex scriptis Vanini luculenter iam euicerit, eum atheismi suspicionem neutiquam declinare posse; *entretiens sur diuers sujets d'histoire &c. pag. 348. seqq.* qui & *pag. 344.* recte pronuntiat, atheismum Vanini chaos aliquod esse, ex philosophia Peripatetica, somniis Auerrois, & astrologia iudiciaria conflatum. Quanti Aristotelem fecerit, auctor *apologiae pro Vanino pag. 3.* hisce verbis testatur: *Philosophiae vero placitis delinitus, nunquam sine ambitiosa laudis commemoratione Aristotelis meminisse poterat. Hic ei philosophorum Deus, humanae sapientiae dictator, sapientum pontifex maximus; hunc mente, oculis, manibusque ferebat, huius se plane dederat.* Suo ergo exemplo, & Vaninus comprobauit, plerosque ea aetate atheos

atheos ex Aristotelica disciplina prodiisse. Etsi autem, Vaninum atheum fuisse, idque ex scriptis quoque eius elucescere, existimem, non tamen omnia, quae de eo vulgo narrantur, & lubrico vt plurimum fundamento nituntur, adprobo. Huc inter alia & illud refero, quod librum de *tribus impostoribus*, recudi curauerit. Praeterea inter argumenta, quae subinde ab aliis allata sunt, vt atheismi conuinceretur, nonnulla esse, quae id minime probant, lubens concedo, idque rectissime ostensum ab auctore *apologiae pro Iulio Caesare Vanino*. Multo minus modum procedendi, quo aduersarii eius aduersus eum vsi sunt, vitio caruisse existimo, aut omnibus, quae GRAMONDVS, aut alii, ex aduersariorum eius relatione narrantur, fidem adhibendam censeo. Fieri etiam potuit, vt, cum coram iudicibus existentiam Dei probaret, ad meliorem iam mentem reuersus esset, deinceps vero, cum nihil se proficere videret, per desperationem summam ad vomitum rediret. Legenda, quae hac de re differit LA CROZE, *loc. cit. p. 374. seqq.*

- ** Inter eos, quos Iulius Caesar Vaninus plurimi fecit, haud vltimum locum tenet HIERONYMVS CARDANVS, quippe cuius effatum notissimum: *Christiani Iouem iunctum habent*

bent cum sole, illiusque diem colunt dominicum; sol autem significat iustitiam ac veritatem; Christiana autem lex plus continet veritatis, & simplices reddit homines, in Ptolom. de astrorum iudicio libr. II. thes. 54. subinde repetiit; vid. dial. de arcanis, pag. 354. Fuit autem Cardanus medicus & philosophus seculi decimi sexti celeberrimus, & ob vitae, quam tenuit, rationem plane singularem, quam ipsemet in libro de *vita propria*, ex bibliotheca GABRIELIS NAVDAEI, Parisiis M DC XLIII edita, descripsit, memorabilis. Patuit autem ipsius exemplo, per astrologiam iudiciariam ad deliria prorsus impia homines abripi posse. Namque non tantum religionum fata, sed & ipsius Christi seruatoris natiuitatem ex astrorum deriuare posuit, stolido non minus, quam profano conatu ausus est. Nec tamen primus fuit, qui Christi natiuitatem astris tribueret, etsi ipse tam insani commenti primus inuentor videri vellet, cum iam alii ante ipsum simile quid tentarint; qua de re in sequentibus erit dicendi locus. MARTINVS DELRIO auctor est, Cardanum peculiari libro mortalitatem animae asseruisse, quem amicis interdum ostenderit, non tamen in lucem emisit, *disquisit. magic. tom. I. libr. II. qu. XXVI. pag. 258.* In medio hoc relinquit THEOPHILVS RAYNAVDVS, immo fortassis con-

con-

confictum esse, concedit, eo quod librum de *animarum immortalitate* scripserit, Lugduni anno M DC XLV editum. Quanquam cum eo ipso opere, *cap. XIII. pag. 280.* aperte prodatur, *fato se ac monitis prohiberi, reliqua dicere, quae de anima sentiret, suspicionem hinc esse, RAYNAVDVS* asserit, *bunc polypum ad eam scriptionem metu infamiae adactum, vere antea tale quid scripsisse contra animae immortalitatem, quale nonnulli referunt, idque doctrinae venenum eius in pectore, etiam post editum eum, quem retuli, librum delituisse.* Hisce alia quaedam addit, tandemque concludit: *In summa, tam multis, tam tetris, horrendisque propositionibus omnes fere libros suos incestavit Cardanus, ut suffixioni meritissimo patere posset, tanquam homo nullius religionis ac fidei, & inter clancularios atheos secundi ordinis in quo versamur, aevo suo facile princeps; erotemat. de bonis & malis libris, pag. 27.* Eo minus autem iniuria Cardano fieri videtur, si inter atheos referatur, quod de se ipso diserte profitetur, *se parum pium fuisse, de vita propria, cap. XIII. pag. 59.* Sed hoc cum de cultu Numinis haud dubio intelligat, inde nondum euincere licet, eum fuisse atheum. Plurima potius occurrunt, quae suadent, superstitioni eum ad ineptias usque deditum fuisse. Huc inter alia & illud

illud pertinet, quod de *vita propria*, cap. XXXVII. pag. 266. de seipso refert: *Laborabam, & iamdiu ad desperationem vitae vsque laboraueram, ut alias dixi, empyemate illo notho. Legebam in collectis a patre meo, si quis hora matutina VIII kalendas Aprilis exoraret virginem sanctam, ut filium rogaret pro re licita, genibus flexis, adiecta oratione dominica, nec non salutatione virginis Angelica, obtenturum, quod petierit; obseruaui diem horamque, peregi supplicationem, & non tunc statim, sed die corporis Christi, eodem anno liberatus prorsus sum. Multa praeterea in scriptis eius occurrunt, quae ab atheismi suspicione eum liberant; quae in compendio SAMVEL PARKERVS adduxit, qui & recte tandem mea opinione pronuntiat, eum non omnino atheum, sed totum fanaticum fuisse; de Deo & prouidentia diuina disput. I. sect. XXV. pag. 77. cui iudicio & PETRVS BAEIVS subscribit, diction. histor. cris. voc. Cardanus, pag. 803. 804.*

*** Singularem THOMAM CAMPANELLAM, qui Styli, quod est Calabriae oppidum, anno M D LX natus, cum adoleuisset, Dominicanorum se addixit ordini, fuisse ingenio, sed fata quoque eum singularia expertum, ex iis, quae IANVS NICIVS ERYTHRAEVVS, *pinacoth. I. pag. 41.* de eo disserit, notum est.

Varia paradoxa cum libris suis inferuisset, in atheismi suspensionem tamen maxime venit ob librum, cui titulum fecit: *atheismus triumphatus*, quive Parisiis anno MDCXXXVI editus est, quemue *atheismum* potius *triumphantem* dicendum, iam pridem viri docti censuerunt. Certe plura ad euertendam, quam defendendam religionem christianam in eo occurrere, res ipsa docet. Legenda, quae de eo obseruat LA GROZE, *entret. sur diuers suiets d' histoire &c. pag. 381.* Ipse quidem, opus hocce cum primis contra *anti-christianismum Machiauellisticum* se scripsisse, vult videri; idque in ipso titulo profitetur. Sed sub alia saltem forma cum impia Machiaueli dogmata produxisset, recte iam obseruatum IO. HENRICO BOECLERO: *Quatibus laruis Thomas ille Campanella, nouae religionis, vt iactitat, repertor, reuera autem ad Callicratis instar, homo callidus, & ad fraudem acutus, sine vlla religione ac fide, publicis iudiciis voluit imponere. Cum enim vidisset, Machiauellum ob vafra & improba eiusmodi consilia apud plerosque vapulare, ipse velut mangonio quodam adornata, quae Machiauellus nuda protulerat, ita denuo in theatrum induxit, vt & reprehenderet subinde Machiauellum, & Machiaueli tamen placita sedulo sub diuersis nominibus teneret; comment. in anal. Taciti libr. I. cap. III. §. VII.*

pag.

pag. 100. Extat epistola Campanellae ad Casparem Scioppium, praefixa *atheismo triumphato* in codice Msto academiae Ienenfis, a viro clarissimo BVRCARDO GOTTHELF STRVVIO edita, in *actis litterariis ex manuscriptis editis, fascic. II. pag. 39. seqq.* in qua Campanella fata sua exponit, simulque non dissimulat, talia sibi ab aduersariis obiecta, quae atheismi & impietatis eum arguerent. *Deinde, inquit, accusarunt me, quod composuerim librum de tribus impostoribus, qui tamen inuenitur typis excusus annos triginta ante ortum meum ex utero matris.* Quae si vera essent, dubitari non posset, librum eiusmodi reuera existere. Sed pergit: *Deinde, quod sentirem cum Democrito: quoniam ego iam contra Democritum libros edideram.* Item, *quod de ecclesiae republica & doctrina male sentirem, cum tamen ipse de monarchia christianorum scripserim, ubi ostendi, nullum philosophum potuisse sic rectam depingere rempublicam, vt Romae ab apostolis instituta est; &c. pag. 74. 75.* Cum primis adhuc obseruatu dignum puto, quod addit: *Omitto, quanta scripserim contra Peripateticismum, qui est zizania euangelii & officina Machiaueli.* Namque vel hinc intelligitur, multorum iudicio, nec sine ratione, atheismi tum erumpentis fontem, philosophiam ethnicam, speciatim Peripateticam, habitam

fuisse. Cuncta autem, ad Campanellam quod attinet, si accuratius pensitauero, cum inter eos atheos, qui directe Numinis existentiam negarunt, referendum non esse, existimo, hominem tamen profanum, religionisque expertem, & ad absona quaeuis defensitanda paratum fuisse, negari prorsus nequit. Ita & DN. LA CROZE de eo pronuntiat, *entret. sur diuers suiets d' histoire pag. 382. seqq.*

- * NICOLAVM MACHIAVELLVM, politicum illum Florentinum longe notissimum, passim inter atheos referri videas. Ipse PAVLVS IOVIVS, cum fata eius duriora descripsisset, addit: *Fuit exinde semper inops, uti irrisor & atheos &c. in elogiis pag. m. 194.* THEOPHILVS RAYNAVDVS, cum atheorum, quos vocat, clanculariorum, tertium ordinem eorum statuisset, qui religiosum cultum eatenus probandum & retinendum censent, quatenus ad continendos populos in ciuili disciplina & obedientia politica, potest conducere, primum in eo locum Machiauello tribuit. *Tertiae, inquit, classis ductor omnium consensu est Machiauellus, libris discursuum, ac de principe, vsque eo tetrus ac proiectae in religionem ac sancta omnia audaciae, ut ipsi quoque sectarii in eum calamos strinxerint, & omni studio libros eius exterminandos esse sint pro-*

professi; erotem. de bonis & malis libris, p. 27.
 Censuribus equidem Machiaueli, quos plurimos nactus est, non temere est credendum, cum inter eos sint, qui ne scripta quidem eius legerunt, aut, si legerunt, non intellexerunt, aut ipsi tandem, quid in eo laudandum, quid vituperandum sit, nesciunt. Exemplo esse potest ANTONIVS POSSEVINVS, Iesuita haud incelebris, cuius instinctu maxime a Romana inquisitione damnatus fuit Machiaueli *princeps*, quem tamen ne quidem ei lectum fuisse, luculenter ostendit HERMANNVS CONRINGIVS, in *epistola ad Gebbardum ab Aluensleben*, Machiaueli *principi*, cum eius animaduersionibus edito, praemissa. Addit deinde idem CONRINGIVS: *Si in alios porro Machiaueli damnatores accuratius inquiramus, non est etiam fortassis, quod eorum vel magnus numerus, vel auctoritas vsque adeo quem statim in consensum abripiat. Certe res ipsa loquitur, eorum maximam copiam damnare, ne lecta sibi quidem, haud paucos iudicii inopia prodita, iam decoxisse existimationem; complures denique non nisi in speciem, & ut fucum vulgo faciant, Machiauellica detestari &c.* Verissima quidem haec sunt, nec tamen ideo existimandum, iniuriam fieri Machiauello, si impietatis accusetur. De religione enim, speciatim christiana, non adeo praeclare

eum sentire, tum ex *discursibus* eius in *Liuium*, tum ex libro, cui titulus, *Princeps*, satis superque constat. Nec diffitetur id, quem iam laudauimus, vir summus, HERMANNVS CONRINGIVS. *At vero*, inquit, *me quoque fatente*, *illa quidem Machiauelli accusatio iusta est, quod sacrorum nostrorum obtrektor ille fuerit; passim enim ille denudat hunc suum animum impium, quantumuis nonnunquam simulet aliud, aut vero coactus sanctimonia religionis nostrae, quae ipsi impietati oculos perstringit, & dat illam in ruborem, alia docuerit.* Huc inter alia & illud referas, quod Machiauellus docet, doctrinam christianam reipublicae rationibus non conuenire. Hoc enim si quis illi credat, non potest non etiam optare religionem, qua reipublicae rebus rectius consulatur. Quantopere vero hac in re fallatur, a me iam ostensum, in *dissertat. de concordia religionis christianae statusque civilis, cap. II. §. II. & V.* Praeterea & illud vel maxime, nec sine ratione, in Machiauello reprehendi solet, quod vim roburque virtutis ac honesti infregerit, dum non omnia tantum ad vtilitatem referre principem suum docuit, sed pro virtute solida simulationem virtutis commendauerit, si eam vtilitatis ratio postulet, immo a virtutis regia via subinde deflectendum principi suaserit,

ferit, si sua falua esse velit. Non desunt equidem, qui ista eius asserta aut emol-
lire, aut excusare anntuntur, a quibus ta-
men iterum recte dissentit HERMANNVS CON-
RINGIVS: *ego tamen, inquit, ingenue fa-
teor, deprehensam etiam a me in variis Ma-
chiauelli scriptis minus rectam illam doctri-
nam, cuius nomine ille adeo male audit. Ut
enim haud negauerim, sine malis artibus eius-
modi teneri haud posse inique parta imperia,
nefas tamen est, illas in promiscuum usum
principibus omnibus, immo omnibus rebus
publicis commendare, id quod fecit Machia-
uellus. Certum est, nec solum, nec primum
fuisse Machiauellum, qui talia docuit. Im-
mo ipsum ARISTOTELEM, ne quid de aliis,
tum philosophis, tum historicis, & inter hos
de C. CORNELIO TACITO dicam, iam pri-
dem eadem docuisse, Machiauellumque sua
ex ARISTOTELE desumisse, idem, quem
iam aliquoties laudauimus, HERMANNVS
CONRINGIVS, non minus magnus Aristo-
telicae philosophiae stator ac vindex, quam
ingenuus & cordatus Machiauelli censor,
introducet. in polit. Aristot. cap. III. pag. 683.
pronuntiat. *Nicolaus Machiauellus, inquit,
cymbalum illud politicarum artium, nullum
fere dominatus arcanum consilium principem
suum potuit docere, quod non dudum ante ad
tyrannidem & dominatum conseruandum fa-
cere.**

cere, Aristoteli libr. V. (politicorum) sit obseruatum. Quin sua omnia uaserrimus hic nequitiae doctor dissimulato plagio ex Aristotele fortasse transcripsit: eo tamen discrimine, quod hic impie & imprudenter omni principi commendet, quae nonnisi dominis ac tyrannis conuenire, longe rectius & prudentius scripserat ante Aristoteles. Negandum praeterea non est, cum ipsa hoc doceat experientia, plerosque principes rerumque dominos, suo id hodie comprobare exemplo, quod Machiauellus docuit. Quid uero de principibus dico? Quotus quisque etiam priuatae sortis hominum est, qui non omnia ad utilitatis suae rationem referat, & uirtuti tantum tribuat, quantum hoc rebus suis expedire credit? Ita ergo cum omnes Machiauellum detestentur, reuera nihil aliud agunt, quam quod Machiauellus docuit. Quare quod de mathematicis, seu astrologis, C. CORNELIUS TACITVS pronuntiauit, *hisor. lib. I. cap. XXII.* recte etiam de Machiauellismo dixeris: *uetabitur semper & retinebitur.* Licet ergo Machiauellus directe, quantum constat, existentiam Numinis non negauerit, aut impugnauerit, hominem tamen profanum, nullius religionis, nullius fidei fuisse, taliâque, quibus homines ipsi similes redderentur, docuisse, ex hactenus dictis constat. Solent & alia

alia de eo circumferri, ex quibus atheismi & impietatis conuinci queat; sed ea non satis certa sunt; cuiusmodi illud est, quod THEOPHILVS SPIZELIUS refert, in *scrutinio atheismi historico-aetiologico* pag. 132. Legendus & de eo PETRVS BAEIIVS, *diction. histor. crit. voc. Machiauellus*, pag. 1958. *seqq.*

** ANDREAS CAESALPINVS, Aretinus, medicus & philosophus celeberrimus, qui Romae anno M DC III mortuus est. Peripateticae philosophiae vt addictissimus, ita peritissimus etiam fuit, adeo, vt iudice SAM. PARKERO, *recentiorum primus & pene postremus fuerit, qui, quid Aristoteles velit, cepisse visus est; de Deo & prouidentia disput. I. pag. 64.* Et sane sententia Caesalpini de Deo, cum mente Aristotelis, prout supra ad §. XV. eam exposuimus, accurate conuenit. Cuncta enim eo redeunt, mundum hunc ab omni aeternitate extitisse, omnesque naturae effectus inuitabili quadam necessitate, Deo nihil ad hoc conferente, oriri; Deum supremam intelligentiam seu primum motorem esse, qui reliquis intelligentiis, quae singulis coelorum orbibus insistent, motum quendam, eorum adpetitum ciendo, imprimat, quem suis orbibus impertiant, orbis elementis, quorum diuersis motibus & misturis omnis generetur natura, adeoque

ab initio ad exitum nihil consilio, sed bruta necessitate facta fuisse omnia. Ita accurate mentem Caesalpini, simulque ipsius Aristotelis, exprimit SAMVEL PARKERVS, *l. c. pag. 65*. Quae ad atheismum tendere nemo non intelligit, & ex iis, quae supra de Aristotele diximus, liquet. Vterius progreditur PETRVS BAEIIVS, & Caesalpinum Spinozismi accusat, in *dition. hist. crit. voc. Caesalpinus, pag. 876*. Etsi enim cum Aristotele intelligentias sphaerarum coelestium motrices admittat, has tamen cum pro partibus saltem Dei, cum materia subtilissima ratione vniti, habere, quae etiam de animabus hominum, atque brutorum, eius sit sententia. Nec alia profecto mens Caesalpini fuisse videtur, vti etiam GERHARDO IOANNI VOSSIO obseruatum, de *orig. & progressu idololatriae lib. II. cap. XL. pag. 531*. Iungenda, quae dixi in *dissertat. de Spinozismo ante Spinozam. §. XVI*.

*** CLAVDIVS BERIGARDVS, Molinensis, adeoque gente quidem Gallus, sed in Italiam transplantatus, celebris seculi decimi septimi philosophus. Cum in academia Parisiensi magnam eruditionis famam sibi comparasset, a magno Etruriae Duce Pisam vocatus, per annos duodecim philosophiam ibi docuit, quod & deinceps Patauii fecit. Editio
autem

autem anno M DC XLIII *circulo*, quem vocat, *Pisano*, atheismi suspicionem apud multos subiit. Nec sine ratione. Dum enim hocce opus per modum dialogi conscripsit, sermonem in duas personas, *Charilaum* & *Aristaeum* distribuit, quorum alter *Aristotelem*, qui praeter materiam quendam, primum motorem, providentiae tamen expertem, posuit, alter antiquos istos (Ionicos) defendit, quos omnia corporea esse velle, nullumque primum motorem ab uniuerso corporeo distinxisse, putavit. Atque adeo uno eodemque opere diversas cum Epicureae, tum Peripateticae impietatis rationes adornavit, quanquam Aristotelis disciplinam fusius & ardentius excoluit; &c. Ita SAMVEL PARKERVS, de Deo & providentia disputat. I. sect. XXIV. pag. 67. apud quem & reliqua legi possunt. Confirmat haec PETRVS DE VILLEMANDY, in *scepticismo debellato* pag. 11. ubi simul ostendit, Berigardum in scepticorum etiam militasse castris.

- * CAESAR CREMONINVS, e Cento, oppido Mutinensis agri oriundus, Ferrariae primum, deinde Patauii philosophiam magna celebritate docuit, ultimoque in loco octuagenarius anno M DC XXX funesta peste extinctus est. Aristotelem itidem ducem atque magistrum secutus est, eius placita reliquis omnibus

omnibus praeferens. IOAN. IMPERIALIS cum
 eum Francisco Piccolomineo successorem
 datum memorasset, addit: *tanto autem per
 quadraginta annos in eo munere consumma-
 tae gloriae fastu (vixit) vt ARISTOTELIS
 GENIVS, & graecorum lucerna interpretum,
 omnium vocibus praedicaretur; in museo hi-
 storico, p. m. 178.* Quod autem in atheismi
 suspicionem apud nonnullos venit, inde
 factum est, quod animae in dubium vocasse
 immortalitatem creditus est. Qua de re
 iterum IO. IMPERIALIS: *Tanta versatilis in-
 genii decora turbavit vna studentium animis
 imbibita opinio, quod is deteriores & repro-
 batiores de rebus physicis sensus tueretur acri-
 us, quam orthodoxae fidei liceret alumno:
 olet enim vero morbofi animi virus, diuinos
 hominum spiritus cum brutis animantibus
 communes facere, corruptionique reddere ob-
 noxios, vesano hercle rationis ausu, quando
 quisque, nisi amens, celatos percipiat in se
 ipso igniculos mentis, etiam ad posteros du-
 raturae.* LAURENTIVS CRASSVS, dum ea-
 dem fere de Caesare Cremonino retulisset,
 hoc tamen addit, secundum mentem sen-
 tentiamque Aristotelis hoc eum docuisse,
elog. hum. litter. tom. II. pag. 124. Si ergo
 saltem secundum mentem Aristotelis hoc
 dixit, nihil obstat, quo minus secundum
 scripturam sacram animam hominis immor-
 talem

talem crediderit. Sane fieri potuit, vt reuera animas hominum mortales crederet, & hanc restrictionem, secundum mentem Aristotelis saltem id se asserere, ad impietatis infamiam euitandam adiiceret. Sed cum de intimis mentis recessibus iudicare, hominum vires superet, in mitiorem & de Cremonino pronuntiandum partem, nonnulli existimant. IO. IMPERIALIS & alia addit, ob quae impietatis suspicionem subierit: *Sed alias pariter de fato, de mundo, de coeli motoribus placita perperam interpretatus est, loc. cit. pag. 180.* At causam Cremonini aduersus Imperialem egit PAGANINVS GAUDENTIVS, in *diatriba historica, de Caesare Cremonino, Iulio Pacio atque Ioanne Barclaio*, libro de *euulgatis Romani imperii arcanis*, annexa, memorante THEOPHILO SPIZELIO, de *atheismi radice*, pag. 20. Quod vero ab aliis adfertur, & GISBERTVS VOETIVS sibi persuaderi passus erat, Cremoninum, vt indicaret, animae immortalitatem se non credere, hoc sibi epitaphium confici voluisse: *Caesar Cremoninus hic totus iacet*, hoc falsum esse, ipsemet agnoscit VOETIVS, *disp. de atheismo tom. I. disp. selectar. pag. 206.*

** COSMVS RVGGERIVS, Florentinus, ob astrologiae peritiam, Catharinae de Medicis, Galliae reginae, fauorem, & celebritatem quandam obtinuit. Artium magicarum accusatus

tus, & ad triremes condemnatus, libertatem iterum obtinuit. Obiit tandem post varia fata Parisiis, anno M DC. XV, cum antea professus esset, se non alios diabolos, quam inimicos, quos quisque habeat, nec alium Deum, quam principes, qui beneficia in alios conferre possint, credere. Legenda quae de eo differit PETRVS BAEIVS, in *dict. hist. crit. voc. Ruggerius*, p. 2526. vbi & disquirat, an magicae artes illi tribui queant, qui nec Deum, nec diabolum credit.

*** PAVLVS IOVIVS, historicus ille notissimus, in quo praeter alia & hoc reprehendi solet, quod calamum venalem habuerit, subinde atheis annumeratur, speciatim & a TOBIA WAGNERO, in *examine elenchtico atheismi speculatiui cap. V. pag. 10.* Sed docuisse eum talia, ex quibus iure atheismi coargui queat, nullo, quod mihi quidem innotuit, hactenus comprobatum est documento. Probatis non fuisse moribus, vel ipsa illa, quam in historiis ad fauorem aliorum captandum componendis, demonstrauit, animi leuitas ostendit. Confirmat idem IO. IMPERIALIS, ieiuna & ridicula excusatione vitium, quod de eo narrat, eo magis exaggerans: *Nam quod te (Iouium alloquitur) laxius atque intemperantius vixisse, dictitent, quam ecclesiasticum deceret, sacrisque oscitantius vacasse prec-*

precibus, iis praesertim, quae quotidie a singulis recoluntur clericis, sunt hae minutulorum quorundam grammaticorum voces, qui tuum cum attingere nequeant, excellentiae fastigium, ad iurgia facile ac misere prolabuntur, &c. in museo historico p.m. 6.

* Quantum ad litteras meliores restaurandas contulerit ANGELVS POLITIANVS, quemue inter primos eorum statores ac vindices teneat locum, non temere quisquam ignorabit. Sed non minus inter atheos eum passim referri, omnibus notum. Documento est maximum, quod prae se tulit, diuinarum litterarum vilipendium. LVDOVICVS VIVES auctor est, *totam eum sacram lectionem aspernatum, lib. II. de veritate fidei christian. p. 264.* Accedit PHILIPPVS MELANCHTHON, qui semel ait, *solum eum sacras litteras legisse, dixisseque, nullum se tempus peius collocasse, tom. III. declamation. p. 545.* Hinc saepissime hoc ab aliis repetitum. Excusare quidem eum GERARDVS IOANNES VOSSIVS, de *poëtis latinis c. VI.* & rationibus quibusdam euincere conatur, parum hoc esse verosimile; quem & ANTONIVS BORREMANSVS sequitur, *variar. lection. cap. XI. p. 126.* Sed eas ita neutiquam comparatas esse, rationes, vt a MELANCHTHONE, aliisque dicta, conuellere aut labefactare queant, ostendunt.

ostendit THOMAS CRENIVS, *animaduerſion. hiftoricar. & philologicar. part. III. pag. 23.* Odas praeterea Pindari, psalmis Davidicis non tam praetulisse, quam aequiparasse dicitur; quamuis hoc ab aliis LAZARO BONAMICO tribuatur. Legenda, quae hac de re monet, PETRVS BAEIIVS, *diction. hiftor. critic. voc. Politianus pag 2467.* Improbis ergo & profanis fuisse moribus Angelum Politianum, religionisque curam in minimis posuisse, non est, quod dubitemus. Si eam ob rem atheus dicendus est, paucos forte inter eruditos, eos praesertim, qui secularium litterarum studio toti addicti sunt, reperias, qui non in eundem referendi fuerint censum.

** Iungitur haud immerito Angelo Politiano HERMOLAUS BARBARVS, quippe qui & eodem tempore vixit, & inter primos itidem bonarum litterarum restauratores haud vltimum locum tenuit. Inter atheos passim referri solet. Sufficiat nominare THEOPHILVM SPIZELIVM, qui cum & Angeli Politiani inter atheos mentionem fecisset, *de Hermolao Barbaro*, inquit, *quamuis patriarcha Aquiliensi videndus Monlorius tractat. de entelechia.* Dum ad MONLORII tractatum de *entelechia* nos ablegat, haud dubio illud in animo habuit, quod vulgo circumfertur,
Barba-

Barbarum super significatione vocis ἄθεος, qua Aristoteles vsus est, daemone consuluisse. Et sane plurimi hoc de eo referunt. Quod si etiam PETRO CRINITO credimus, de *honestâ disciplina libr. VI. cap. XI.* ipsemet hoc fassus est Barbarus. Sed si vel maxime hoc ita se habeat, atheum eum fuisse, inde non sequitur. Alia aut in doctrina, aut vita eius, quae eum atheismi arguere queant, inuenire non potui.

*** Quam male Beneuentanus hicce archiepiscopus IO. CASA, ob laudatam carmine paederaftiam passim audiat, nemini temere ignotum esse potest, cum saepissime in scriptis fere innumeris hoc ei sit exprobratum. Soletque & hoc nominae a quibusdam inter atheos referri; quod haud dubio de practicis intelligunt. Non desunt equidem, qui a criminis antea memorati suspicione eum liberant, quod nuper etiam fecit vir clarissimus, NICOL. HIERONYMVS GVNDLINGIVS, *obseruat. selectar. ad rem litterar. spectantium, tom. I. obseruat. V. pag. 120. seqq.* Nec tamen ipse doctissimus eius apologeta diffitetur, talia in isto carmine occurrere, quae castas aures offendunt, animique impuri & lasciuui praebent indicium. Adde saltem, quod de eo IO. IMPERIALIS refert, eum ob vitae impurae suspicionem spe obtinendi

K

cardi-

cardinalitiã dignitatem excidisse. Idque cum memorasset, subiicit: *Ita nec forsitan mentiuntur alii, perhibentes, eum a puberibus vsque annis plurimum luxui deditum extitisse, a quo vel sacro etiam indutus archiepiscopi firmate non desciuit; in museo historico pag. m 27.*

* M. ANTONIVS MVRETVS, oratorum seculi sui facile princeps, elegantiorumque litterarum summus antistes, Gallus quidem gente fuit, sed in Italiam delatus, Romae tandem, quod reliquum fuit, vitæ tempus transegit, ibique anno M DC XXXV vitam cum morte commutavit. Impietatis & epicureismi suspectum fuisse, pronuntiat THEOPHILVS SPIZELIVS, in *scrutinio atheismi historico-aetiologico, pag. 22.* Certe magnorum criminum & ab aliis reus agitur, quod nec IANVS NICIVS ERYTRAEVS diffiteri potest, in laudes eius ceteroquin profusus, qui & eum tandem resipuisse, auctor est, *pinacoth. I. imagin. illustr. pag. m. 13. 14.* Dolendum, inter viros doctos tam multos esse, qui impuris moribus non tam sibi, quam ipsis litteris labem adspargunt. Non tamen ideo statim inter atheos proprie sic dictos referendi sunt.

§. XXV.

Nec sola tamen Italia atheorum patria censenda, etsi eorum prae aliis regionibus sit feracissima. Galliam quoque eiusmodi monstra producere, ex doctorum virorum testimoniis constat, & ipsa quoque experientia docet.* Ne quid enim de obscurioribus quibusdam dicam,** FRANCISCVS ille RABELESIVS, si non inter theoreticos, certe inter practicos, haud vltimum locum tenet.*** De MICHAELE MONTANO diuersa extant virorum doctorum iudicia.* RÉNATVS CARTE-SIUS ab hac suspitione merito liberatur, etsi incaute quaedam docuerit, quae atheis inferuire possunt.** PETRVS BAELIUS haud raro itidem arma atheis suppeditat, dumque contra eos pugnat, non serio satis rem agere videtur, hinc & ipse a nonnullis in atheismi suspitionem adductus.***

* MARIO MERSENNO si credimus, ingens atheorum ipsius aetate in Gallia fuit multitudo. Parisiis namque anno M DC XXIII eorum numerum ad 60000 excreuisse, auctor est, immo in vnica domo duodecim

subinde homines reperiri, qui eiusdem impietatis rei sint, *comment. in genes. pag. 671.* Repetunt hoc ex eo GIBERTVS VOETIVS, *disputat. de atheismo, tom. I. disputation. selectar. pag. 218.* THEOPHILVS SPIZELIVS, in *scrutinio atheismi, pag. 26.* aliique plurimi. Quod si de practico, quem vocant, atheismo capias, seu hominibus, quorum improbi prauique mores sunt, haud difficulter crediderim. Immo longe plures ibi & olim fuisse, & hodie esse, nec pauciores alibi terrarum reperiri, lubens concesserim. De theoreticis vero, seu atheis, proprie sic dictis, si hoc intelligas, fidem, fateor, superat. Et qui MERSENNVS tam accurate numerum eorum inire potuit? *conf. LA CROZE, entretiens sur diuerss sujets d'histoire, pag. 398.* Multa alia de atheis Galliae adfert THEOPHILVS SPIZELIVS, *loc. cit.* sed vt tandem fateri necesse habeat: *Quicquid auctores haectenus citati de atheis in Gallia conquerruntur, id neutiquam de atheis directe talibus, & aperte Deum negantibus, est intelligendum, &c.*

** Huc refero GOTHOFREDVM A VALLE, atque BONAVENTVRAM DE PERIERS. Illum, librum de *arte nihil credendi*, edidisse, & ob atheismum Parisiis anno M D LXXI combustum, ferunt. Ita post GIBERTVM VOETIVM, *disput.*

disput. de atheismo, THEOPHILVS SPIZELIVS, de *atheismo eradicando*, pag. 16. & DANIEL GEORGIUS MORHOFIVS, *polybist. litter. tom. I. lib. I. cap. VIII. pag. 79.* Sed LA CROIX DV MAINE, *bibl. gallic. pag. 125.* alium eius librum memorat, & ob haeresin, Parisiis M D. LXXIV combustum, auctor est. Liber, *de arte nihil credendi*, nemini illorum, qui eius meminerunt, visus est. Nec aliud quid, de homine hocce atheo innotuit, de quo & videndus PETRVS BAEIVS, *dictionary. histor. critic. voc. de la Vallée, pag. 2940.* BONAVENTVRAM DE PERIERS, auctorem libri impii & blasphemii, *cymbalum mundi*, dicti, esse ferunt, quanquam alii saltem hunc librum ex lingua latina in gallicanam ab eo traductum, perhibeant. Mentionem eius facit GISBERTVS VOETIVS, *loc. cit. pag. 199.* quem & alii sequuntur. Iungendus PETRVS BAEIVS, qui nec huncce librum sibi visum profitetur, *voc. Periers. pag. 2350.*

*** FRANCISCVS RABELESIVS, monachus primum, deinde medicus, circa medium seculi decimi sexti vixit, bonarumque litterarum haud rudis fuit; postremo autem, auctore AVGVSTO THVANO, *omni studio serio omisso, se totum vitae solutae, ac gulae mancipavit, & ridendi artem, hominis (sicut ipse aiebat) propriam amplexus, democritica libertate.* S

K 3

scuz-

scurrili interdum dicacitate scriptum ingeniosissimum fecit, quo vitas regnique cunctos ordines quasi in scenam sub fictis nominibus produxit, & populo deridendos propinavit; de vita sua lib. VI. pag. m. 95. Profanam mentem, animique leuitatem summam, vt hac ratione testatus est; ita non defuerunt, qui eum in atheismi suspensionem vocarent. Quod tamen itidem de practico potius, vt credo, quam theoretico atheismo intellexerunt. Iudicia de eo doctorum virorum in compendio exhibet THOMAS POPEBLOVNT, in *censura celebrior. auctor. pag. 631. seqq.*

* Non temere discrepantia magis a se inuicem de quoquam extant virorum doctorum iudicia, quam de MICHAELE MONTANO, ob *tamina* (les Essais) quae edidit, longe notissimo. Nonnullis enim ob sapientiam *Galliae Thales* audit, & ob eruditionem laudibus in coelum tollitur. Alii & sapientiam, & vim iudicii, & pietatem in eo requirunt, immo omnino inter atheos referunt. Varias in vtramque partem de eo pronuntiatas sententias collegit THOMAS POPEBLOVNT, in *censura celebr. auctor. pag. 819. seqq.* cui & iungendus ANTONIVS TEISSIERVS, in *addit. ad elogia Thuansea, tom. II. p. m. 195. seqq.* Operosus in eius ingenio expendendo est MALEBRANCHIVS, qui praeter iudicii defectum

defectum, & alia vitia, cum primis propensionem ad scepticismum, in eo notat, de la recherche de la verite libr. II. part. III. cap. V. pag. 279. Nec mitius de eo sentit auctor artis cogitandi, part. III. cap. XX. pag. 265. immo & impietatis notam ei inurit: *Sed vanitatem praecipue non criminor: tot enim pudendis praeterea famosus flagitiis est, tot scetet impiis & Epicuraeis placitis, ut mirum sit, illi tandem per leges licuisse orbem obambulare, omniumque passim manibus teri, multosque viros ceteroquin perspicaces latentis veneni malignitatem non deprehendisse. Nec sane alia conquirenda, impietatis indicia, quam modus, quo suis de vitiis ipse loquitur. Cum enim multis in locis multa se crimina fateatur perpetrasse, in aliis tamen indicat, se illorum non poenitere, seque eodem quo vixerat, modo victurum, se ante actae vitae spatium iterum esset decurrendum. Profanum hominem fuisse, nemo, qui tentamina eius legit, dubitauerit. Magis tamen ex iactantia quadam & ostentatione, quam animi perussione, profecta videntur, quae parum pie aut sobrie ab eo dicta sunt. Nescio enim, quam gloriam ex eo captare videtur, si sentiendi libertatem prae se ferat. Negari tamen etiam nequit, multa recte & sapienter dicta in hocce eius libro occurrere.*

** Non semel RENATVS CARTESIVS, philosophorum, quos recentior aetas tulit, facile princeps, & atheismi & scepticismi accusatus fuit. Et ad atheismum quidem quod attinet, dum ipse adhuc vivebat, MARTINVS SCHOOCKIVS, professor philosophiae Groeningensis, huius eum postulare criminis, nullus dubitavit: accusatus tamen coram magistratu, se Cartesio fecisse iniuriam, agnoscere coactus est. Pluribus hoc exponit ADRIANVS BAILLETVS, in *vita Cartesii tom. II. pag. 252.* add. PETRVS BAEIVS, *diction. histor. crit. voc. Andreas (Tobias) pag. 245.* Idem praeterea fecit GIBBERTVS VOETIVS, hostis Cartesii capitalis, ex cuius etiam discipulis anonymus quidam in *admiranda methodo nouae philosophiae Renati des Cartes, Ultraiecti M DC XLIII edita*, non tantum occulti atheismi Cartesium accusat, sed comparisonem etiam inter ipsum atque Vaninum instituit. Ad quam tamen criminationem ipse Cartesius solide respondet, *operum eius philosoph. iunctim editorum, pag. m. 374. seqq.* Et sane nihil ineptius cogitari poterat, quam ista Cartesii atque Vanini comparatio, etsi mentem votumque auctoris aperte satis exprimat. Scepticismi in atheismi tandem abeuntis a pluribus accusatus fuit, idque eam maxime ob causam, quod
a du-

a dubitatione omnimoda & vniuersali philo-
 sophiam suam exorsus sit, ea quidem ratione,
 vt scepticis, quos se oppugnare videri vo-
 luerit, vel serio putauerit, reuera arma, qui-
 bus rerum omnium certitudinem impugna-
 rent, tradiderit; vid. SAMVEL PARKERVS, de
Deo & prouidentia, disput. VI. sect. XV. pag.
335. seqq. PETRVS DANIEL HVETIVS, in *cen-*
sura philosophiae Cartesianae, cap. I. §. XV.
pag. m. 24. Sed qui rem omnem paulo ac-
 curatius expendunt, facile deprehendent,
 non prorsus cum scepticis consentire Car-
 tesium. Licet enim ad certum tempus
 omnia, etiam principia euentissima in du-
 bium vocare, sibi que persuadere conatus sit,
 nihil certi vllibi se reperire, non tamen
 prorsus negauit, nihil satis liquido satisque
 certo percipi posse, quae erat scepticorum
 sententia, sed tandem in certo principio
 pedem fixit, ex dubitatione ista emerfit, &
 certa veritatis criteria constituit. Quemad-
 modum autem Cartesius nec scepticismi,
 nec atheismi iure accusari potest, ita diffi-
 tendum non est, eum talia docuisse, quae
 & atheis & scepticis inferuire possunt, etsi
 haud dubio animo non malo, praeterque
 intentionem id fecerit. Et inter haec qui-
 dem primum omnino locum tenet, dubi-
 tationis ille excessus, a quo philosophiae
 suae initium sumsit. Peccauit namque,

dum de rebus euentiffimis dubitauit, de quibus dubitare non licet, nec sanæ mentis homo dubitare potest. Peccauit, dum eiusmodi rationibus rerum omnium certitudinem conuellere annifus est, quæ non possunt non ad scepticismum ducere, cuiusmodi illud est, nescire nos, annon ita a Deo facti sumus, vt semper fallamur, & quæ alia sunt eiusdem generis. Cum primis in eo grauitè peccauit, quod de ipsa Dei existentia dubitauit. Dubitasse enim, ex *meditatione* eius I. pariter ac II. satis liquet. Atque hoc etiã nomine vel maxime a nonnullis atheismi arguitur. Sunt sane, qui eum excusare annituntur; & nonnulli quidem, quod non serio de Numinis existentia dubitauerit, sed eiusmodi quid saltem finxerit; alii vero, quod dubitatio eius non in negatione, sed iudicii saltem suspensione constiterit; alii, quod temporaria saltem ista fuerit dubitatio, ex qua mox iterum eluctatus sit; alii denique, qui forte omnium optime eius causam agunt, quod non tam de ipsa existentia Dei, quam de argumentis, quibus probari soleat, dubitauerit, de qua interim ex scriptura sacra longe fuerit certiffimus. Ego quidem ob istam dubitationem, etsi reuera ineptam, eum atheis adscribere nolim: vitio tamen eam non carere, nemo profecto, qui serio

rem

rem omnem expenderit, inficiatus fuerit. Legi hac de re merentur, binae dissertationes viri clarissimi, IAC. GVILIELMI FEVERLINI, in nostra academia ante aliquot annos habitae, quarum altera, *dubitationem Cartesianam, eamque a sceptica & Aristotelica dubitatione distinctam, periculosam tamen*, proponit, altera autem, *in quantum Cartesio atheismus, atque scepticismus possint imputari*, disquirit. Praeter haec & alia sunt Cartesii dogmata, quae atheis haud ingrata esse censentur, cum primis vero illud, quod finium considerationem a rerum naturalium tractatione exclusam voluerit, quae tamen efficacissima ad atheos conuincendos argumenta suppeditat, & eiusmodi mundi huius ex materiae dispositione originem commentus sit, a qua Deus tandem abesse queat; vid. SAMVEL PARKERVS, de *Deo & prouidentia, disp. III. sect. XV. pag. 281. seqq.* Sed nec ipsa illa, qua vsus est, probandi existentiam Numinis ratio, ex idea Dei omnium mentibus insita, omnibus placuit, multisque plus subtilitatis quam soliditatis habere videtur; qua de re in sequentibus erit dicendi locus; ne quid de eo dicam, quod immediate a Deo motus omnes effici statuit, vnde systema causarum occasionalium, quod nisi caute admodum adhibeatur, ad Spinozismum ducere nonnullis videtur. Mitto reliqua, cum haec praecipua

pua sint, quae ab atheis arripi possunt, et si hoc praeter mentem, praeterque intentionem fiat Cartesii.

- ** Exquisite eruditionis, ingeniique acutissimi laudem, non temere quisquam PETRO BAE-
LIO denegabit. Talia autem eum subinde docuisse, quae in atheismi, pravaeque de Deo & religionis existimationis suspicionem eum inducere queant, nemini itidem, nisi iis qui scripta eius nunquam legerunt, ignotum esse potest. Hinc & non semel atheismi accusatus est. Ex instituto id iam pridem egit PETRVS IVRIEV, in libro: *le philosophe de Rotterdam, accuse, atteint & convaincu, &c.* quem tamen adfectibus aliquid dedisse, non nego. Quae a IO. CLERICO, IAC. BERNARDO, & IS. IAQUELOTIO, in ultimo illo certamine, cui immortuus est, ei obiecta sint, neminem fugit. Etsi enim de Manichaeis praecipue, eorumque duplici principio, deque rationis & fidei conformitate disputabatur, Baelii tamen de hisce omnibus asserta ita comparata erant, ut atheismi & profanae mentis de eo suspicionem, non potuerint non admodum augere. Manichaeismus certe ab atheismo non multum differt. Qui enim duplex principium independens & aequale admittit, ille reuera nullum Deum admittit. Ad ipsam enim
Dei

Dei notionem pertinet, vt solus sit principium independens, cui aliud eiusdem potentiae nullo modo opponi queat. Quia rationis tam exiguam vim sibi esse persuadet, vt obiectionibus atheorum contra providentiam non aliter, quam per absurdissimam Manichaeorum hypothesin, occurri queat, nae! ille reuera atheis victoriam concedit. Idem enim est, ac si dicat, eas obiectiones solui non posse, quod & haud semel Baelius diserte fatetur. Quod autem fidem in tantum euehere videtur, in quantum deprimit rationem, id certe dicis causa fit, nisi me omnia fallunt, & ad caliginem offundendam simplicioribus. Non male id mihi obseruasse videtur PETRVS POIRET, qui de eo verba faciens, vnde, inquit, *dum rationem videtur suppressere velle, vt fidei soli detur locus, hanc potius pudendum in modum derisit & proculcauit, vt alteram omni molimine in altum eueberet*, in praefat. libro, cui titulus: *fides & ratio collatae*, praemissa, pag. 30. Ipse equidem Petrus Baelius tum hanc atheismi suspicionem a se amoliri, tum, quae in gratiam Pyrrhonorum & Manichaeorum dixerat, emollire & excusare annisus est, in dissertatione peculiari, *dictionary eius historico-critico* subnexa, pag. 3136. seqq. Sed nondum profecto omnibus satisfecit. Et ad atheismum quidem quod

quod attinet, id saltem agit, vt ostendat, quae de virtutibus & honestate atheorum dixit, sibi fraudi esse non posse, quod satis quidem frigide probat, reliqua autem, quae ei obiici poterant, aut obiecta sunt, non attingit. Mirum itaque non est, quod adhuc passim atheismi arguatur, quod nuper ex instituto fecit PETRVS POIRÉT, in *dissertatione de duplici discendi methodo, deque simulato Petri Baelii contra Spinozae atheismum certamine*, nouae cogitationum eius *rationalium de Deo, anima & malo* editioni, quae anno M DCC XV prodiit, praemissa. Sane, qui paulo accuratius secum considerauerit, quanto studio atheorum numerum augeat, adeo, vt integras gentes in huncce referre ordinem non dubitet, *continuat. des pensées diuerses §. CXIII. pag. 537. seqq. it. reponse aux questions d' vn prouincial. tom. IV. cap. XI. XII. pag. 136. seqq.* quam acriter argumentum a consensu gentium pro existentia Dei desumptum, impugnet, *continuat. des pensées &c. §. XIII. seqq. pag. 51. seqq.* simulque notitiam Dei insitam reiiciat, *loc. cit. §. XVI. pag. 60. seqq.* quam id omnibus viribus agat, vt atheismum extenuet, illum ideo maius malum, quam idolatriam aut superstitionem esse, negans, idque variis rationibus euincere allaborans, *pensées diuerses &c. §. CXIV. p. 225. seqq.*
intel.

intellectum & voluntatem in homine superstitioso rectius se habere abnuens, quam in atheo, *ib. §. CXXII. pag. 237.* praeterea, quam strenue, vt atheos homines honestati & virtuti deditos fuisse, quauis data occasione, euincere allaboret, indeque porro concludat, atheismum neutiquam ad morum corruptionem ducere, adeoque nec noxium reipublicae esse, tum alibi, tum in *pensées diuerses, §. CXXXIII. pag. 261. seqq.* quae omnia confirmat, & plura adhuc eiusdem generis addit, dans la *continuation des pensées, §. LXX. pag. 407. seqq.* it. *reponse aux questions d' un prouincial, tom. IV. cap. XVII. seqq. pag. 232. seqq.* quam omnem occasionem captet, argumenta atheorum quam speciosissime proferendi, & ea pro insolubilibus venditandi, aut responsiones ieiunas subiiciendi, immo ex praestantissimorum philosophorum, qui contra atheos scripserunt, libris, talia exsculpendi, quae ipsis atheis faueant, cuius rei singulare exemplum extat, *continuat. des pensées &c. §. XXI. pag. 86. seqq.* haec, inquam, omnia, & reliqua, quae pro atheis, & in eorum gratiam tam operose dixit vir doctissimus, qui paulo accuratius secum expenderit, aut me omnia fallunt, aut non prorsus ab omni atheismi suspicione eum absolui posse, fatebitur. Confirmabitur, ni fallor, aut augebitur haec suspi-

suspicio, si porro consideretur, quanto studio rationes profanorum hominum contra prouidentiam diuinam proferat, & exaggeret, in *dictionary. histor. crit. in vocibus: Marcionitae, Manichaei, Pauliciani, Origenes &c.* Etsi enim hoc ad Manichaeorum hypothesin defendendam facere videatur, istae tamen, quas proponit, difficultates, longe facilius ad prouidentiam diuinam negandam, adeoque Epicureismum, qui reuera non multum ab atheismo differt, quam Manichaeorum absurdissimam sententiam amplectendam, lectores adducent. Quae pro Pyrrhoniis seu scepticis disputat, eodem modo comparata sunt. In horum autem defensione eo usque progreditur, vt in *voc. Zeno Eleates*, variis argumentis ipsam motus existentiam impugnet. Plura si quis adferre vellet, is nec ea sibi praetermittenda putaret, quae in *dictionary. hist. crit. p. 2387. seqq. & p. 2473. seqq.* de immortalitate animae disserit, illorum comprobando sententiam, qui, eam ex ratione solide demonstrari posse, negant; item, quae *pag. 2223. & 2342.* circa difficultates, quibus premuntur, qui dogmata religionis examinare velint, in medium adfert, & quae alia sunt eiusdem generis, numero fere infinita. Difficendum equidem rursus non est, Spinozae systema atheisticum a Baelio reuici, rationibusque

busque evidentissimis profus euerti; in *voc. Spinoza, lit. I pag. 2775. seqq.* at inde quidem sequitur, cum non esse Spinozistam, atheum non esse, firmiter inde nondum colligere licet, cum varia atheorum sint systemata, possitque aliquis atheus esse, etiamsi Spinozae deliria non adprobet. Accedit vero, quod, etiamsi errores, fallacias & contradictiones Spinozae, luculenter ostendat, principia tamen generalia, quibus Spinozam ad atheismum inductum ipsemet fatetur, quaeue ei cum aliis atheis sunt communia, pro eiusmodi habeat, quae a nemine, saltem ex ratione sola, solide refutata sint, nec refutari queant. Haec autem principia sunt: 1) materiam esse aeternam, & a Deo differre, 2) materiam non productam esse ex nihilo, 3) spiritum infinitum & summe liberum producere potuisse tale opus, qualis hicce mundus est, in quo bona mixta sunt malis. Nimirum supponit, (quod minime supponere debebat) materiam necessario existere, & hinc porro infert, rationem profus capere non posse, talem materiam aeternam & necessario existentem, quae tamen non sit ipse Deus. Alterum quoque principium, non posse vlllo modo euerti, putat, cum nimis euidens rationi sit, quod ex nihilo nihil fiat. Sed tertium quoque, quo minus negari, aut vocari in dubium queat, praegnan-

tiffimas Manichaeorum obstare rationes. Id itaque serio & omni conatu agit, vt haec principia pro firmissimis venditet, & extra omnem argumentorum contra ea directo- rum idum constituta, euincat, *loc. cit. voc. Spinoza lit. K. pag. 2778. seqq.* Haec vero atheismi praecipua fulcra esse, nemo temere inficiatus fuerit. Baelius vero porro addit, ab illis, qui Spinozam refutant, exigi non posse, vt haec principia conuellant, quippe quae conuelli prorsus nequeant; sufficere ad refutandum Spinozam, si ostendatur, systema eius ineptissimas contradictiones, & absurda manifestissima, continere. Eo mi- nus autem necesse esse putat, haec principia euertere, quod & in christiana religione difficultates occurrant, quas ratio conco- quere nequeat. Interim religionem chri- stianam atheismo praeferendam, quod illa commoda plurima eam sequentibus adferat. Eos vero, qui Spinozismum refutant, suo facere satis officio, si ostendant, *non mino- ribus eum obnoxium esse difficultatibus, quam religionem christianam.* Denique nec hoc praetermittendum puto, Spinozismum haud obscure ideo saltem eum reiicere, quod alia atheorum systemata ita comparata esse pu- tat, vt per ea facilius dissentientium ob- iectiones solui queant, adeoque ad atheis- mum promouendum sint aptiora. Quo nomine

nomine in *voc. Spinoza lit. K. pag. 2782.*
Chinensium quorundam hypothesin plane
atheam Spinozismo praefert.

§. XXVI.

Ex Cartesii disciplina BENEDICTVS DE SPINOZA prodiit, vt a magistri tamen longissime discederet vestigiis, & in apertum atheismum prolaberetur, pro atheorum nostra aetate princeps habendus.* Non alium enim Deum, quam ipsam naturam admisit, quod perinde est, ac si diserte, nullum esse Deum, docuisset.** Quam hominis impietatem vt plurimi scriptis variis confoderunt, penitusque confecerunt, ita non defuerunt, qui pro eius sectatoribus haberentur, adprobatique stolidi erroris suspicionem subirent.***

* BENEDICTVS DE SPINOZA, gente, & primum etiam religionis professione, Iudaeus, tandem vero ex philosopho atheus, natus est Amstaelodami, die xxiv Nouemb. anno M DC xxxii. Hagae Comitum obiit, die xxi Febr. M DC Lxxvii. Eos, qui vitam & fata athei huius celeberrimi litteris consignarunt, indicat vir doctissimus, GOTTLOB FRI-

DERICVS IENICHEN, in *historia Spinozismi Leenbofsani*, pag. 5. Recentissimus inter eos est IO. COLERVS, cuius *vita Spinozae*, vna cum sermone, de *veritate resurrectionis Christi*, contra eundem, primum belgice, mox gallice anno M DCC VI prodiit. Cum philosophari coepisset, Renati Cartesii placitis, methodoque philosophandi, maxime delectatum, testatur auctor *praefationis, operibus eius posthumis* praemissae: *Fuit ab ineunte aetate litteris innutritus, & in adolescentia per multos annos in theologia (Iudaicam haud dubio intelligit) se exercuit. Postquam vero eo aetatis peruenerat, in qua ingenium maturefcit, & ad rerum naturas indagandas aptum redditur, se totum philosophiae dedit. Cum autem nec praeceptores, nec harum scientiarum auctores, pro voto ei facerent satis, & ille tamen summo sciendi amore arderet, quid in hisce ingenii vires valerent, experiri decreuit. Ad hoc propositum vrgendum scripta philosophica nobilissimi & summi philosophi, Renati des Cartes, magno ei fuerunt adiumento. Quantum etiam in hacce philosophia profecisset, editis anno MDCLXIV principiorum philosophiae (Renati Cartesii) parte prima & secunda, more geometrico demonstratis, quae mox cogitata eius metaphysica exceperunt, ostendit. Nec tamen hoc ita capiendum, ac si ipsum atheismum suum*

suum ex philosophia Cartesii hauserit. Nul-
 lum enim philosophiae systema Spinozismo
 magis, in discrimine materiae & spiritus ac-
 curate constituendo, aduersatur, quam Car-
 tesii. Id vero inde intelligitur, cum inge-
 nio plane philosophico fuisse, & ad demon-
 strationes geometricas pronum. Fuisse ante
 Spinozam, qui in eo, quod caput causae est,
 cum eo consenserunt, omnes scilicet illi, qui
 non alium, quam naturam ipsam, seu hoc
 vniuersum, agnouerunt Deum, quae ideo
 hodie pantheistarum nomine a quibusdam
 insigniuntur, tum ex haecenus dictis constat,
 tum ex instituto a me in *d'ssertat de Spino-
 zismo ante Spinozam*, demonstratum est.
 Primus tamen Spinoza fuit, qui in systema-
 tis formam hanc impietatem summo studio
 redigeret, eique methodum geometricam,
 infelici tamen successu, aptaret. Vnde &
 haud immerito haecce aetheismi species no-
 men ab eo sortita est, atque *Spinozismus*
 appellatur. IOAN. GEORGIUS WACHTERVS
 Spinozam ex Iudaeorum kabbala sua acce-
 cepisse, probare anisus est, in libro lingua
 germanica scripto, & sub titulo: *der Spino-
 zismus im Iudenthum, oder die von dem beu-
 tigen Iudenthum und dessen geheimen kabbala
 vergaetterte Welt &c.* Amstaelodami M DC
 XCIX edito. Nec specie hoc caret, si cogi-

tes, Spinozam gente Iudaeum fuisse, adeoque placitis & doctrinis Iudaeorum innutritum. Quodsi tamen rursus cogitem, ingenio plane philosophico eum fuisse, & geometricas quaesivisse demonstrationes, valde dubito, an obscuris kabbalistarum mysteriis multum tribuerit. Ad rem ipsam quod attinet, etsi inter Spinozismum, & kabbalistarum de emanatione rerum omnium ex divina essentia, sententiam, discrimen aliquod constitui queat, hanc tamen non minus, quam illam, falsam, erroneam & impiam esse, & alias observavi, & supra etiam ad §. VI. monui. Nec, magnopere, me repugnaturum, ibidem professus sum, si quis convenientiam quandam inter Spinozismum & kabbalisticam illam hypothesein agnoscat, quam tam operose idem WACHTERVS demonstrare allaboravit, in *elucidario kabbalistico, cap. IV. pag. 37. & seqq.* quamquam simul mutata sententia, & Spinozae & kabbalistarum hypothesein defendat, & ex genuina veterum Ebraeorum philosophia deriuat. In praefatione namque disertè profitetur, se *tum temporis* (cum Spinozam damnaret) *tum ob subtilitatem, tum ob popularia praeciudicia eum peruersissime, immo minime intellexisse, pag. 13.* Sed & deinceps *cap. V.* cum primis §. V. Spinozam vna cum kabbalisticis liberare ab atheismi suspitione
 anni-

annititur; sed quam infeliciter, quam in infirmis rationibus, nemini, qui paulo accuratius; quae scripsit, expenderit, obscurum esse potest. Quod si IO. COLERO credimus, Spinoza atheismum suum non tam a Iudaeis, quam a quodam FRANCISCO VAN DEN ENDE, cuius, in lingua latina, institutione usus est, accepit. Lectu haud indigna sunt, quae hac de re narrat, in *vita Spinozae pag. 6. seqq.*

* Solenne equidem est Spinozae aut sectatoribus, aut coecis admiratoribus, de illis, qui contra eum scripserunt, querelam movere, quod mentem eius non recte perceperint, cumque ab atheismo, qui toties illi tributus fuit, prorsus alienum esse, & quae reliqua sunt eiusdem generis. Sed non aliud agunt isti homines, quam ut hac ratione ostendant, se ipsius hypotheses aut non posse, aut non audere defendere; hinc isto effugio securitatem quandam impietati suae conciliare, & imperitioribus caliginem offundere aunituntur. Id vero cum luculenter iam ab aliis demonstratum sit, tum facili negotio demonstrari potest. Non afferam ea, quae in *tractatu theologico - politico de libertate philosophandi*, contra religionem christianam, scripturaeque sacrae diuinam auctoritatem attulit, quamvis impiam hominis mentem satis superque prodant, ut vel

ex iis patet, quae hac de re in compendio differit B. CHRISTIANVS KORTHOLTVS, de *tribus impostoribus magnis, sect. III. §. VII. seqq. pag. 30. & seqq.* sed tantum, quae de ipso Deo mens eius sententiaque fuerit, vel tribus ostendam verbis. Ipse equidem, per Deum, substantiam se intelligere, profitetur, *constantem infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam & infinitam essentiam exprimit, ethic. part. I. prop. XI.* Quod si quaeras, quatenam haec attributa sint, quibus substantia Dei constat? nihil aliud ex mente eius responderi potest, quam ea esse partes huius vniuersi, siue entia determinata, hoc vel illo modo Deum, id est, naturam, tanquam totum, in quo sunt & existunt, exprimentia. Hanc vero eius mentem esse, eo minus dubitandum, quod alibi hominem *partem Dei seu naturae* esse, diserte doceat. Cum enim *part. IV. prop. IV.* asseruisset; *fieri non potest, ut homo non sit naturae pars*, hanc demonstrationem subiungit: *Potentia, qua res singulares, & consequenter homo suum esse conseruat, est ipsa DEI SIVE NATVRAE potentia, non quatenus infinita est, sed quatenus per humanam actualem essentiam explicari potest. Potentia itaque hominis, quatenus per ipsius actualem essentiam explicatur, PARS est INFINITAE DEI seu NATVRAE potentiae, hoc est (per prop. 7. part. 3.) ESSENTIAE.*

Nihil

Nihil, puto, luculentius dici poterat. Quid enim, quaeso, aut obscuritatis, aut ambiguitatis, verba haecce: *homo est pars essentiae naturae, siue Dei, habere possunt?* Neue vltimum supersit dubium, alibi diserte, tum de mente, tum de corpore hoc asserit. De mente nimirum, *loc. cit. part. II. in corollario propositionis XI.* ita pronuntiat: *Hinc sequitur, mentem humanam partem esse, infiniti intellectus DEI, ac proinde, cum dicimus, mentem humanam hoc vel illud percipere, nihil aliud dicimus, quam quod DEVS, non quatenus infinitus est, sed quatenus per naturam humanae mentis explicatur, siue quatenus HVMANAE MENTIS ESSENTIAM constituit, hanc vel illam habet ideam.* Pari ratione *part. II. definit. 1.* de corpore pronuntiat: *Per corpus intelligo modum, qui Dei essentiam, quatenus vt res extensa consideratur, certo & determinato modo exprimit.* Quae quidem ita comparata sunt, vt euidenter ostendant, Deum Spinozae nihil aliud esse, quam ipsam naturam, seu hocce vniuersum, cuius proprietates primariae eaque aeternae ac infinitae sint, cogitatio & extensio; res autem particulares nihil aliud esse, quam harum proprietatum seu attributorum modos. Quod & ipse iterum diserte fatetur, *part. I. corollar. propositionis XXV.* *Res particulares, inquit, nihil sunt, nisi Dei*

attributorum (hoc est cogitationis, & extensionis) *affectiones sue modi*, quibus Dei attributa certo & determinato modo exprimuntur. Atque huc porro & illud pertinet, quod fundamenti loco toti systemati suo substernit, & tam sollicite sibi demonstrandum sumsit, *unicam tantum dari substantiam*. Quem in finem & *part. I. propos. V.* docet: *in rerum natura non possunt dari duae aut plures substantiae eiusdem naturae siue attributi*; & *propos. VI. vna substantia non potest produci ab alia substantia*; & *propos. VII. ad naturam substantiae pertinet existere*; & *propos. VIII. omnis substantia est necessario infinita*. Ceterum, licet in *tractatu theologico-politico de libertate philosophandi*, tam aperte impium hocce dogma non proposuerit, quam in *ethica*, post mortem ipsius edita, fuerunt tamen, cum priorem istum librum ederet, qui iam latitantem in eo atheismum deprehenderent, quem & sibi subinde obiectum, ipsemet in epistolis non dissimulat. Dum vero in iisdem epistolis hanc a se amoliri suspicionem annititur, nihil aliud agit homo versutus, quam ut ambiguis locutionibus aliis illudat. Mox Dei se agnoscere existentiam, diserte fatetur, sed per Deum, hocce vniuersum intelligit. Mox negat, sibi Deum & naturam, vnum idemque esse, sed per naturam tum *massam*, quandam
sue

siue *materiam corpoream* intelligit. Mox Deum omnium rerum causam profitetur, sed vt materialem potius, vel, vt ipse loquitur, immanentem, quam efficientem, intelligat. Accurate & eleganter haec omnia demonstrat B. CHRISTIANVS KORTHOLTVS, *loc. cit. §. XV. pag. 92. seqq.*

*** Haud exiguus illorum est numerus, qui calamos contra Spinozam strinxerunt, eiusque & detexerunt & refutarunt impietatem. Praecipui sunt, IO. BREDENBURGIUS, ciuis & textor, vt ferunt, Roterodamensis, ingenii subtilis laude, nemini ex reliquis Spinozae antagonistis cedens, in *eneruatione tractatus theologico-politici, vna cum demonstratione, geometrico ordine disposita*, naturam non esse Deum, cuius effati contrario praedictus tractatus vnice innititur; FRANCISCVS CVPERVS, in *arcanis atheismi reuelatis*, in suspicionem adductus, ac si ex Bredenburgii demonstratione geometrica, clanculum illi subducta, sua hauserit, vnde alter alterum variis libellis deinde atheismi postulauit, CVPERO quidem frustra hanc accusationem a se amoliente, vt deinceps ostendemus; GVIL. BLYENBURGIUS, ciuis & mercator Dordracenus, in libro de *veritate christianae religionis*; anonymus, qui ordine temporis reliquos praecessit, & anno M DCC I. sub literis

teris initialibus : I. M. V. D. M. epistolam contra Spinozae *tractatum theologico-politicum*, edidit. His porro accesserunt REGNERVS MANGVELDIVS, LAMBERTVS VELT-HVYSIVS, SAL. VAN TILL, CHRISTOPHORVS WITTICHIVS, ISAACVS IAQVELOT, IENSIVS, Medicus Dordracenus, AVBERTVS DE VERSE, PETRVS VAN MASTRICHT, MELCHIOR LEYDEKKERVS, HENRICVS MORVS, C. G. DE LA MOTHE, quorum scripta Spinozae opposita, post IOANNEM COLERVVM, in *vita Spinozae pag. 132. seqq.* accurate recenset vir clarissimus, GOTTLOB FRIDERICVS IENICHEN, in *historia Spinozismi Leenbosiiani, pag. 58. seqq.* Ex nostratibus B. IO. MVSAEVVS, magnum quondam non academiae saltem nostrae, sed totius ecclesiae Lutheranae decus, reliquis omnibus in hocce genere dubiam palmam reddidit, in *tractatu theologico-politico de libertate philosophandi, ad veritatis lancem examinato*; haud immerito prolixè ideo laudatus a IO. COLERO, *loc. cit. pag. 139. seqq.* qui & FRIDERICVM RAPPOLTVM ac IO. CONRADVM DVRRIVM, ex nostratibus, inter Spinozae antagonistas commemorat. Addendi his porro ex Romanensibus PETRVS DANIEL HVETIVS, MICHAEL LE VASSOR, FRANCISCVS LAMI, itemque ex Labadistis PETRVS YVON, & qui omnis christiani orbis sectas conciliare studet,

ratio-

rationalistis tamen & atheis acriter se opponit, PETRVS POIRET; quorum omnium scripta itidem, quos iam laudavi, viri doctissimi, IO. COLERVS, & GOTTLIB FRIDERICVS IENICHEN, commemorant, *locis citatis*. Fuerunt autem ex hisce, qui aut non satis feliciter, aut omnino non serio veritatis causam contra Spinozam egisse visi sunt. Cum primis hoc nomine male audit FRANCISCVS CVPERVS, cuius *arcana atheismi reuelata*, anno M DC LXXVI Roterodami edita, iam antea commemorauimus. Nec profecto sine ratione. Cum enim Spinozae & atheis, ea concedat, quae illis nullo modo concedere oportebat, e. g. ex solo lumine naturae, Deum esse, demonstrari non posse; nullam dari notitiam Dei innatam; concipi non posse, ens, quod nullam extensionem habet, habere posse essentiam; simulque, quicquid extensionem habet; esse corpus; vnde sequitur, Deum aut corporeum esse, aut nullum; absque diuina reuelatione nullum esse virtutis & vitii discrimen; cum praeterea reiectis argumentis solidioribus, quibus existentia Dei probari solet, leuia & omni fere robore destituta, in eorum locum substituat, non video, quo pacto causae contra Spinozam destinato consilio male actae suspicionem euitare queat; quod & post HENRICVM MORVM, *opp. philos. tom. I. pag. 596. seqq.* pluribus ostendit IOAN. WOLEGAN-
GV8

GVS IAEGERVVS, in *dissertatione*, cui titulus: *Franciscus Cuperus mala fide aut ad minimum frigide atheismum Spinozae oppugnans*. Equidem & CHRISTOPHORVM WITTICHIVM, celeberrimum illum reformatae ecclesiae theologum, reuera eandem cum Spinoza fouisse sententiam, & *anti-Spinozam* suam non alium in finem scripsisse, quam vt suspicionem hanc a se declinaret, & securitati ac famae suae consuleret, orbi erudito auctor libri notissimi, *suite de la vie de Philopater*, persuadere voluit. Sed calumniam hanc a Wittichio depulit, innocentiamque eius vindicauit IO. COLERVVS, in *vita Spinozae pag. 149. seqq.* Praeter eos vero, qui, cum antagonistae Spinozae essent, eiusdem tamen impietatis aut adprobatae, aut frigide vel ieiune impugnatae, suspicionem subierunt, & alii fuere, qui talia asseruisse visi sunt, quae aut cum Spinozismo consentirent, aut ad eum ducerent. Ipsum ARNOLDVM GEVLINGIVM, inter Cartesii sectatores haud infimi nominis philosophum, huius erroris reum agit vir illustris CHRISTIANVS THOMASIVS, in *cautelis circa praecognita iurisprudentiae, cap. XIV. §. XXXIII. pag. 225.* De ABRAHAMO IOANNE CVFFELERO, cuius extat *specimen artis ratiocinandi, naturalis & artificialis, ad pantosophiae principia manuducens*, Hamburgi (vt titulus prae se fert) anno M DC LXXXIV editum,

tum, nullo prorsus modo dubitandum, quin in Spinozae castris militauerit. Dum enim *part. I. cap. II. sect. CXLII.* in eo est, vt explicet, quid sit, *aliquid in aliquo mediate vel immediate contineri, vel ex eo manare*, exemplo hoc declaraturus, *quomodo nempe mundus contineatur in Deo*, post multas & longas ambages tandem *pag. 106.* ita pronuntiat: *quibus praemissa sequitur, mundum in statu, in quo iam est, dependere a Deo, hoc est, quod contineatur in essentia diuina, aequae fere, ac aequalitas inter quadratum ex A C & rectangulum ex B C & C D continetur in essentia circuli B A D, & quemadmodum illa aequalitas semper in circulo contenta fuit & erit, licet rectae memoratae nunquam ductae fuissent, eodem fere modo essentia mundi ab omni aeternitate in Dei essentia fuit contenta, & ex ea emanauit, atque in aeternum in ea continebitur: illa autem nulls modo est ex nihilo, iuxta innatam nobis veritatem, qua nobis a Deo ipso dictatur, quod ex nihilo nihil fit.* Quae auctoris verba, licet aperte satis testentur, mundum & Deum ei aequae ac Spinozae, vnum idemque esse, discrimen nihiloscius inter Deum & mundum constituere conatur. In eo scilicet hoc positum esse arbitratur, quod ad essentiam mundi non pertineat existentia necessaria, quae tamen ad essentiam Dei requira-

quiratur. Quo ipso tantum abest, vt impietatis notam declinet, vt mentem potius apertius prodat. Reuera enim hocce discrimen nullum est, cum vna eademque essentia ita, diuerso saltem respectu, mox Deus, mox mundus, dicenda sit. Dum enim mundum in ipsa essentia diuina contineri statuit, fatendum vtique ei est, essentiam mundi non esse diuersam ab essentia Dei. Interiectis nonnullis, quae nostram de auctoris mente sententiam mirifice confirmant, ad ipsum Spinozam digreditur, eumque ceu philosophum longe praestantissimum laudat, valdeque, quod ob mentem eius minus recte intellectam, atheismus ei obiectus fuerit, conqueritur. Allatis hinc Spinozae verbis ex *corollario propos. XXV. part. I.* quae antea iam recitauimus, subiungit: *cuius verba cum hoc loco sint obscurissima & durissima, non mirum est, quod iis tam innumeros tamque insignes sibi conciliauerit aduersarios; quis enim possit aequo animo perferre has loquendi formulas; Deum affici, Deum modificari, quem scimus & fatemur, esse omnium rerum & sui ipsius causam, &c.* Immo addit deinceps: *Si igitur praedicti philosophi intentio vel opinio fuit, naturam cum Deo hoc modo tam foede confundere, iudico illum ab aduersariis iuste impetitum atque condemnatum, immo & memoriam eius*

in

in omne aeuum execrandam esse. Negat autem, hanc mentem Spinozae recte tribui: attamen, quia de alicuius intentione solus potest iudicare intimus cordium perscrutator Deus, nobis nihil aliud restat, nisi vt iudicemus de opinione, quae continetur in scriptis, quae memoratus vir in lucem emisit, & licet inter illius aduersarios habeantur etiam perspicacissimi, puto tamen, eos horum scriptorum verum sensum minime assecutos fuisse, &c. Hoc equidem, (quod aduersarii Spinozae verum eius sensum non sint assecuti) multis verbis ostendere annitur, sed cuncta eo tandem redeunt, quod Spinoza dixit, res huius mundi particulares esse Dei affectiones, seu modificationes, quibus Deus certo atque determinato modo exprimitur, &c. idem esse, ac si quis cum auctore dicat: illas esse res, quas ego concipio conceptu secundario, hoc est, esse tales res, quae sunt in Deo, & quae sine Deo nec esse, nec concipi poterunt, quaeue a Deo dependent, & quarum vnica & sola causa efficiens est Deus. Sane quidem id facile auctori concedimus, quod sibi concedi postulat, non aliena haec esse a mente Spinozae; sed aequae etiam absona atque impia sunt, ac ipsius Spinozae asserta. Nec est, quod quenquam vox causa efficiens moueat. Ita enim Spinozam, eiusque sectatores, ad fucum imperitioribus faciendum loqui, no-

M

tura

tum est. Praeternittendus quoque hic nobis non est FRIDERICVS VAN LEENHOF, ecclesiae reformatae Zwollensis minister, qui in libro belgica lingua scripto, sed in germanicam quoque translato, cui titulus: *coelum in terra, seu descriptio verae laetitiae*, itemque in aliis duobus, ad illius defensionem compositis, talia docuit, quae itidem ad Spinozismum accedere visa sunt. Impietatis itaque non tantum postulatus, sed scriptis quoque variis placita eius, quae Spinozismum sapiunt, refutata, atque publica auctoritate damnata sunt. Nec exigui eam ob rem in ecclesia Reformatorum belgica excitati motus, quos accurate & diligenter descripsit, vir doctissimus saepiusque nobis iam laudatus, GOTTLÖB FRIDERICVS IENICHEN, in *historia Spinozismi Leenhofiani, publica in Belgio auctoritate nouissime damnati, &c.* edita Lipsiae anno M DCC VI, qui & speciatim *cap. II. §. I. pag. 74. seqq.* scripta hac in re edita enarrat; hinc vero *§. II. pag. 95. seqq.* summam sententiae Leenhofianae, ad Spinozismum ducentis, luculenter exhibet. Habuisse Spinozam, vt vnicum hocce adhuc addamus, plures, in Belgio praecipue, sectatores, & adhuc habere, qui nomina sua profiteri non audent, vix est, quod dubitemus. Certe cum iam suo tempore GISBERTVS VOEFIVS conquestus sit: *Belgium no-*

strum

strum, vere libertinorum omniumque fanaticorum Africam, his pestibus (atheis) quam maxime fuisse & etiamnum esse obnoxium, negari non potest, &c. disp. de atheismo, selectar. disputation. tom. I. pag. 223. id etiamnum hodie verissimum esse, non temere quisquam negauerit. Hoc sane experientia docet, & vel IO. TOLANDI (de quo deinceps ex instituto) exemplo patet, qui ut impietate Spinozae nihil cedit, ita impudentia illum multum superat, & nemine impediente, infelices ingenii monstra parturientis foetus, ibidem, ut vel ex titulo patet, in lucem protrusit publicam. Nec tamen etiam in Belgio desunt viri pii & cordati, quibus ista athéorum molimina magnopere displicent, immo, qui his pro viribus se opponunt. Id quod contra STOVPAM, auctorem libri notissimi, sub titulo: *Religio Hollandorum*, gallicano idiomate editi, ex instituto demonstravit IOANNES BRAVNIVS, reformatae ecclesiae theologus celeberrimus, in libro, cui titulus: *Vera religio Belgarum, vna cum apologia religionis statuum generalium Belgii confederati*, anno MDCLXIV edito.

§. XXVII.

In Anglia quoque inter tot opinionum, quae magno ibi numero prouenerunt,

M 2

runt,

runt, monstra, atheismum, suum sibi vindicare locum, tot egregia a viris eruditis in hac gente contra atheos edita scripta, nos dubitare non sinunt.* EDVARDVS HERBERTVS DE CHERBVRI, quem nonnulli huc referunt, naturalistis potius est accensendus.**

Sed THOMAS quoque BROVNE,*** ab indifferentismi licet suspicione non immunis, ab atheismi tamen accusatione videtur absolvendus. Non aeque THOMAS HOBESIVS, quanquam & hic a quibusdam aut excusetur, aut defendatur.* IOANNES TOLANDVS autem omnes impudentia vincit, quippe qui non tantum atheus est, sed & ne pro alio, quam atheo, haberetur, omnem nauauit operam.** In Germama denique, aliisque christiani orbis regionibus, itidem quandoque fuisse, qui atheismum in animo latitantem, dictis scriptisque proderent, ipsa proh dolor! experientia docuit.***

* Plurimi recentiori aetate inter Anglos fuere, qui scriptis eruditissimis, acutissimisque, pro existentia & profundentia numinis pugnarunt, stultitiamque atheorum exploserunt. Quod certe documento est, monstra eiusmodi

modi in Anglia esse, quae illis tanto studio fuerint debellanda. Praecipui autem inter illos sunt, ROBERTVS BOYLE, in *disquisitione de natura ipsa*; SAM. PARKERVS, in *disputationibus de Deo & providentia*; HENRICVS MORVS, in *brevi tractatus theologico-politici confutatione*, item, in *duarum praecipuarum atheismi Spinoziani columnarum subuersione*; quae operum eius philosophicorum tom. I. extant, vt & in *antidoto aduersus atheismum*, quod in tom. II. legitur; RADVLPHVS CVDWORTH, in *systemate mundi intellectualis*, NEHEMIAS GREW, in *cosmologia sacra*, GVILIELMVS NICHOLS, in *collatione cum theista*; IO. RAYVS, in *existentia & sapientia Dei manifestata in operibus creationis*, qui eius liber ex anglicano idiomate in gallicanum translatus, Ultraiecti anno M DCC XIV editus est; RICHARDVS BENTLEY, in *stultitia & irrationabilitate atheismi, &c.* quem viri doctissimi librum, octo orationibus constantem, ex anglicana lingua in latinam vertit, & hoc ipso praeclare de orbe erudito meritus est DANIEL ERNESTVS TABLONSKI, Berolini anno M DC XCVI. Sed nuper quoque idem in linguam germanicam conuersus prodiit. SAM. CLARCKIVS, in *demonstratione existentiae & attributorum Dei, aduersus Hobbesium & Spinozam, &c.* quam ex anglicana lingua in latinam translata,

VNA CUM *historia atheismi* edidit IENKINVS THOMASIVS, Altorffi Noricorum M DCCXII. GEORGIVS CHEYNE, in *principiis philosophicis religionis naturalis*; quorum summam exhibet IOANNES CLERICVS, *biblioth. ancien & mod. tom. III. part. I. artic. II. pag. 41. seqq.*

** EDVARDVS HERBERTVS BARO DE CHERBURY, ob libros de *veritate, prout distinguitur a reuelatione, a verifimili, a possibili, & a falso*, item, de *causis errorum*, & denique, de *religione gentilium, errorumque apud eos causis*, longe est notissimus. Inter naturalistas, hoc est, eos, qui rationis scita ad salutem consequendam sufficere arbitrantur, principem eum tenere locum, itidem satis constat: quem eius errorem & praeter alios B. IOAN. MVSAEVS noster, peculiari dissertatione refutauit. Licet autem atheismi suspicionem quam longissime a se amotam cupiat HERBERTVS, adeo vt suam hypothesein ad profligandum atheismum, & veritatem christianae religionis stabiliendam, vel maxime facere, glorietur; negandum tamen non est, talia eum asserere, & fundamenti loco ponere, quae ad euertendam funditus religionem christianam pertinent. Non dubitabit hac de re, qui sequentia eius recte considerauerit principia: *unicam in*
netes-

*necessariis esse veritatis normam, consensum scilicet vniuersalem, libr. de veritate pag. 31. item, quicquid neque per instinctum naturalem, sensum internum, sensum externum, neque discursum innotescit, tanquam verum proprie dictum, nullo modo probari potest; loc. cit. pag. 47. praeterea, de reuelatione neminem certum esse posse, nisi cui ea facta sit immediate; pag. 288. 289. immo, ne eos quidem, quibus immediate facta reuelatio, extra omne deceptionis periculum constitutos, pag. 281. in scripturae sacrae scrutinio notitias saltem communes, (quae ex consensu vniuersali constant; vti sunt: esse supremum aliquod numen; id coli debere; virtutem pietatemque esse praecipuas partes cultus diuini; vitia & scelera quaecunque expiari debere per poenitentiam; dari praemium & poenam post hanc vitam) tanquam indubitato certas admittendas esse, loc. cit. pag. 14. Haec similiaque, quorsum tendant, nemini temere obscurum esse potest; idque luculenter ostendit B. CHRIST. KORTHOLTUS, de tribus impostoribus sect. I. §. XII. seqq. pag. 16. seqq. Neque tamen ideo inter atheos proprie & stricte sic dictos, referendus est HERBERTVS. Id ipse, quem iam laudauimus, agnoscit auctor doctissimus, CHRIST. KORTHOLTUS: *Caue tamen, dum atheismi Herbertum postulas, ita id accipias, quasi ipsam Dei exi-**

stentiam per noua eius ephuata negari dicamus. Hac enim ratione a' Jo'm'ta adeo non profitetur ille, ut etiam, ullos dari tales atheos, palam inficietur, utque articulo- rum eorum, quibus totam naturalismi sui molem superstruit, primum diserte faciat hunc: esse supremum aliquod numen; loc. cit. §. XI. pag. 15.

THOMAM BROVNE, gente Anglum, professione medicum, tum ob alia scripta, tum maxime ob libellum de *religione medisi*, ab ipso lingua anglicana conscriptum, in latinam autem translatum, subinde inter atheos commemorari videas. TOBIAS WAGNERVS, librum de *religione medici* inter eos recte referri, nullus dubitat, in quibus *atheisticae impietatis semina & hypotheses delitescunt, ut sine periculo infectionis legi vix possint; in examine elenchico atheismi speculatiui, cap. V. pag. 11.* Alii non equidem atheismi, syncretismi tamen, aut indifferentismi, aliorumque errorum grauissimorum huncce auctorem postulant. Sane in editione libri de *religione medici*, quae Francofurti & Lipsiae anno M DC XCII prodiit, in ipso titulo auctor, *syncretismi vniuersalis, immo crassioris, hominem in quauis religione saluari posse, patronus*, diserte vocatur. Alii autem in mitiorem partem de eo pronuntiant, & quae

quae durius ab eo dicta sunt aut emolliunt, aut defendunt, quos inter & GOTHOFREDVS ARNOLDVS est, *histor. haeres. part. III. cap. VIII. §. XXIX. seqq. pag. 80. seqq.* Atheis equidem mea opinione annumerari nequit. De Deo ita loquitur, vt pravae aut sinistrae de eo opinionis nullum praebeat indicium. Speciminis loco esse possunt, quae *sect. XIII. pag. 77.* extant: *Causa*, inquit, *rerum omnium primaria unica est, secundariae quatuor. Quaedam efficiente ca-* rent, vt *Deus*, *quaedam materia*, vt *angeli*, *quaedam forma*, vt *materia prima*; nulla vero est *essentia*, siue *creata*, siue *non creata*, quae non *causam aliquam finalem habeat*; *essentiae suae operationibusque propositam.* Hanc in *naturae operibus inuestigare studeo*; *ab hac pendet diuina prouidentia.* Pulcherrimam hanc orbis rerumque creatarum *compagem struxisse*, opus erat solummodo *diuinae artis*; at *varias illas operationes*, *singulisque rebus sua mandata munia*, non nisi ex *sapientiae eius thesauris proficisci oportuit.* Idem etiam *sect. II. pag. 4.* religionem, quam vocant, reformatam se profiteri, scribit, in qua nihil praeter nomen displi- ceat; additque: *Fidem illam profiteor, quam Christus seruator docuit, quam disseminarunt apostoli, quae a patribus auctoritatem, a mar-* tyribus *confirmationem accepit.* Scio, talia

& ab atheis ad caliginem imperitis offundendam, dici posse; quamdiu autem argumenta, quae contrarium suadeant, nondum adsunt, serio & ex animi sententia ista dicta esse, vt credamus, par est. Eiusdem generis est, quod *sect. XVIII.* detestando refert, quae ad impugnanda aut eleuanda miracula, ab atheis dici solent: quod cum THEOPHILVS SPIZELIUS ex eo commemorasset, & adprobasset, addit: de *intentione tamen, animoque auctoris, aliis longe doctioribus atque sagacioribus relinquo iudicium; in scrutin. atheismi, scrutin. III. §. XXV. pag. 113.* Quo minus vero THOMAS BROVNE pro atheo haberi queat, hoc etiam obstare videtur, quod ipsemet *sect. III. pag. 7.* se ad superstitionem procliuem esse, fateatur. Eamque satis ingenuam esse confessionem, sententia eius de ritibus & ceremoniis ecclesiae Romanae, quam ibidem exponit, haut obscure ni fallor, ostendit. Sit itaque immunis ab atheismi vitio: non aequae ab indifferentismi suspitione absolui potest. Certe, quae *l. c. sect. III. pag. 7.* de Romanensibus disserit, aperte ostendunt, eum inter illos & protestantes, non adeo magnum discrimen constituisse. *Mibi itaque, inquit, religio non est, eorum familiaritate & consuetudine vti, illorum ecclesias adire, quoties nostrae praesto non sunt, adeoque una, aut cum illis, aut pro*

pro illis verba facere: Immo ulterius indifferentissimum extendit, quando *sect. LIII. pag. 296.* etiam ethnicis, qui honeste vixerunt, salutem aeternam denegari non posse, animas autem eorum in nescio quo limbo contineri, docet: *Iniquum est, horum animas in infernum deturbare, quorum vitae nobis adhuc virtutis & pietatis exempla praestant. Cum autem infernum in tot regiones diuisum sit, aequum sane fuerat, ut his etiam limbus aliquis statueretur.* Mitto reliqua, quae de hoc auctore obseruari poterant.

- * Malmesburiensem illum philosophum, THOMAM HOBBSIVM, itidem subinde inter atheos relatum videas. Ne quid enim de illis dicam, qui ex instituto contra illum calamos strinxerunt, qui tamen hac de re non prorsus inter se conueniunt, cum primis SAMVEL PARKERVS acriter in eum insurrexit, & non tantum Iulio Caesari Vanino eum iunxit, sed Epicuro quoque, si non deteriorem, certe nihilo meliorem, pronuntiauit. *Malmesburiensis, inquit, senex, Gargetticum in omnibus secutus est, an casu, an consulto, nescio; hoc probe scio, ipsam nihil nobis obtulisse, nisi quod apud veteres in Epicuro reprehensum inueniamus. Ut enim Epicurus omnia a Democrito surripuisse dicitur; ita Hobbesius omnia Epicuri flagitia ingenti fastu tanquam sua recudit;*

dit; atque ut noua videantur, nouis nominibus, (quorum ille, ut sunt nouatores omnes, egregius artifex) appellare affectauit; de Deo & prouidentia, disputat. I. sect. XXVII. pag. 56. Ex nostratibus B. CHRISTIANVS KORTHOLTVS Hobbesium tribus impostoribus magnis, de quibus scripsit, annumerare nullus dubitauit, quanquam cum non tam directe atheismi, quam impugnatae, & quantum in ipso erat, euersae religionis christianae, reum agat; sect. II. pag. 50. seqq. Et sane, ut ab ultimo hocce accusationis capite ordiamur, absolui ab ea Hobbesium nulla ratione posse, res ipsa docet. Diuinam enim primo reuelationem generatim indubium vocat, neminemque de iis, quae aliis a Deo reuelata sint, certum esse posse, contendit; immo nec illos ipsos, qui eiusmodi reuelationes prae se tulerunt, hac de re satis potuisse esse certos. Atque inde porro concludit, summorum imperantium arbitrio religionem omnem, quae reuelatione nititur, obnoxiam esse; immo non tantum scripturae interpretationem, sed ipsam quoque, quam habet, auctoritatem, si modo quam habeat, a summa imperantium potestate repetendam esse. Atque hoc ne frustra dixisse videamur, ex plurimis eius, quibus hoc probari poterat, locis, vnum alterumue allegasse sufficiat. *Illi igitur, inquit,*
Leuia-

Leuiathan. cap. XXXIII. quibus Deus non reuelauit supernaturaliter, quod scripturae ab illo sint, vel eos, qui illos praedicant, ab eo missos esse, nulla, vt eas recipiant, auctoritate obligantur, praeterquam eius, qui summam in ciuitate habet potestatem. Is enim legislator solus est. Eiusdem commatis & reliqua sunt, quae sequuntur, quae hic repetere, instituti ratio non paritur. Similia iam capite praecedenti xxxii docuerat, immo & peiora, dum nec eos, quibus reuelatio diuina immediate obtigit, certos hac de re esse posse, asseruit: Quibus Deus locutus est in scripturis sacris, non immediate locutus est, sed per prophetas, idque omnibus aequaliter. Qui Deum in somnio ad se locutum esse, dicit, somniasse se dicit. Somnia autem aliena pro verbo Dei nemo accipiet, praesertim si somnia maxima ex parte naturalia esse, & ab arrogancia & superbia somniantis procedere posse, sciat. Qui visionem a Deo vidisse, aut vocem audisse, se dicit, somniasse credetur; saepe enim & facile vanis & imperitis hominibus somnia illudunt. Qui supernaturaliter INSPIRATAM sibi esse a Deo doctrinam aliquam nouam dicit, a sapientibus ingenii sui admiratione INSANIRE intelligetur. Quamquam autem in somnio, in visione, per vocem, & per inspirationem, hominem alloqui potest Deus omnipotens, dicenti tamen, Deum sibi

ita

ita locutum esse, credere obligatur nemo, homini scilicet, qui & errare, & quod peius est, mentiri potest. Nihil hoc tandem aliud est, quam si dicat, prophetis, apostolis, & scriptoribus *Θεοπνεύστοις* vt quis fidem adhibeat, neminem obligatum esse, quia aut errare, aut mentiri potuerint, nec ipsi de reuelatione sibi facta, aut inspiratione diuina satis fuerint certi. Quo ipso vt omnis scripturae sacrae auctoritas labefactatur, ita, vt eam penitus euertat, non intermittit, corradendo *Leuiathanis cap. XXXIII.* talia, quae eam aut contradictionis aut erroris arguant, quae in *demonstratione euangelica* ex instituto profligauit PETRVS DANIEL HVERTVS. Facultatem autem interpretandi scripturam sacram, aequae ac ipsam religionem, dependere a potestate summorum imperantium, non tantum asserit, sed & variis rationibus probare conatur, *elem. de ciue, cap. XIV. num. III. IV. & cap. XVII. num. XXVII.* Quid vero mirum? cum nec aliam scripturae sacrae concedat auctoritatem, quam eam, quae ei a summis tribuitur imperantibus. Diserte namque asserit, *libros illos solos canonicos, id est, leges esse, in vnaquaque ciuitate, quae summi imperantis auctoritate latae sunt,* h. e. quae a summis imperantibus pro talibus habentur. Atque hinc quidem, quo animo erga religionem chri-

christianam Hobbesius fuerit, constat. His vero si reliqua eius de Deo pronuntiata addantur, aut me omnia fallunt, aut non tam facile ab atheismi suspitione liberari potest, ut nonnulli existimant. Non omnia conquiram, sed praecipua saltem indicabo, quamuis etiam obseruata sint SAMVELI PARKERO, *loc. cit.* Naturalem namque Numinis haud obscure sustulit notitiam, dum eam neque *argumentis*, neque *phantasmatis*, uti loquitur, comparari posse existimat. Non phantasmatis, *quia infiniti phantasma nullum est; neque enim homo, neque vlla alia res, praeterquam quae ipsa infinita sit, infiniti conceptionem vllam habere potest; neque argumentis; etsi enim ex eo, quod nihil potest mouere se ipsum, satis recte inferatur, primum aliquod esse mouens, quod fuerit aeternum, non tamen inferetur, id quod inferre solent, nempe aeternum immobile; sed contra aeternum motum; si quidem, ut verum est, nihil moueri a se ipso, ita etiam verum est, nihil moueri, nisi a moto, &c. phys. part. IV. cap. XXVI. pag. 204.* Non ignoro, quid ad haec pro defendendo aut excusando Hobbesio responderi queat, & etiam responsum sit. Si enim vel maxime phantasmatis, inquit, Deus concipi nequit, quia infiniti phantasma nullum est, inde non sequitur, nullam eius dari notitiam, nullum sensum.

Ad

Ad alterum vero quod attinet, recte quidem Hobbesium illam quorundam ratiocinationem reiicere aiunt, *nihil mouetur a se ipso, ergo Deus se ipsum mouet*, inde vero, ac si Deum ipsum vel eius existentiam neget, minime colligi posse. Quae equidem speciem quandam habent. Quo minus tamen prioris temere admitti excusatio queat, obstare videtur, quod Hobbesius non alium cognoscendi modum admittat, quam per phantasma. Ita enim diserte *loc. cit. p. 224.* loquitur: *Quicquid homines scimus, a phantasmatis nostris didicimus &c.* Alterius asserti Hobbesiani defensio an rite procedat, iudicabunt, qui paullo attentius legerint, quae hac de re differit SAMVEL PARKERVS, *loc. cit. pag. 88. seqq.* Sed nec illud praetermittendum, quod Deum quendam corporeum, hoc est, si nonnullos audias, re vera nullum, Hobbesius statuit. Non tantum enim in *Leuiath. cap. IV.* diserte negat, dari substantias incorporeas, sed & *cap. XXXIV.* corpus & substantiam vnum idemque significare, diligenter inculcat, ita quidem, vt ipso iudice, *vox composita substantia incorporea sit insignificans, aequae ac si quis diceret, corpus incorporeum.* Immo in *appendice ad Leuiathan cap. III.* cum ipse sibi hoc dubium proposuisset, *negat, substantias ullas esse incorporeas. Quid aliud est hoc, quam negare,*

negare, Deum esse, vel adfirmare, Deum esse corpus? respondet: *affirmat quidem, Deum esse corpus, sed ante eum idem affirmavit Tertullianus &c. adeoque variis rationibus. sed admodum profecto ieiunis, hanc sententiam defendere annititur. Estque hoc eiusmodi, ut ipse vir ingeniosissimus, NICOLAUS HIERONYMVS GVNDLINGIVS, qui Hobbesium ab atheismo liberare instituit, nodum huncce gordium gladio secandum fateatur, observation. selectis, ab eo editis num. II. §. VII. pag. 61. Sane quidem ex eo, quod aliquis credit, Deum habere corpus, nondum statim sequitur, eum esse atheum. Sed si tantus philosophus, quantus Hobbesius fuit, & cui ignotum esse nequit, ex notione corporis talia sequi, quae ideam Dei prorsus evertunt, hoc asserat, & ita quidem, ut cum alibi asserat, quae huic sententiae repugnant, aut non satis sibi constare, aut rotunde, quid sibi velit, non velle eloqui videatur, an non sinistri quid de eo suspicandi non iniustam occasionem praebeat, aliis diiudicandum relinquo. TERTVLLIANI exemplum, ad quod ipse prouocat, & anthropomorphitarum veterum, ad illum excusandum parum facit, cum vna eademque sententia a diuersis auctoribus, ex principiis diuersis, diuerso etiam scopo ac consilio propugnata, diuersa etiam ratione sit con-*

N

fide-

sideranda. Vt autem Hobbesius, non alium, quam corporeum Deum agnoscit, ita angelos seu spiritus creatos prorsus negauit, *Leuiath. cap. XXXIV.* de qua eius sententia alibi plura dicemus.

* An crassiori aut apertiori quadam ratione vnquam aliquis inter christianos atheismum suum prodiderit, quam IOANNES TOLANDVS, gente Anglus, & ob impietatem hodie notissimus, valde dubito. Dum enim in dissertatione, cui titulum fecit, *Ἀθεϊστικῶν*, *sue Titus Linius a superstitione vindicatus*, historicum nobilissimum a superstitione se liberare vult videri, reuera id agit, vt eum religionis omnis contemptorem, irrisorem, & prorsus ἀθεον omnibus sistat, vt supra iam ad §. XXI. obseruauimus. Eundem nihilofecius Linium, vt *virum sanioris iudicii*, §. VIII. *acris iudicii in rerum veritate indaganda & diiudicanda*, §. XII. *vt hominem bene moratum bonumque philosophum*, §. XIX. *probae & erectae indolis*, §. XXII. maximo-pere commendat. Quid vero aliud inde sequitur, quam homines, qui non eiusdem cum illa, quam Liuio tribuit, sunt sententiae, ineptos esse, superstitiosos, exigui aut nullius iudicii, pessimos philosophos, bruta denique & stipites. Sed quid ambagibus opus? In altera enim dissertatio-

ne

ne de *originibus iudaicis*, quam priori subiunxit, leuato velamine pantheismum, (ita enim Spinozae atheismum vocare illi placuit) adprobat; immo Mosis ipsi hanc sententiam tribuere non erubescit. Primo quidem STRABONIS hac de re adducit testimonium. *Mosem enim vero, inquit, fuisse pantheistam, siue, vt cum recentioribus loquar, Spinofistam, incunctanter affirmat in isto loco Strabo. Eum namque exhibet docentem, nullum dari numen a materia & compage mundi huius distinctum, ipsamque naturam, siue rerum vniuersitatem vnicum esse & supremum Deum, cuius partes singulas creaturas dicas, & totum, si velis, creatorem, &c. in originibus iudaicis, §. VI. pag. 117. Tantum vero abest, vt hoc STRABONIS de Mosis theologia iudicium refellat, vt potius eandem & sibi neutiquam displicere sententiam, haud obscure innuat. Statim enim subiicit: Haec est hodierna litteratorum Sinesium, aliorumque orientalium philosophia, & a quamplurimis inter Graecos antiquos & Romanos propagata: sed a nemine Latinorum breuius & clarius expressa, quam a Pacuio poeta, &c. loc. cit. pag. 118. PETRUM vero DANIELEM HVETIVM non aliam ob causam reprehendit, quam quod Strabonem aliud quid dicentem induxerit. Neue vllum dubium supersit, legenda saltem, quae §. XV.*

pag. 123. seqq. differit, vbi citra ambages STRABONIS de Mosis doctrina iudicium adprobat, immo toti fere scripturae sacrae, ausu profecto impudentissimo, pantheismum tribuit, vti supra quoque ad §. III. nobis obseruatum. Quis vero, qui talia legit, dubitet, ipsum Tolandum in pantheistarum militare castris? Reliqua itaque eius effata in religionem & scripturam sacram iniuria, atheismum eius prodentia, referre, superuacaneum puto. Detexerunt & refutarunt hanc hominis impietatem IAC. FAYVS, in *defensione religionis, nec non Mosis, & gentis Iudaicae contra duas dissertationes Ioannis Tolandi, &c.* Ultraiecti M DCC IX. 8. & ELIAS BENOIST, cuius gallicano idiomate extat *Melange de remarques critiques, historiques, theologiques sur le deux dissertations de M. Toland &c.* a Delf, M DCC XII. 8. PETRVM DANIELEM HVETIVM a calumniis Tolandi vindicauit MORINVS, cuius *dissertatio contra Tolandi adeisidaemonem & origines iudaicas*, gallicana lingua scripta, extat dans *les dissertations sur diuerses matieres de religion & de philologie &c. recueillies par Mr. l'Abbé DE TILLADET, tom. I. num. V. pag. 438. seqq.* quamuis in praefatione doceatur, ipsum HVETIVM, dissertationis huius auctorem esse. Ineptias Tolandi impias de origine gentis iudaicae ipse etiam profli-

gauri

gauri in *prolusione academica de origine gentis iudaicae*, quae in *syntagmate dissertationum academicarum* extat. Tolando adhuc ANTONIVM COLLINVM, itidem gente Anglum, eiusque, si non discipulum, certe amicum & sectatorem, iungimus. Hunc enim auctorem ferunt *discursus de libertate cogitandi*, qui anglicana primum lingua, deinde & gallicana M DCC XIV prodiit, & in quo id vnice agit, vt libertatem cogitandi iustis limitibus circumscriptam, cum licentia quidvis cogitandi, prauisque cogitationibus indulgendi, data opera confundens, dum videri vult, ac si cogitandi libertatem defendat, reuera illorum impietati, qui cogitationibus suis frena pro lubitu laxantes, omnem numinis sensum mortalium pectoribus excussum cupiunt, patrocinetur. Hinc & sub libere cogitantium nomine eos, quos ipse pro atheis habet, aut quos ad eorum sententiam quodammodo accedere putat, vel maxime commendat; cuius rei iam supra aliquot specimina dedimus. Non immerito itaque hinc inde viri docti hominis astutius petulantiam castigarunt, & in ipsa quidem Anglia praeter alios SAMVEL PYCROFT, in *brevi disquisitione de libertate philosophandi in rebus ad religionem spectantibus*; cum primis autem PHILEVTHERVS LAPSIEN-

SIS, quo sub nomine RICHARDVM BENTLEIVM, virum doctissimum, latitare constat, in *animaduersionibus in nuperum discursum de cogitandi libertate &c.* Summatim & ego praecipuos libri istius errores profligavi, in prolusione quadam academica de *libertate cogitandi*, hoc ipso anno M DCC XV a me conscripta.

*** Germaniam nostram mali huius non prorsus expertem esse, negare non licet. Nec id adeo mirum, cum plurimi inter nos exoticis quibusuis maius, quam par erat, pretium statuentes, paradoxa quaeuis, erronea, & impia dogmata simul quam auidissime arripiant. Ne quid autem de iis, qui hinc inde delitescunt, aut mentis sententiam non nisi oblique & per ambages prodere audent, dicam, inter eos, qui aperte & citra ambages atheismum professi sunt, vel maxime eminent MATTHIAS. KNVTSEN, Oldenswortha Eiderstadiensis, ex theologiae studio atheismi patronus factus, qui schedis aliquot blasphemis & inficetis, Ienae & Altdorff anno M DC LXXII & LXXIV sparsis, cum defendere ac disseminare ausus est. Constabant autem schedae istae, quae typis impressae sunt, *epistola amici ad amicum*, lingua latina scripta, & dialogis aliquot germanicis. In his nouae *conscientiariorum*, quam vocat, sectae

f

se auctorem profitetur, aut mentitur potius, qui nihil aliud credant, quam quod ratio & conscientia dicitur; cum tamen ipse ea in dubium vocet, quae ratio euidentissima cognoscit, & quae, si tollantur, conscientiae quoque locus non amplius conceditur. Verbis enim disertis & Dei, & caco-daemonis existentiam, mortuorum resurrectionem, & vitam beatorum pariter ac damnatorum aeternam, negat, codicis sacrae auctoritatem impugnat, eiusque narrationes meras clamat esse fabulas, ipse contra Peyreri illepada de praecadamitis commentum admittit, aduersus clerum & magistratum insurgit, nullum denique inter coniugium & scortationem discrimen agnoscit. Lactitabat praeterea pessimus nebulo, innumeros per vniuersam Europam se habere sectatores, & in solo oppido Ienensi septingentos ciues & studiosos esse, qui eidem sententiae sint addicti. Ea res occasionem dedit B. IO. MVSÆO, theologo acutissimo, & multis nominibus de ecclesia nostra optime merito, impias hasce nugas peculiari scripto accurate refutandi, quod anno M DC LXXIV, sub titulo: *Ableinung der abscheulichen Verlaumdung, als wenn in der Vniuersitat Iena eine neue Secte der Gewissener ware entstanden &c.* prodiit. In altera scripti huius editione, quae anno sequenti MDCLXXV lucem adspexit, vindiciae

diciae accuratae sacri codicis contra eundem
nugatorem accessere; conf. IO. MOLLERVS,
vir clarissimus, in *isagoge ad histor. Cherson
Cimbr. part. II. cap VI. §. VIII. p. 164. seqq.*
item CASP. SAGITTARIVS, *introducēt. ad hi-
stor. eccles. cap. XXXIII. sect. XIV. pag. 879.*
cum primis & DN. LA EROZE, *entretiens sur
diuers sujets d' histoire &c. pag. 400. seqq.*
vbi & Knutsenii istius epistolam ad amicum
integram exhibet. De scripto quodam
atheistico, Berolini circa annum M DC XCIV

l'uyas auctor edito, cui titulus: *concordia rationis & fi-
secretarij quidei*, vid. quem iam laudavi B. CASPAR SA-
Dum, nomme GITTARIVS, *loc. cit. pag. 881.* Non ita pri-
Storck, ob dem etiam contigit, vt scriptum aliquod
id, in carcere atheisticum & blasphemis refertum, in quo
publicor con- auctor & Dei existentiam, & animae im-
fectus perhi- mortalitatem, & scripturae sacrae diuinam
bebat. (Cibria auctoritatem impudentissime negauit, Mag-
curidhtatis deburgi in suggestu collocatum inuenire-
gratia per B. tur. Cuius rei rumor cum emanasset, varia
Spenerum (Cibe eidem scripta opposita dicuntur, ex quibus
tenburzum vnicum tamen saltem in conspectum meum
allatum, et venit, quod auctorem agnoscit IO. WILHEL-
supra memo, MVM PETERSENIUM. Titulus ei est: *der in*
rata relatum allen Seelen sich offenbarende und sich selbst
ex ore Dni rechtfertigende Gott, das ist; Beweis aus dem
aus offn quond Licht der Natur, daß ein Gott sey, und daß
ipse ore uer die Seele unsterblich, &c. auf Veranlassung ei-
ner gottlosen Schrift, welche heimlich auf
offent-

öffentlicher Canzel in Magdeburg von einem Lichtscheuenden hingeworffen ist, klerlich dargethan, &c. M DCC XIV. 4to. Ex reliquis christiani orbis regnis ac regionibus non occurrit, qui adhuc nobis hic sit commemorandus. In Polonia equidem CASIMIRVS LISZYNSKI, nobilis Lithuanus, anno M DC LXXXIX ob atheismum combustus est. Sed factam ei iniuriam, nec atheismi conuictum fuisse, nonnulli contendunt. *Legenda, quae de eo differit LA CROZE, entretiens sur diuers suiets d'histoire, &c. pag. 418. seqq.*

§. XXVIII.

Quemadmodum autem ex haftenus dictis abunde patet, atheos dari, ita etiam simul intelligitur, subinde viros innocentes sine causa atheismi fuisse accusatos. Atque horum vt longe maior adhuc superest numerus, * ita id saltem obseruandum, praestantissimis subinde theologis contigisse, vt ab aduersariis atheismi rei agerentur, quippe quod ipsius B. MARTINI LVTHERI, ** PHILIPPI MELANCHTONIS, *** DESIDERII ERASMI Roterodamensis, * IO. CALVINI, ** aliorumque *** exemplo patet.

- * Catalogum illorum, qui perperam atheismi accusati sunt, haud exiguum, ex veteribus pariter ac recentioribus, exhibet auctor *apologiae pro Iul. Caesare Vanino*, p.26.27. sed ita, vt veros athœos illis, qui falso pro atheismi suspectis habiti sunt, sine discrimine admisceat. Inter eos autem, quibus per iniuriam atheismus imputatus est, recte refert, Erasmus, Melanchthonem, Lutherum atque Caluinum.
- ** Nullam tam nefandam haeresin esse, quam non Pontificii B. LVTHERO tribuunt, satis notum est. Cum Porphyrio, iurato christianae religionis hoste, eum comparauit LEO X pontifex; magistri autem Parisienses cum Montano, forte quod deterior illis ex veteribus haereticis non succurreret. Id iam a me obseruatum, *dissertat. de Spinozismo ante Spinozam*, §. XXIII. Non itaque mirandum, fuisse & inter eosdem, qui omnino atheismum Luthero obiicerent. Totus in eo est ANTONIVS POSSEVINVS, Iesuita, vt *atheismos*, quos vocat, varios colligat, & tum aliis, tum maxime Luthero exprobet, *biblioth. select. lib. VIII. cap. I. seqq. pag. 384. seqq.* Sed, vt ex vngue leonem agnoscas, speciminis causa vel primum atheismum indicare iuuabit. Nimirum, quia *Esa. IX. 6.* voces אֱלֹהֵי אֲבֹתָא non transtulit
per

per *Deus fortis*, sed: *Krafft, Held*, ergo diuinitatem Christi labefactat, ergo est atheus. Ergo omnes, qui scripturam sacram non ita interpretantur, prout POSSEVINO eique similibus placet, athei sunt. De re ipsa hoc saltem addo, rectius quidem ista verti: *Deus fortis*. Nec tamen inde sequitur, diuinitatem Christi in dubium vocari ab eo, qui aliter vertit. Sed ipse Lutherus causam suam egit *tom. III. Ienens. fol. 173. & tom. VII. Ienens. german. de ultimis verbis Davidis, fol. 159.* Quodsi & reliqua, quae POSSEVINVS adfert, consideres, facile deprehendes, nihil aliud eum agere, quam vt animi malignitatem, cum summa iudicii imbecillitate coniunctam, prodat.

*** Huic non minus, quam B. Luthero atheismos exprobrat POSSEVINVS, sed more suo, hoc est, inepte, & per meram calumniam. Imputat, vt exempli causa vnicum hocce commemoremus, Melanchthoni haeresin Arianam, eum, quae cum personarum in vna essentia diuina aequalitate pugnant, docuisse, contendens, & hinc concludit, eum esse atheum; duplici ita argumento stoliditatem suam demonstrans, *loc. cit. pag. 389.*


* THEOPHILVS RAYNAVDVS, cum atheorum clanculariorum tres classes constituisset, ad pri-

primam, eorum scilicet, quibus religio ludus est, & sine rubore, sine scrupulo conscientiae, facetos agunt, vel potius scurras in rebus sanctissimis, cum primis Desiderium Erasmus Roterodamentem refert. Locum, inquit, sibi suum in hac classe scurrarum, de sapientissimorum hominum sententia, vindicat Desiderius Erasmus. Nam quamvis aliis praeterea nec tenuibus maculis sordeant eius pleraque scripta, tamen eo nominatim ex capite reprehensioni proborum patuit, quod de rebus sanctissimis tam iocularia & ridicula chartis commisit, ut alter Lucianus audiret, mysteriis christianae fidei & dogmatibus christianis impia dicacitate & facetiis eodem plane modo ac more exagitatis, quo Lucianus deos suos derisit; &c. Multa alia eiusdem generis addit, & omnem furorem in Erasmus effundit, erotemat. de malis & bonis libris. partit. I. erot. IV. pag. 22. seqq. Sed quaenam tantarum irarum erga Erasmus sint causae, neminem fugit. Superstitionis & ignorantiae regnum per Erasmus mirum in modum labefactatum, non possunt non aegre ferre, quorum ut istud consistat & latius propagetur, ac efflorescat, maximopere interest. Nos sane non omnia ab Erasmo aut dicta aut scripta probamus; habere eum suos naeuos, iocis quoque

quoque ac facetiis interdum plus, quam decet, indulgisse, haud inuerti fatemur; atheorum autem eum ideo adscribendum esse ordini, concedere non possumus.

** Qui nil nisi atheismos haereticorum crepat, eosque Luthero & Melanchtoni exprobrat, de Caluino mitius sentire non potuit; ANTONIVS POSSEVINVS, *biblioth. select. libr. VIII. cap. VI. pag. 389.* Parum scilicet diligens sibi videbatur, si vel minimam occasionem τὴν ἀρρωσίαν τῆς Ἀθεοίας ostendendi praetermisisset.

*** Fuisse, qui B. PHIL. IAC. SPENERVM cum ipso Spinoza, atheorum nostra aetate principe compararent, notum est. Legenda, quae hac de re obseruauit, in *dissertat. de Spinozismo ante Spinozam, §. XXIII.*



CAP. II

ATHEISMVS QVID ET
QVOTVPLEX?

VBI ET

PRAECIPVA ATHEISMI FVNDAMEN-
TAMENTA EXHIBENTVR.

Σύνοψις.

Atheismus quid?
§. I.*An & quousque differat a naturalismo?*

§. II.

ab indifferentismo?

§. III.

*a scepticismo? §. IV.**Enthusiasmus vt atheismo maxime oppositus est, ita quandoque cum eo conuenit, §. V.**Atheismus vel practicus est, vel theoreticus; practicus, in quo consistat, §. VI.**Theoreticus vel rudior**est, vel philosophicus; ille quibus tribui queat, §. VII.**Theoreticus vel scepticus est, vel dogmaticus; de illo quaedam monentur, §. VIII.**Dogmaticus vel Aristotelicus est, vel Stoicus, vel Epicureus, vel Spinozisticus, § IX.**Fundamenta praecipua omnium atheismi generum paucis indicantur, §. X.*

§. I.

§. I.

PER atheismum * peruersissimam animi dispositionem ** intelligimus, qua homo conscientiae dictamen, aut negligens, aut quodammodo opprimens, sibi, non dari Deum, persuadere annititur; *** aut talia adsumit adprobatque placita, ex quibus hoc non potest non per pronam consequentiam fluere.*

- * In propria itaque & genuina significatione vocem hanc accipimus, cui & origo eius pariter ac vsus respondent. Solet equidem subinde ad eos ambitus huius vocis extendi, qui falsos & erroneos de Deo conceptus fouent. Idque, ne quid diffitear, ab ipsis, quos vocant, quandoque fit patribus. CLEMENS Alexandrinus, *libr. VII. Strom. p. 504.* recte quidem atheum definit: Ἀθεὸς μὲν γὰρ ὁ μὴ νομίζων εἶναι θεόν, *atheus quidem est, qui non putat, esse Deum.* At in *protreptico pag. 11.* in laxiori eandem vocem significatione accipit, vt eam gentilium etiam sacris accommodet. Ex recentioribus praeter multos alios laxiorem hanc vocis significationem sequitur GIBERTVS VOLETIVS, *disput. de atheismo tom. I. disputation. selectar. pag. 116.* atheorum adeo sine necessitate

fitate numerum multiplicans & inter atheos referens, qui hoc nomine minime erant insigniendi. Non sine ratione hac de re conqueritur auctor *apologiae pro Iul. Caesare Vanino pag. 23.* Cum enim definitionem atheismi a VOETIO traditam, retulisset, addit; *omnes species (atheismi) quas subiungit, recensere supersedeo; ex laxiori significatione numerum atheorum, quem saepius mirari soleo, subortum iudicans. Non solum enim ethnici, Iudaei, Mubamedani, sed & omnes omnino errore satae haereses hoc nomine compellendae essent, quarum aedificae tamen Deum, licet minus recta fide, & verum Deum colunt. Intentatur crimen ethnicis, & hi eorumque princeps Iulianus, ille apostata philosophus, primis intenterunt christianis. Qui Christi Saluatoris dulcissimum nomen colunt, Romanos de atheismo postulant, at hi reliquos non minore numero. Illis ipsis haereticae prauitatis magistris haeticus est atheus, & atheus est haeticus. Sic Eunomium Hieronymus, Arrium Athanasius atheos appellitant, qui vnum Deum nunquam negarunt. Eodem modo verbi illius vtendi libido totas gentes crimine atrocissimo notauit. In oriente Seres αἰθεοὶ quidem Celfo, Origenis antagonista, non quidem, quod numen naturae auctorem ignorarent, sed quod statuas forsitan, aras & templa non haberent. Neque vero nomen in religionis*

gidnis solum negotio regnat, sed & in rebus civilibus locum habet non postremum. Ab Hispaniarum partium theologis Galli, Veneti, omnesque alii, qui consiliis & conatibus eorum minus fauent, athei salutantur, & hi eodem nomine Hispanos insigniunt. Gallo-Franci, qui nutibus Romanae curiae se non mancipant, athei vocantur & Libertini; immo illi quicquid obstat, hoc crimine, quasi false chalybea dissecant. Praestat itaque in strictiori, quae & propria est, hanc vocem sumere significatione. Qui enim hoc non faciunt, quae sunt distinctissima inter se confundunt, & quadrata miscent rotundis. Maximam quoque viris innocentibus subinde inferunt iniuriam. Qui enim eos atheos vocari audiunt, de laxiori vocis significatione, utpote minus vsitata, non cogitantes, eos tales esse putant, qui ad extremum impietatis gradum venerunt, numinisque negarunt existentiam. Eos etiam, qui quosuis dissentientes statim pro atheis habent, non alia ad hoc induci causa, manifestum est, quam ut iram-omnem atque furorem in eos effundant. Cum enim atheo homine nihil sit execrabilius, eodem loco omnes, quorum dissensum ferre nequeunt, haberi vellent, eodem etiam supplicio, quo subinde athei adfecti sunt, si penes illos staret, adficiendos. Certe ANTONIO POSSEVINO, de quo

O

ad

ad *cap. praeced. §. ult.* dictum, hominibusque ei similibus, non aliam causam fuisse, cur Lutherum, Melanchthonem, aliosque, in atheorum numerum referrent, nemo dubitauerit.

****** Summa haec est intellectus corruptio, si quis ea, quae euentissima sunt, aut non perspiciat, aut in dubium vocet. Concurrit autem vel maxime vitium voluntatis, intellectum ad ea neganda determinantis, quae non esse, ipse maxime refert, aut eiusmodi homo vnice in votis habet. Ex naturali mentis, qua omnes homines laborant, labe, corruptio haec originem ducit, sed variis deinceps causis augetur, donec ad summum fastigium perueniat, homoque adeo in maximam miseriam praecipit ruat.

******* Ita eos designamus, qui directe & citra ambages, reluctante licet & renitente conscientia, nullum esse Deum, sibi aliisque persuadere cupiunt, quos *atheos primi ordinis* supra ad *cap. praeced. §. I.* diximus.

***** *Atheos secundi ordinis* innuo; qui, licet directe, Deum esse, non negent, eiusmodi tamen hypotheses fouent, ex quibus necessario hoc sequitur. Pertinent huc plerique eorum, quos capite praecedenti enumerauimus.

§. II. Na-

§. II.

Naturalismus, si idem sit, ac pantheismus, cum atheismo conuenit, aut saltem species atheismi est. * Sin illorum hac voce denotetur sententia, qui per solam rationem, seposita reuelatione, homines aeternam salutem consequi posse, contendunt, ab atheismo equidem differt, facile tamen in eum degenerat, aut ad eum ducit. **

* Vocem *naturalismus* diuersimode accipi, constat. Interdum enim idem est, ac Pelagianismus, quem *subtilem naturalismum* dixeris. Interdum vero illorum sententiam denotat, qui per solius rationis scita, seposita reuelatione, viam ad aeternam salutem patere contendunt, eamque adeo & ethnicis, si rationis rectae ductum secuti sint, adiudicare nulli dubitant. Quem quidem *crassorem naturalismum* vocare liceat. *Crassissimus* vero illorum est, qui non alium, quam naturam, seu hocce vniuersum, Deum agnoscunt; qui & *pantheismi*, & a praecipuo impii erroris restauratore, *Spinozismi* nomine venire solet. Obseruata haec iam sunt in *institutionib. theol. moralis part. I, cap. I. sect. II. ad XXX.* Subtilis natura-

lismus hic in censum non venit. Craffissimum vero illum, seu pantheismum, ab atheismo non differre, res ipsa docet. Legenda, quae de *naturalismo atheistico* differit ADAMVS TRIBBECHOVIUS, in *historia naturalismi cap. XI. p. 51.* Non tamen omnis atheismus est naturalismus, seu pantheismus. Dari enim diuersas atheismi species, ex dicendis patebit.

*** Non enim statim, Deum esse, negat, qui solam rationem ad salutem consequendam sufficere, asserit. Hoc tamen, qui inter christianos asserunt, infensum erga religionem christianam animum produunt. Hinc vero proximus ad atheismum gradus, quod exempla Spinozae, Thomae Hobbesii, aliorumque ostendunt. Ad hancce naturalistarum classem, praeter Hobbesium & Eduardum Herbertum, ADAMVS TRIBBECHOVIUS etiam refert Franciscum Puccium, atque Thomam Campanellam, in *historia naturalismi, cap. X. pag. 47. seqq.*

§. III

Indifferentismus religionum si vniuersalis sit, ita, vt quis omnes religiones vno eodemque loco habeat, hoc est, omnes aequae contemnat, reiiciatque, ab athe-

atheismo itidem non differt. Fieri enim prorsus nequit, vt Deum aliquis esse credat, simulque omnem eius cultum reiciat. Sin vero naturalem quis saltem religionem admittat, cum naturalismo, de quo antea dictum, conueniet. Particularem indifferentismum qui statuunt, etsi & ipsi grauitate errent, atheismi tamen argui nequeunt.*

* Lucem hic dabunt, quae de religionum indifferentismo, variisque eius speciebus, & gradibus, dixi, in *institutionib. theolog. moral. part. I. cap. I. sect. II. ad §. XXIX.* Hoc saltem addo, impotentis animi indicium eos praebere, qui viros in controuersis domesticis, iis praecipue, quae non magni momenti sunt, moderata consilia sequentes, statim indifferentismi religionum, & quae hinc fluere putant, atheismi, arguunt.

§. IV.

Idem & de scepticismo dicendum. Hic enim si vniuersalis sit, numinis etiam existentiam in dubium vocat. Perinde vero tandem est, siue Deum esse neges, siue an existat, dubites, nisi forte in eo discrimen constituatur, quod alterum

O ;

mali-

malignitatem maiorem, alterum maiorem stultitiam indicet. * De particulari autem scepticismo, etsi & is vitio non careat, aliter existimandum.

* Varias esse scepticismi species, gradusque diversos, ex instituto a me expositum, in *dissertat. de scepticismo morali*, quae extat in *analectis histor. philos. S. III. seqq.* Vniuersalem scepticismum ab atheismo non differre, non temere quis negauerit. Negare hoc equidem videtur FRANCISC. MOTHAEVS VAYERIVS, sed ita vt reuera scepticos atheos fuisse concedat. Non enim ex instituto eos atheismum professos dicit, vt perperam nonnulli crediderint. Patere namque ex SEXTO EMPIRICO, eos, sicut reliquos philosophos, existentiam numinis admisisse, cultumque consuetum ei exhibuisse, nec negasse prouidentiam. Praeterquam vero, quod nunquam determinate causam primam admisserint, & hinc ad idololatriam sui temporis reuertiendam inducti sint, nihil eos de natura Dei, nisi cum suspensione iudicii asseruisse, nec quicquam nisi cum dubitatione fuisse professos, idque saltem, VT LEGIBVS MORIBVSQUE SVI SECVLI ET REGIONIS IN QVA VIVEBANT, SE ATTEMPERARENT; hinc & cum aliis ethnicorum philosophis aeternam salutem non deneget, Pyrrhonios tamen ab ea plane exclusos esse contendit;

de la

de la vertu des Païens, pag. 226. Et sane

conueniunt haec cum iis, quae de scepticis ipse refert SEXTVS EMPIRICVS: ταῖχα γὰρ αἰσθαλέσει· ὅθεν τῆς ἐπίρας Φιλοσοφῆντας εὐρεθήσεται ὁ Σκεπτικὸς, κατὰ μὲν τὰ πάτρια ἔφη, καὶ τὰς νόμους, λόγων εἰσαγθεὶς· καὶ πᾶν τὸ εἰς τὴν τάττω θρησκείαν, καὶ εὐσέβειαν συντίωσι ποιῶν. Τὸ δ' ὅσον ἔπι τῇ Φιλοσοφῇ ζητήσει μηδὲν περὶ πτωχόμεν·; Fortasse etiam cautior & tutior inuenietur scepticus, quam ii, qui aliter philosophantur, dicens, esse Deos ex moribus ac legibus patriis, & faciens, quicquid ad eorum cultum & venerationem pertinet: quod autem attinet ad philosophicam eorum inquisitionem, nihil temere definit, libr. VIII. cap. de Diis.

Quae SEXTI verba cum & PETRVS DE VILLEMANDY retulisset, recte subiicit: Egregia scilicet pietas! quae ideo tantum Deum agnoscit & veneratur, quia sis a societate sancitum; colitque, ne conciuuium incurrat horrorem: de caetero an sit, an vero non sit, humana regat, an vero minime, prorsus ἐπιχει, neque vllatenus inquirendum, opinatur. Haec scilicet, si quando ad flagitium aliquod, vel utilitatis vel voluptatis illicitis inclinabit, ab eius perpetracione Numinis huius praesentia ac metu deterrebitur! Quam facilis ab ea indifferentia eoque supremi Numinis contentu ad atheismum prolapsus! in scepticismo de-

bellato cap. IV. pag. 26. 27. Immo non tantum prolapsus inde facilis ad atheismum, sed, si dicendum, quod res est, ipse iam atheismus est. Qui enim dubitat, an Deus sit, non magis eum admittit, quam qui diserte eum esse negat; nec magis etiam eum colet, aut colere poterit. FRANCISCVS equidem MOTHAEVS VAYERIVS, quem modo laudauimus, ex Pyrrhonismo hoc demum redundare in homines commodum existimat, quod rationis, quae ex dubiis, quae sibi format, infinitis, eluctari nequeat, imbecillitatem, suamque adeo miseriam intelligentes, eo facilius ad religionis christianae, quae his defectibus medeatur, decreta admittenda, adduci queant; *loc. cit. pag. 229.* Quam eius sententiam etiam calculo suo adprobat PETERVS BAEIIVS, *dictionar. histor. critic. voc. Pyrrhon. pag. 2482.* Haec vero ad caliginem saltem aliorum oculis offundendam, atque fallendos incautos dici, nemo temere dubitauerit. Alia sane suppetit ratio, humanae mentis imbecillitatem, ignorantiamque in rebus diuinis cognoscendi, ut ideo ad extremum huncce stultitiae gradum, qui in scepticismo conspicitur, descendere, necesse non sit. Quem autem semel hicce morbus reuera occupauit, illum ad christianae religionis admittenda placita reliquis omnibus longe ineptiorem esse, iudico. Quid enim

enim agas cum homine, qui de principiis omnibus, quibus veritas christiana religionis innitur, & ex quibus demonstrari potest, dubitat? PETRUM VERO BAEIVM ex animi sententia hoc dixisse (per scepticismum viam ad religionem christianam parari) eo minus est credibile, quod ipsemet in praecedentibus *lit. B. pag. 2430.* omnes ingenii vires intendat, vt prober, ipsa christiana religionis scita arma suppeditare, quibus scepticismus plane inuincibilis euadat; quamuis haec ita comparata sint, vt, vincibilem scepticismum esse, facile demonstrari queat.

§. V.

Enthusiasmus etsi toto coelo ab atheismo differat, immo pugnare cum eo prorsus videatur, * fieri tamen potest, vt in atheismum tandem abeat, si per ἀνορθωσιν quandam cuncta in essentiam diuinam reducantur. ** Siue enim res omnes creatas in Deum mutes, quod enthusiasmus hoc modo spectatus facit, siue Deum in res creatas, seu materiam, quod Spinozismo est proprium, res eodem tandem recidit.

O s

* Quid

* Quid & quotuplex enthusiasmus sit, copiose a me est expositum, in *institutionib. theol. moralis part. I. cap. I. sect. V. §. XVII. seqq.*

** Hoc itidem a me iam obseruatum, in *dissertat. de Spinozismo ante Spinozam, §. XII. pag. 329.* Est tamen hic caute incedendum, ne temere alicui opinionem tribuamus, quae illi in mentem non venit. Et primo quidem ipsius enthusiasmi, aut dogmatum eo tendentium, nisi certo hoc nobis constet, quenquam accusare, nefas erit. Deinde, si vel maxime iure aliquis enthusiasmi accusetur, non omnes tamen eodem habere loco decet. Sunt enim diuersae species enthusiasmi, gradusque diuersi. Solent haud raro mystici ac theosophici, quos vocant, scriptores, enthusiasmi accusari, immo eius enthusiasmi, qui in pantheismum, quem alias Spinozismum vocant, tandem abit. Nec negauerim, quosdam ita locutos, ut huius impietatis rei censerique queant. De omnibus profecto id minime asseuerauerim. Occasionem accusationi dedit dogma de *ἰσοπληθία*, seu *ἰσοθεώα*, ex Platonica atque Pythagorica disciplina ortum. Equidem, an Pythagoras atque Plato, quando docuerunt, finem philosophiae esse, *ὁμοίωσιν θῆται τῷ Θεῷ*, Deo assimilari, hoc ita intellexerint, quod homo tandem Deus fieri, seu

seu in essentiam diuinam mutari debeat, nondum positum est extra omnem contro- uersiam. Sunt enim viri doctissimi, qui istas philosophorum locutiones *Φυσιολογικῶς* accipiendas negantes, de assimilatione qua- dam, qua virtutes, eas intelligendas, conten- dunt. Certe mitiorem hanc interpretatio- nem, sensumque moralem locum inuenire, quoties veteris ecclesiae patres, IO. CHRYSOSTOMVS, GREGORIVS Nazianzenus, CYRILLVS, THEODORETYS, alique, eiusmodi formulis vsi sunt, nemo temere dubitauerit. Vses autem esse, praeter alios ostendit cele- berrimus academiae Lipsiensis theologus, AD. RECHENBERGIUS, in *dissertat. de origine theologiae mysticae* §. XX. Licet vero qui- dam inter mysticos, hisce formulis abusi sint, & talia docuerint, quae ad physicam quandam *ἁπορρώσιν* collimant, ideo tamen omnibus promiscue ac sine discrimine, im- pius ille error tribui nequit. Sunt inter eos, qui enthusiasmi nomine male audiunt, nonnulli, qui & ideo inter atheos referun- tur, quod emanationem quandam rerum omnium ex Deo statuunt, quos inter phi- losophus ille Teutonicus, IACOB BOEHMIVS, haud vltimum locum tenet. At alii eos a Spinozismi suspicione liberant, etsi ipsam illorum sententiam non adprobent, si ema- natio talis intelligatur, in qua id, quod ema-
nat,

nat, reuera distinguitur a principio, vnde emanat. Et huic quoque sententiae ipse quondam calculum meum adieci in *dissert. de Spinozismo ante Spinozam*, §. XXI. Quod non ita accipiendum, ac si eiusmodi hominum vlllo modo defendere sententiam, aut ab errore liberare velim. Hanc enim mentem meam non fuisse, quiuis, qui paulo attentius, quae ibi scripsi, legerit, facile iudicabit. Quodsi quis ostenderit, Boehmii eam sententiam fuisse, qua discrimen inter creatorem & creaturam tollitur, eum iure meritoque Spinozismi argui, lubens concesserim. Multo vero minus ipsam doctrinam de emanatione meam facio, a qua me alienissimum esse, iam tum, cum ista scriberem, professus sum, *loc. cit. pag. 344.* Enim vero, etsi emanatio ista explicari vtcunque queat, vt discrimen inter creatorem & creaturam, saluum maneat, & a viris doctis ita etiam explicetur, vt supra ad *capitis praecedentis §. VI.* obseruauimus; ita tamen comparata est haec locutio, vt non tantum scripturae suffragio destituatur, sed facile aliquem ad Spinozismum ducere queat; nec modum creationis, qui captum humanae mentis superat, explicat, sed inuoluit potius, meritoque adeo, vtpote maximo cum periculo coniuncta, reicitur. Nec praetermittendum,

dum, quod eidem IACOBO BOEHMIO, aliisque, qui itidem aut pro enthusiastis, aut fanaticis habentur, saepius & quidem non immerito exprobratum fuit, eos Deum in se, absque creaturis, aut sine *σχέσις* ad res creatas spectatum, NIHIL vocasse. Quod profecto neuiquam ferendum. Eriam si enim vel maxime discrimen inter *nihil* & *non ens*, quod nonnulli vrgent, admitteretur, simulque concederetur, auctores, qui ita locuti sunt, Deum saltem intuitu nostrae cognitionis *nihil* vocasse, quia Deus absque rebus creatis spectatus, a nobis concipi nequeat; falsum tamen est, Deum nullo modo in se absque rebus creatis, spectatum, cognosci aut quodammodo concipi posse. Perfecte & adaequate Deum concipi non posse, lubentes concedimus; sed id ita se habere, rursus dissentientibus concedendum est, siue absque rebus creatis, siue cum iis spectetur. Non vero video, quid obstet, quo minus quis ideam entis perfectissimi animo utcunque concipere queat, etsi rerum ab eo productarum nullam habeat rationem. Praeterea cum non omnes ea ingenii subtilitate praediti sint, ut discrimen inter *nihil* & *non ens* capiant, fieri aliter nequit, quam ut plurimi talia audientes in eam inducantur sententiam,

ante

ante rerum adspectabilium productionem
nullum fuisse Deum.

§. VI.

Atheismus proprie sic dictus vel *theoreticus* est, vel *practicus*. Si enim vita quis moribusque testetur, nullum se credere Deum, qui peccata puniturus sit, eum *practicum atheum* vocare, moris, est.* Sin vero dictis scriptisque idem testetur, cum in vita honestatem quandam, virtutisque prae se ferat speciem, *theoreticus* vocari solet.

- * Non omnes, qui cupiditatibus suis indulgentes vitiis immerguntur, aut flagitia quaeuis perpetrant, statim pro *atheis practi-*
cis habendi. Constat enim diuersa ratione induci homines, vt cupiditatibus suis prauis frena laxent. Multi de Deo eiusque prouidentia & iustitia plane sunt persuasi, & nihilofecius in omne se dant vitiorum genus, eo quod credant, se facile per meritum Christi remissionem peccatorum impetraturos, aut quod peccata sua, quantumuis atrociora, inter humanas imbecillitates referant, aut quod poenitentiam ab vno tempore in aliud differant, aut quae aliae esse causae possunt, quibus inducti impunitatem prae actorum sibi pollicentur. Immo homi-

mines superstitioni ad furorem vsque dedicatos, flagitiosissimos fuisse, experientia docet, & viris eruditis non semel obseruatum. Hos tamen nemo atheos dixerit. Quare si quis pro atheo practico habendus, ex certis signis nobis constare debet, flagitia eius sceleraque non ex alio promanare fonte, quam quod nullum esse credat Deum. Hinc & re ipsa atheismus practicus a theoretico non differt; sed vnus idemque atheismus, prout aut ex vita, aut ex dictis scriptisue cognoscitur, mox *practicus*, mox *theoreticus* dicitur. Causa diuersitatis inde repetenda, quod nonnulli ex atheis proniores sint ad voluptatem, adeoque ad externam honestatis speciem adsumendam parum apti: alii autem ad ambitionem, qui virtutis quadam imagine alios fallunt, atheismum autem minus dissimulant, vt aliis sapientiores acutioresque videantur. Vnde & sequitur, etsi maxima hominum flagitiis deditorum sit multitudo, non tamen inde probari posse, tantam esse multitudinem atheorum practicorum; quemadmodum & theoreticorum longe minor est numerus, quam vulgo putant. Quod contra ipsos atheos obseruandum, ex multitudine hominum, quibus eandem sententiam tribuunt, praesidium aliquod causae suae desperatae quaerentium.

§. VII.

§. VII.

Theoreticus atheismus vel *rudior* est, seu plebeius, vel *philosophicus*. Rudior illorum est, qui coeco animi impetu præuisque adfectibus abrepti, nullum esse Deum, sibi persuadent, aut persuadere cupiunt, etsi effectuum, quos quotidie in rerum natura conspiciunt, quive Deum esse clamitant, nullam reddere rationem queant, nec de eo sint solliciti.*

* Inter homines plebeios, aulicos etiam, qui litterarum rudes sunt, militesque & id genus alios, tales dari, nemo negauerit. Hi vero, si dicendum, quod res est, a brutis non differunt. Estque haud raro horum atheismus, practicus potius, quam theoreticus. Quamuis interdum vterque coniunctus esse soleat.

§. VIII.

Atheismus philosophicus vel *scepticus* est, vel *dogmaticus*. Scepticus illorum est, qui, nullius rei certam se habere cognitionem posse, putantes, de ipsa Numinis existentia dubitant.* Dogmaticus vero illorum, qui, cum Deum esse negent,

regent, eiusmodi philosophiae systema adsumunt, per quod effectuum naturalium se reddere rationem posse, putant, ut nullum tamen creatorem, seu Deum, admittere cogantur.

* Conferenda, quae antea ad §. IV. huius capituli; item ad capituli praecedentis §. XIV. dicta sunt.

§. IX.

Dogmaticus pro diuersitate systematis, per quod quisque naturae phaenomena secluso Deo, explicare annititur,* iterum varius est. Alius namque erit *Aristotelicus*,** alius *Stoicus*,*** alius *Epicuraeus*,* alius denique *Spinozianus*,** quemadmodum a praecipuo restauratore eum dicere hodie moris est. Ad quatuor enim haec genera cuncta atheorum systemata reuocari possunt; quae autem non possunt, digna non sunt, ut eorum habeatur ratio.***

* Non ita hoc est capiendum, ac si omnia haec systemata vno eodemque habenda sint loco, aut ac si nullum illorum vlla ratione adhiberi queat, ut non simul atheismus admittatur. Secus enim se rem habere, nemo

P

harum

harum rerum intelligens inficiatus fuerit. Id equidem, quod Eleaticum vocari potest, & quod a Spinoza renouatum est, per se ad atheismum ducit, nulloque modo ab eo liberari potest, vt ex dicendis patebit. Idem & de Stoico dicendum. Nec aliter sentiendum de Epicuræo, si ex mente Epicuri accipiatur, vt praeter atomos seu corpuscula, nulla substantia incorporea seu immaterialis admittatur. Haec vero si admittatur, corpuscularis philosophia non tantum libera erit ab atheismo, sed, vt omnium commodissime ad explicanda naturæ phaenomena adhibetur, ita & validissima contra ipsos atheos arma suppeditat: vt subinde a viris doctis, corpuscularis philosophiae sectatoribus, est demonstratum. Legenda, quae in compendio hac de re dixit TENKINVS THOMASIVS, in *hystor. philos. de atheismo cap. II. §. VIII. pag. 44. seqq.* Pari ratione & de Aristotelico, quod vocamus, censendum. Hoc enim si ex ipsius Aristotelis mente capiatur, impietatis non erit expers. Interim si hoc nomine denotetur ratio explicandi naturæ phaenomena, per formas substantiales, atque qualitates, nullum est dubium, quin ita institui queat, vt rerum omnium creator, siue Deus, in eo locum inueniat. Quamcunque autem aliquis sequatur de rebus naturalibus philosophandi rationem, ea
mihi

mihî optima videtur, quae demonstrat, quodcunque adsumatur principium, sufficientem tamen phaenomenorum naturalium rationem reddi non posse, nisi Deus, sapientissime & ex liberrima voluntate hoc ita constituens, statuatur; cuius methodi prorsus egregiae specimen luculentissimum secundum hypotheses IS. NEWTONI, summi philosophi, dedit GEORGIUS CHEYNE, in *principiis philosophicis religionis naturalis*; quarum summam exhibet IOANNES CLERICVS, *bibl. anc. & mod. tom. III. part. I. art. II. pag. 41. seqq.*

- * Aristotelicus atheismus illis tribuitur, qui per formas & qualitates, naturae phaenomena explicare annuntur. Nimirum materiam aeternam & infinitam esse statuunt, & in se spectatam generationi ac corruptioni minime obnoxiam, generationem vero & corruptionem omnem de formis tantum ac qualitatibus esse intelligendam. Ista autem formas & qualitates entia realia esse putant, realiter a magnitudine, figura, situ, motu, quiete, aliisque, quae materiae primario competunt, diuersa; ad quam quidem formarum ac qualitatum classem, quae mox generentur, mox corrumpantur, etiam vitam in animalibus, sensum, atque rationem, referunt. Quodsi a corpusculari philosophiae

sectatoribus illis obīciatur, entitates reales a magnitudine, figura & motu diuersas, corrumpi & generari non posse, cum inde secuturum esset, ex nihilo posse fieri aliquid, & vice versa ens reale posse mutari in nihil, quod recepto illi principio, ex nihilo nihil fiet, repugnet, respondent, hocce principium tantum de ipsa substantia materiae intelligendum esse, non autem de formis & qualitatibus, quae sint materiae accidentia. Antiquissimos philosophorum in ea fuisse sententia, inde manifestum est, quod ipse ARISTOTELES eius non tantum meminit, sed contra eam disputat, *lib. I. metaphys. cap. III. & lib. II. cap. I.* Sunt, qui eam Ionicis tribuunt. Et sane vix video, qua ratione illi ex schola Ionica, qui solam materiam admiserunt, aliter naturae phaenomena explicare potuerint. A corpusculari enim philosophia eos alienos fuisse, constat. Conferenda, quae de atheismo scholae Ionicae supra disputauimus, *cap. praeced. §. X.* Cum primis autem ipsi Aristoteli hoc systema tribuitur, adeo vt etiam Aristotelicum vulgo dicatur. Sane formas & qualitates eiusmodi, Aristotelem & genuinos eius sectatores admittere, notum est. Quia tamen idem principium aliquod agens statuit, in eo discrimen intercedere videtur. Vnde & ratio patet, quo nomine hanc sententiam

sentiam ipsemet reiiciat. Nec tamen ideo ab atheismo immunis est Stagirita, ut supra iam obseruauimus, *cap. praecedent. §. XV.* item *§. XXIV.* cum de Andrea Caesalpino verba faceremus. Atheismum autem in isto formarum & qualitatum systemate, haud difficulter deprehendere licet. Si enim nulla alia praeter materiam datur substantia, sique cuncta naturae phaenomena hac ratione explicari possunt, Deo nec locus, nec eodem opus est. Atheos illos, qui ex disciplina Aristotelica prodierunt, Iul. Caes. Vaninum, Andream Caesalpinum, ceterosque, de quibus *cap. praeced. §. XXV.* dictum, si reuera athei fuerunt, & systema aliquod atheisticum sibi formarunt, non aliud, quam hoc ipsum admisisse, probabile; nisi in quibusdam ab Aristotelicis principiis discesserint. De Stratone Lampfaceno deinceps dicemus, cum propius ad Epicurum accesserit. Fuisse, qui, atheismum Aristotelis cum Spinozismo conuenire, existimauerint, supra nobis *cap. I. §. XV.* obseruatum. Sed etsi vel maxime atheismus Aristotelicus in Spinozismum tandem abeat, quia tamen methodus naturae phaenomena explicandi secundum principia Aristotelis, diuersa est a methodo Spinozae, non sine ratione hic atheismum Aristotelicum ab atheismo Spinozae distinguimus.

*** Nimirum Deum quidem admittebant, sed eundem & fati legibus obnoxium, & cum materia arctissimo indissolubilique vinculo coniunctum, adeoque, etsi quodammodo a Spinozae errore diuersa sentiebant, quo nomine & hic illorum atheismum a Spinozismo distinguimus, proxime tamen ad illum accedebant. Repetenda, quae *cap. I. §. XVIII.* de Stoicis diximus, item, quae de Heraclito *§. XX.* disseruimus.

* An Epicurus, quem prouidentiam diuinam negasse constat, atheus fuerit, fusc iam *cap. praeced. §. XIX.* disputauimus. Nunc paucis saltem systema eius delineabimus. Hinc enim ea, quae supra diximus, confirmabuntur, & viam nobis ad cuncta atheorum fundamenta euertenda, parabimus. Non aliud rerum naturalium principium, quam atomos, atque inane, Epicurum admisisse notum est. Omnem itaque etiam substantiam incorpoream ex mundo excludebat, quae praecipua impietatis eius causa erat. Per atomos autem, corpuscula intelligebat, mente percepta, sempiterna, expertia vacui, non minus ac interitus, figuris variis, non tamen infinitis, vtut incomprehensibilibus, a se inuicem distincta, diuersa insuper magnitudine ac pondere instructa. Haec porro non

non tantum ab omni aeternitate existere, sed etiam sola ponderis sui virtute, sine vitae aut sensus adiumento, vel causae alicuius externae impulsu, ab infinitis temporibus, in infinito vacuo, moueri, docuit. Constant haec ex PLVTARCHO, de *placitis philosophor. lib. I. cap. III.* LVCRETIO, de *rerum natura lib. I. & II.* & DIOGENE LAERTIO, *libr. X.* Ex hisce atomis, vt omnia corpora, totumque mundum extrueret, praeter motum perpendicularem, a pondere naturali istorum corpusculorum ortum, alium adhuc, quem *declinationis* vocat, commentus est. Si enim atomi linea recta tantum deorsum ferri concipiantur, fieri non poterat, vt vna atomus alteram in infinito illo inani attingeret, adeoque nec in corpora maiora concrecere poterant. Per motum autem *declinationis* atomi a motu perpendiculari paululum declinantes & in vicinas incidentes, cum illis coalescere, & impulsione sua nouum illis motum imprimere poterant, variis hinc corporibus originem praebiturae. Ex isto nimirum atomorum in diuersis infiniti inanis regionibus, diuersa ratione inter se concurrentium, motumque diuersum concitantium combinationibus, separationibus, aliisque molitionibus, per infinita tempora continuatis, infinitos tandem extitisse mundos, interque eos & illum, cuius nos par-

tem constituimus. Et ad nostri quidem mundi ortum quod attinet, partem atomorum, quae continuo celerrimoque motu hinc inde ferebantur, in hunc infiniti inanis locum, in quo mundus noster est, confluisse, putabat, easque se mutuo apprehendentes, & sibi inuicem velut irretitas, in rudem quandam & indigestam coaluisse molem, in qua maiora corpuscula minoribus, rotunda angulis, laeuia hamatis, alia aliis, fortuito ex concursu commixta fuerint. In ista variorum corpusculorum congerie ea, quae magnitudine & pondere ceteris praestabant, inferiora loca petiisse, ex quibus terra sit genita, reliqua subtiliora magis, leuiaque & rotunda, aëri, aquae, corporibusque coelestibus dedisse originem. Quo pacto ex hisce principiis, omnes mundi partes, animalia quoque cuncta, ipsosque homines, qua corpus, qua animam eiusque facultates, intellectum & voluntatem, deriuet, exponere, prolixum nimis foret, & a nostro instituto alienum. Legi ista apud T. LVCRETIVM CARVM, DIOGENEM LAERTIVM, aliosque, possunt. Id puto satis manifestum esse, cuncta eo tendere, vt Deus a mundi constructione prorsus excludatur, & ne minimae quidem illi relinquuntur partes. Commemorandus vero hic nobis etiam est STRATO LAMP-
 CE-

CENVS, a quo peculiare systema atheisticum, *Stratonicum* dici solet. Licet enim inter Peripateticos referatur; in eo tamen cum Epicuro consentit, quod materiam in plurimas particulas discerpit, & fortuito motui in constituendis rerum originibus locum relinquit. Et haecenus atheismus Stratonicus sub Epicureo comprehendendi potest. Differt tamen in eo, quod pro materia stupida, vitaeque omni destituta, Epicureorum, STRATO materiam vita quadam naturali & plastica instructam, substituat, ut supra ad *cap. praeced. §. XVI.* observavimus. Quo ipso licet atheis via quaedam elabendi ex difficultatibus, quibus Epicuri systema premitur, suppeditetur, aequae lubrico tamen fundamento cuncta innituntur, ut in sequentibus demonstrabitur.

** A Spinoza hocce atheismi genus nomen sortitum est, non, quod ille primus huius impietatis inventor fuerit, sed quod eam in systematis formam redegerit, & fallacem quandam speciem ei conciliauerit. Plurimi equidem veterum talia adferuerunt, quae ad Spinozismum accedunt, licet quaedam propius, quam alia, proxime tamen huc accedit, aut prorsus coincidit, sententia illorum, qui, *omnia vnum esse*, docuerunt, ut XENOPHANES COLOPHONIVS, PARMENIDES, MELISSVS atque ZENO ELEATES,

de quibus *cap. praeced. §. XIX.* dictum. Referenda huc & sententia illorum, qui materiam primam pro Deo habuerunt, quo in errore nonnullos ex scholasticis versatos esse, *cap. praeced. §. XXIII.* docuimus. Ipsius vero SPINOZAE sententiam luculenter *ibidem §. XXVI.* exhibuimus, ubi & de sectatoribus eius dictum.

*** Si quae alia dantur atheorum systemata, aut ad vnum ex haecenus allatis reuocari possunt, aut sua statim imbecillitate corruunt. Exempli loco illi esse possunt, qui ex siderum influxu cuncta ita deriuare conantur, ne Numinis directioni locus vllus relinquatur. Etenim si ex eiusmodi hominibus quaeras, vnde ista vis & efficacia siderum proueniat, aut Deus illis admittendus erit, aut vnum ex antea memoratis systematibus amplectendum. Agmen inter eiusmodi atheos ducere nonnullis creditur, HIERONYMVS CARDANVS. Sed hunc pro fanatico potius, quam pro atheo, habendum, supra iam pronuntiauius, *cap. I. §. XXIV.* Referri etiam huc posset COSMVS RVGGERRVS, de quo itidem *loc. cit.* dictum. Licet autem ex astrologia iudiciaria impia deliria oriri queant, vt *ibidem* iam obseruatum, magis tamen superstitioni hominum, quam atheismo, inseruit. Sunt porro alii ex eruditis

ditis atque philosophis, qui certum equidem systema, quod atheismo inseruiat, aperte non constituunt, sed sparsim hinc inde talia insinuant, quae ad atheismum tendunt, quibusue mentem suam haud obscure produnt. Nec tamen & hoc vna eademque ratione faciunt. Nonnulli, sacra cuncta, religionem cultumque Numinis irridendo, falseque perstringendo, quid sibi velint, significant, vt LVCIANVS, & qui ei sunt similes; alii, christianae religionis scita recte sugillando, & argumenta atheorum magna cum ostentatione proponendo, elumbes autem & ieiunas responsiones iis subiiciendo, quod IUL. CAESAR. VANINVM fecisse, supra obseruauimus; alii indirecte & aliud velut agendo, aut principia atheistica alijs doctrinis immiscendo, quod THOMAM HOBBSIVM aliquando egisse, nouimus, qui tamen, vt aperte veritatem christianae religionis impugnat, ita ratione systematis atheistici Epicureis recte annumeratur; alii denique religionem omnem Numinisque cultum eneruando, dum eum pro instrumento saltem dominandi, populumque in obsequio continendi, venditant, quem a NIC. MACHIAVELLO merito *atheismum Machiauellisticum* dixeris; quamuis primus, qui hanc viam ingressus sit, merito CRITIAS censetur, de quo *cap. praeced. §. XII.* dictum. Hi vero omnes,

ctfi

etsi in eo tandem conspirent, non dari Deum, necesse tamen est, ut vnum ex systematibus atheisticis antea memoratis admittant, aut talia se asserere fateantur, quae nullo plane innitantur fundamento, quibusue, cur ipsi fidem adhibeant, nullam reddere rationem, multo minus ab aliis, ut idem faciant, postulare possunt. Qui enim receptam quandam euertere sententiam atque explodere suscipit, meliorem firmioribusque rationibus superstructam, certumque adeo systema, quod omnibus dubiis solvendis sufficiat, adferat, necesse est, aut non aegre ferat, si communi omnium consensu sententia eius exhibetur.

§. X.

Fundamentum atheismi *sceptici* est, certam non dari rerum cognitionem, iudiciumque adeo de omnibus suspendendum esse; * *dogmatici* generale est, materiam semper fuisse, & ad eius essentiam pertinere existentiam necessariam; ** *Aristotelici*, mundum, prout nunc est, semper extitisse; *** *Stoici*, Deum cum materia arctissimo vinculo esse coniunctum; * *Epicurei & Stratonici*, mundum ex fortuito

nito atomorum concursu coaluisse; **
Spinoziani, vnam tantum esse substan-
 tiam. ***

* Specialius fundamenta Scepticorum, quae
 ex SEXTO EMPIRICO, aliisque constant, in-
 dicare, huius loci non est. In compendio
 ea exhibet PETRVS DE VILLEMANDY, in
Scepticismo debellato, cap. V. pag. 33. seqq.
 conf. & PETRVS GASSENDVS, tom. I. *opp.*
de fine Logicae, cap. III.

** Hoc namque fundamentum si euertas,
 omnia atheorum systemata, corruent; id
 quod in sequentibus ostendetur. Connexum
 cum hocce fundamento est decantatum il-
 lud totius ethnicae, & atheisticae philo-
 sophiae, principium: *ex nihilo nihil fit.*
 Quod vt de causa materiali verissimum, ita
 de efficienti, infinita virtute praedita, fal-
 sissimum est, vt itidem in sequentibus osten-
 detur.

*** ARISTOTELIS hanc fuisse sententiam, tam
 notum est, vt probatione non indigeat.
 Recte hoc ex antiquis ecclesiae doctoribus
 iam obseruatum LACTANTIO: *Nam Stoici*
animantium fabricam diuinae solertiae tri-
buunt: Aristoteles autem labore se ac molestia
liberauit, dicens, semper mundum fuisse: ita-
que & humanum genus, & cetera, quae in eo
sunt, initium non habere, sed fuisse semper ac
fore;

fore; *libr. II. institut. diuin. cap. XI.* Et sane, qui ea saltem legerit, quae *libr. I. de coelo, cap. X.* hac de re differit, non amplius, hanc eius mentem fuisse, dubitauerit. Hanc itaque sententiam de aeternitate mundi, ceu Aristotelicam, ex instituto refutauit NICOLAUS TAVRELLVS, (hac quidem in re recte scetiens, etsi & ipse a quibusdam atheismi accusatus sit) in libro de *aeternitate rerum*, Marpurgi anno MDC IV edito. Conimbricensium ibi inter alia redarguit sententiam, qui Aristotelem creationem agnouisse, asseruerunt, & ex hocce capite refellit, quod secundum huncce philosophum mundus, prout est, semper extitit. *Ita quidem inquit, Iesuitae Conimbricenses, ego tamen priorem (Aristotelem creationem non statuisse) magis probo sententiam. Res enim per se manifesta est, siquidem manifestum est, Aristotelem censuisse, mundum ab aeterno fuisse, semperque mansurum esse necessario, &c. de rerum aeternit. part. II. pag. 260.* Non sine ratione itaque B. IAC. THOMASIVS illis indignatur, qui ex intempestiuo Aristotelem cum scriptura sacra conciliandi studio, philosopho huic sententiam, quod mundi originem agnouerit, tribuerunt. *Consentiunt, inquit, in hoc, de Aristotele ore vno, quod sciam, prisci pariter ac recentes omnes, si vnum forte vel alterum excipias, quem intempe-*

tempestiuum hoc acuo maxime, quo barbaram historiae veteris ignorantiam exuimus paulatim, studium, demonstrandi consensum Aristotelis cum sacra scriptura, eo adegit, vt contra tot seculorum persuasionem, contra manifestam oculorum fidem, tueri incipiat, dari iuxta Aristotelem & creationem mundi, cum nouitate essendi & interitum; de *exust. mundi Stoic. dissertat. IV. §. I. p. 58.* Recte autem, ni fallor, in eo atheismi Aristotelici proprie sic dicti fundamentum constituimus. Ex hoc ipso enim de aeternitate mundi principio, alterum de primo motore cum sphaera suprema necessario nexu coniuncto, fluxisse videtur; aut, si rem inuertere velis, hoc cum Stoicis ei commune fuit, adeoque simul euertetur, cum contra Stoicos disputabimus. Hypothesis autem de formis & qualitatibus, cum aliis ei itidem communis fuit, & ita praeterea, vt supra iam obseruauimus, comparata, vt ab illis etiam adhiberi queat, qui non sunt athei.

* Constat hoc ex iis, quae de Stoicis, *cap. I. §. XVIII.* diximus.

** Praecipuum namque hocce caput est systematis Epicurei, quod ad *§. praecedentem* exhibuimus.

*** Conferenda, quae *cap. I. §. XXVI.* in medium attulimus.

CAP. III.

DE

DOGMATIBVS;

QVAE

CVM ATHEISMO CONIUNCTA
SVNT, AVT AD EVM
DVCVNT.

Σύνοψις.

Inter dogmata cum
atheismo coniuncta,
aut ad eum ducen-
tia, refertur negata
providentia diuina,
§. I.

*Animae immortalitas
in dubium vocata,*
§. II.

*Spirituum seu angelo-
rum bonorum &*

*malorum existentia
impugnata, §. III.*

*Vaticinia reiecta, §. IV.
itemque miracula pro-
scripta, §. V.*

*Christianae religionis
veritas labefactata,*
§. VI.

*Scripturae sacrae diui-
na auctoritas ludi-
brio habita, §. VII.*

§. I.

Inter dogmata, quae cum atheismo
arctissimo quodam vinculo coniuncta
sunt,

sunt, primum merito praecipuumque locum tenet negatio prouidentiae diuinae. Quemadmodum enim atheus hanc non admittit, ita, qui eam negat, non multum ab atheo differt; saltem omne religionis, cultusque diuini, fundamentum tollit. *

* Atheum prouidentiam diuinam non admittere, res ipsa docet. Nec temere quisquam dubitabit, eum, qui prouidentiam diuinam negat, esse atheum. Rationibus enim, non minus luculentis, Deum rerum omnium curam gerere, quam eum esse, probari potest. Immo ex ipsa idea Dei hoc sequitur, quam non potest non euertere, qui diuinam prouidentiam negat. Epicuri nobis non obstare exemplum, patet ex iis, quae *cap. I. §. XIX. de eo disputauimus*, ubi etiam ostendimus, frustra a nonnullis pietatem eius laudatam, ac si Deum *ob maiestatem eius eximiam, singularemque naturam*, coluerit. Inde vero etiam intelligitur, per Epicureismum religionem omnem, Numinisque cultum, penitus euertere. Quemadmodum vero itidem, *cap. I. §. XXV.* ubi de PETRO Baelio verba fecimus, ostendimus, dubia, quae circa prouidentiam diuinam mouentur, inter praecipua atheismi fulcra referenda esse, ita exempla quibus hoc probari queat, non desunt. Per-

Q

rinet

tinet huc, quod *cap. praeced. §. XVIII.* de Diogene Cynico ex CICERONE obseruauimus, eum dicere solitum, *Harpagum, qui temporibus illis praedo felix habebatur, contra deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viueret.* Sed Diagoras quoque Melius, quem inter atheos merito referri, *cap. praeced. §. XIX.* demonstrauius, cum initio saniori de Deo doctrinae addictus esset, postea tamen poëma quoddam, quod elaborauerat, a quodam sibi ablatum aegre ferens, istudque a fure, qui iure iurando, se istud non abstulisse, confirmauerat, frustra repetens, iniuriam hac ratione sibi illatam, eamque cum periurio coniunctam, inultam a Deo dimitti sentiens, publice atheismum profiteri non dubitauit; vt auctor est HESYCHIVS, in *vita eius*, & SEXTVS EMPIRICVS, *adu. mathematic. pag. 318.* Immo ad huncce scopulum ipsum Epicurum naufragium fecisse, ex instituto PETR. GASSENDVS, in *syntagm. de vita Epicuri p. 213.* ostendit. Fuit autem negatio diuinae prouidentiae dogma velut characteristicum Epicuraeorum, quibus cum alii, tum maxime Stoici se opponebant; qui dum acerrimi prouidentiae defensores videri volebant, in alterum extremum prolapsi sunt, fatum aliquod absolutum introducetes, quod non minus quam diuinae prouidentiae negatio, ad atheismum

duce-

ducebat, vt accurate ostendit B. IAC. THOMASIVS, de *exust. mundi Stoica dissert. XIII.* qua Stoici fati malignitatem exhibet, pag. 166. seqq. Inter ipsos Iudaeos error hicce, de negata prouidentia diuina, Sadducaeis tribuitur. Diserte id tradit FLAVIVS IOSEPHVS, qui verba de iis faciens, τὴν μὲν, inquit, εἰμαρμένην παντάπασιν ἀναιρῆσι, καὶ τὸν θεὸν ἐξω τῆ δρᾶν τι κακὸν ἢ ἰσορῶν πιστεύουσι fatum omnino negant, & Deum extra omnem mali patratiōnem inspectionemque constituunt, de bello iud. libr. II. cap. VII. Huncce ducem plurimi ex recentioribus sequuntur, & inter reliquos IOANNES DRVSIVS, de tribus sectis Iudaeorum, libr. III. cap. XII. pag. m. 291. 292. qui & ABRAHAMI ZACHVTHI testimonio idem confirmat. Sunt tamen alii, qui eos ab hocce errore liberant, quos inter & IOANNES GERHARDVS VOSSIVS est, de idololatria gentilium libr. I. cap. X. cuius hac de re verba iam recitavi in *introduc. ad histor. philos. Ebraeor. pag. 70.* Eandem sententiam sequitur PETRVS BAEVLIVS, hac maxime ratione nixus, quod docuerint, Deum recte facta in hocce remunerari seculo, eademque ratione peccata punire. Hoc vero nemo asserere potest, qui non prouidentiam diuinam admittit. Et sane poenas peccatorum, sed temporales, praemiaque virtutum eos credidisse, etiam IOANNI

LIGTFOOTO obseruatum: *Quaenam ergo religio Sadducaei? orat, ieiunat, sacrificat, obseruat legem, & tamen non expectat resurrectionem, aut vitam aeternam. Quorsum haec religio? Ut obtineret scilicet bona temporalia, quorum solum promissionem obseruat ille factam in lege, nihil rimans ultra litteram; in horis ebr. in acta apostolorum ad actor. XXIII. 8. tom. II. opp. pag. m. 787.* Quicquid huius fit, inter ecclesiae christinae haereticos non defuisse, qui si non penitus negarent diuinam prouidentiam, perperam tamen de ea sentirent, aut eiusmodi circa eam se deprehendere difficultates sibi viderentur, quas non aliter, quam absurdissima quaeque admittendo superare possent, vel Manichaeorum atque Marcionitarum exemplo patet, qui duplex principium independens asserebant. Fuisse tamen iam ante Manichaeos, qui in eodem luto haerent, constat, pluribusque demonstratum ab IOANNE CHRISTOPHORO WOLFIO, in erudita commentatione, de *Manichaeismo ante Manichaeos*. Nostra vero aetate PETRUM BAEIIVM eandem scenam magno adparatu instruxisse, vtque ineptum hocce Manichaeorum de duplici principio commentum rationi inexpugnabile esse, demonstraret, in exaggerandis, quae contra prouidentiam diuinam proferri solent, argumen-

gumentis, ingenii vim mirum in modum exercuisse, nemini ignotum est, & supra quoque *cap. I. S. XXX.* pluribus a me iam comprobatum. Argumenta, quibus ab istis hominibus diuina impugnatur prouidentia, omnia adferre, instituti ratio non permittit. Praecipua tamen indicare haud abs re fuerit, ad quae & deinceps respondebimus. Primum idque leuissimum est, quod multa in hocce terrarum orbe deprehendantur, de quibus cum dici nequeat, quod in hominum vsum sint condita, manifestum esse, quod vtilitate omni careant; vnde sequi putant, casu fortuito talia extitisse, non autem ab ente quodam sapientissimo, curam rerum omnium gerente, esse profecta. Urget hoc praecipue TITVS LVCRETIVS CARVS, qui, cum in eo est, vt ostendat:

*Nequaquam nobis diuinitus esse paratam
naturam rerum: tanta stat praedita
culpa,*

exempli loco haec adfert:

*Principio, quantum coeli tegit impetus
ingens*

*Inde auidam partem montes, siluaeque
ferarum,*

*Possedere, tenent rupes, vastaeque paludes,
Et mare, quod late terrarum distinet oras,*



246 CAP. III. DE DOGMATIBVS, QVAE
de rerum natura lib. V. pag. m. 154. ex edit.
OBERTI GIEAÑII. Varias, quae hominem
premunt, calamitates, miseriaeque fere infi-
nitae, quae eum a primo natiuitatis mo-
mento ad mortem vsque comitantur, alte-
rum argumentum praebent Epicureis, quo
diuinam prouidentiam impugnent. LVCRETII
verbis hoc ita exprimere posses:

*Praeterea genus horriferum, natura fe-
rarum,
Humanas genti infestum, terraque ma-
rique,
Cur alit, atque auget? cur anni tem-
pora morbos
Adportant? quare mors immatura vaga-
tur?
Tum porro puer, ut saeuus proiectus ab
vndis,
Nauita, nudus humi iacet, infans, indigus
omni
Vitali auxilio, cum primum in luminis
oras
Nixibus ex aluo matris natura pro-
fudit,
Vagituque locum lugubri complet, ut ae-
quum est,
Cui tantum in vita restet transire ma-
lorum.*

loc. cit.

loc. cit. pag. 155. Atque haec sunt mala illa physica, quae cum non possent cum bonitate Numinis conciliare, iis ad negandam eius providentiam se induci passi sunt. Pertinet huc argumentum illud, quod ex mente Epicuri proponit LACTANTIVS: *Deus, inquit (Epicurus) aut vult tollere mala, & non potest; aut potest, & non vult; aut neque vult, neque potest; aut & vult & potest. Si vult, & non potest, imbecillus est, quod in Deum non cadit. Si potest & non vult, invidus; quod aequè alienum a Deo. Si neque vult, neque potest, & invidus & imbecillus est, ideoque neque Deus. Si vult & potest, quod solum Deo convenit; unde ergo sunt mala? aut cur illa non tollit? Scio, plerosque philosophorum, qui providentiam defendunt, hoc argumento perturbari solere, & inuitos pene adigi, ut Deum nihil curare fateantur, quod maxime quaerit Epicurus; de ira Dei cap. XIII.* Vocat deinde LACTANTIVS hocce argumentum *formidolosum*, simulque ad illud respondet, sed ita, ut PETRO BAELIO non satisfaciat, qui non tantum Lactantii responsionem explodit, sed omnes ingenii vires intendit, ut probet, hocce argumentum plane esse insolubile; in *dition. histor. crit. voc. Manicheens p. 2324.* Cum autem LACTANTIVS ex mente Epicuri

Q4

de

de *malis physicis* loquatur, idem, quem modo laudauimus, PETRVS BAEIIVS, existimat, longe maius adhuc ei accedere robur, si de *malis moralibus* seu *peccatis* accipiat; *loc. cit.* Atque hoc tertium est argumentum, quod prouidentiae diuinae opponitur. Idque hominibus rationis ductum tantum sequentibus aliquid negotii facessere posse, non diffitemur. Agnouit illud ORIGENES: Εἴπερ ἄλλός τις τόπος τῶν ἐν ἀνθρώποις ἐξετάσεως θεού ὡς θεοῦ θεοῦ ἡμετέρας ἐστὶ τῆ φύσει ἡμῶν, ἐν τέτοις καὶ ἢ τῶν κακῶν ταχθεῖν αὐ γένεσις; *Si quis alius est locus, in rebus humanis, scrutatu difficilis naturae nostrae, inter hos merito numerari potest malorum origo; contra Celsum libr. IV. pag. 207.* Plane vero illud insolubile esse, lectoribus persuadere annititur PETRVS BAEIIVS, *loc. cit. voc. Pauliciens, pag. 2324. seqq. item voc. Manicheus, pag. 2022. seqq. vt & voc. Marcionites pag. 2039. seqq.* Sed, si, quae vir ille doctus magnis & taediosissimis uerborum ambagibus hac de re differit, paulo accuratius consideres, cuncta tandem eo redeunt, bonitati diuinae prorsus repugnare, permittere mala. Ad quod quid respondendum sit, ex infra dicendis patebit. Vltimum denique, idque praecipuum fere contra diuinam prouidentiam argumentum est, quod experientia

CON-

constet, impiis subinde cuncta ex voto cedere, cum piis contra bonisque viris cum variis calamitatibus sit colluctandum. Iam antiquissimis temporibus hancce quaestionem, etiam sanctorum hominum animos aliquando sollicitos tenuisse, vel ex *psalm. LXXIII. 2. seqq.* discimus, eiusque rei librum Iobi documentum luculentissimum praebere, obseruatum in *introduc. ad histor. philosoph. Ebraeor. pag. 26. 27.* Idem ex *SENECAE* libro *de prouidentia* patet, quippe in quo ex instituto disputat: *quare bonis viris mala accidant, cum sit prouidentia?* Eleganter hoc expressit *CLAVDIANVS*. Cum enim quaestionem hanc ita proposuisset:

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,

*Curarent superi terras, an nullus inesset,
Rektor, & incerto fluerent mortalia casu,*

allatisque rationibus quibusdam prouidentiam probasset, tum in contrariam sententiam ita verba facit:

Sed, cum res hominum tanta caligine volui

Adspicerem, laetosque diu florere nocentes,

*Vexarique pios: rursus labefaeta cadebat
Religio &c.*

Q

Tan-

Tandem tamen vel Rufini, scelerum poenas iustissimas dantis, exemplo, Deum rerum humanarum gerere curam, se edoctum profiteretur :

Abstulit hunc tandem Rufini poena tumultum,

Absoluitque deos. Iam non ad culmina rerum

Iniustos creuisse queror; tolluntur in altum,

Vt lapsu grauiore ruant.

in *Rufin. lib. I.* Sed responsio haecce CLAUDIANI displicet PETRO Baelio, qui & hocce contra diuinam prouidentiam argumentum ita comparatum esse putat, vt nihil solidi ad illud ratio respondere queat. Nec vacare culpa Deum contendit, si dicatur, permittere eum, improbos in altum tolli, *vt lapsu grauiori ruant.* Perinde hoc esse, ac si ipse grauiorem illorum ruinam quaerat, quod cum bonitate eius consistere nequeat; in *voc. Rufin. pag. 2623. & seqq.* Qua de re quid sentiendum sit, in sequentibus suo loco exponemus. Coueniunt fere cum ultimo hocce argumento illorum sermones, qui nunquam non *fortunam* in ore habent, aut de eius iniustitia ac crudelitate conquerruntur; qui aut ipsi, quid dicant, nesciunt, aut diuinam reiiciunt prouidentiam, ac si cuncta

CVM ATHEISMO CONIUNCTA SVNT. 251
cuncta coeco impetu in mundo ferrentur.
Legi merentur, quae hac de re PLINIVS ha-
bet, *hiflor. natural. lib. II. cap. VII.* Argu-
mentum Epicuri a beatitudine Dei defum-
tum, ac fi rerum omnium cura cum ea
confistere nequeat, ideo praetermifi, quod
dignum neutiquam fit, vt in cenfum ve-
niat.

§. II.

Alterum inter haecce dogmata lo-
cum illorum fibi vindicat error, qui, ani-
mas hominum mortales effe, & vna cum
corpore interire, fibi perfuadent. Qui
Deum effe negat, vix a fe impetrabit, vt
credat, animam hominis effe immorta-
lem. Fieri equidem potest, vt, qui ani-
mam hominis mortalem credit, non fla-
tim, Deum effe, neget; fimul tamen fa-
tendum, quod eiusmodi homo praeci-
puum religionis cultusque diuini funda-
mentum tollat, penitusque euertat; qui
proximus ad atheismum gradus eft.*

* Atheum vix dari, qui animam hominis im-
mortalem effe, credat, non temere quis du-
bitauerit. Lucem tamen hic dabunt, quae
in fequentibus disputabimus, an & quous-
que

que athei spiritus finitos admittere queant? Eum rursus, qui animae immortalitatem negat, non statim directe negare existentiam Numinis, in confesso est; non minus tamen, & illud certum, eiusmodi hominem praecipuum religionis cultusque diuini fundamentum euertere. Qui enim animae immortalitatem negat, praemia virtutum, & poenas peccatorum post hanc vitam tollit, quibus tamen vel maxime ad Deum colendum homines induci solent. Fieri equidem potest, vt, qui animam mortalem credit, intuitu praemiorum in hacce vita obtinendorum Deum colat; quod exemplo Sadducaeorum videtur comprobari posse, de quorum religione ad §. *praeced.* diximus: sed ad veram religionem cultumque Numinis hoc non sufficere, res ipsa docet, nec diffitetur PETRVS BAEIVS, hac de re disputans, *dictionar. histor. crit. voc. Sadduceens*, pag. 2639. Sane, si quis cum Arabicis, seculi tertii haeticis, animas hominum mortales asserat, sed cum corpore aliquando resuscitandas, quem errorem nostra aetate nonnulli, vt WILHELMVS COWARDVS, medicus Londinensis, itemque auctor anonymus, in schediasmate, lingua germanica edito, vt deinceps dicemus, resuscitarunt, is poenis & praemiis post hanc vitam locum relinquere videtur, sed in hanc quidem pau-

paucissimi ex iis, qui animae immortalitatem negant, ingredientur sententiam, quae & insuper inepta prorsus est, & omni fundamento destituta, vt pluribus a me demonstratum, in *programme de Arabiorum haeresi*, quod extat in *syntagmate dissertation. academicar. pag. 738. seqq.* Ad rem ipsam quod attinet, Aegyptios primos fuisse, qui animas immortales esse docuerint, auctor est

HERODOTVS: *πρῶτοι δὲ καὶ τὸν δὲ τὸν λόγον Αἰγύπτιοι εἰσὶ, εἰπόντες, ὡς ἀνθρώπων ψυχὴ ἀθανάτος ἔστι.* *Aegyptii primi sunt, qui animam hominis immortalem dicerent, histor. libr. II. cap. CXXIII. pag. 137.*

Chaldaeis contra & Indorum magis huncce honorem vindicat PAUSANIAS: *Εγὼ δὲ Χαλδαίους καὶ Ἰνδῶν μάγους πρῶτους οἶδα εἰπόντας, ὡς ἀθανάτος ἔστιν ἀνθρώπων ψυχὴ.* *Ego Chaldaeos & Indorum magos primos scio dixisse, immortalem esse hominum mentem; in Messeniac. pag. 277.*

Sed Ebraeis potius hanc tribuendam gloriam, certiora ex scriptura sacra edocti, nouimus, qui hocce dogma cum aliis doctrinae coelestis capitibus, a maioribus suis, patriarchis, acceperant. Atque id recte obseruatum EVSEBIO, qui, Mosen primum fuisse, contendit, qui animam hominis immortalem (secundum doctrinam patriarcharum) statuit, siquidem docuit, hominem ad Dei imaginem conditum, *praepar.*

euangel.

euangel. lib. XI. cap. XXVII. Corrupta deinceps in hacce gente ista doctrina fuit, dum Sadducaei animae immortalitatem negarunt, Pharisei autem receptam valde per totum fere orientem doctrinam de *μετεμψύχωση* assumerunt, vt auctor est FLAVIVS IOSEPHVS, de *bello iud. lib. II. c. VII.* & a me iam obseruatum, *introd. ad histor. philos. Ebr. p. 65. conf. BASNAGE, histor. des Iuifs tom. I. libr. II. c. VII.* Sed, ad Aegyptios vt redeamus, illi animae immortalitatem ita asseruerunt, vt *μετεμψύχωσιν* simul statuerent, huius quidem commenti, quod vt diximus, totum fere orientem peruasit, & a Pythagora quoque receptum ac propagatum fuit, primi auctores rectius dicendi. Corpore namque moriente animam in aliud, quod nascitur, animal continuo migrare, docebant; vbi vero per omnia terrestria, marina, volucra, circumierit, rursus in humanum, quod nascitur, corpus introire: *τὴν ψυχὴν αὐτῆς ἀναλαμβάνει ἐν τριῶν χρόνων ἔτεσι;* circuitum autem hunc ab anima fieri intra tria millia annorum; vt auctor est HERODOTVS, *lib. II. cap. XXIII.* Alii autem, qui arcana philosophiae Aegyptiacae paulo accuratius se introspexisse sibi videntur, hoc eos voluisse contendunt, animam in Deum, seu animam mundi, ex qua orta sit, tandem reuerti, vnde sequitur, animam non prorsus immortalem esse, etsi dissolui nequeat aut destrui. Conuenit hoc

cum

eum ista sententia, quae Aegyptiis itidem a quibusdam tribuitur, nihil perire in vniuerso, sed tantum mutari; quod quam prope a Spinozismo absit, nemo non intelligit. Et hanc, non Aegyptiorum modo, sed Chaldaeorum, immo orientalium fere omnium ad quos Aegyptiorum sententia pertransiit, mentem fuisse, autumant. Non sine omni profecto fundamento, si IAMBlicHI hic standum auctoritate, quippe cuius ex Aegyptiorum mente hoc extat effatum: *ἀπὸ τῆς πρώτης καθόδου ἐπὶ τῷ κατέπεμψεν ὁ θεὸς τὰς ψυχὰς, ἵνα πάλιν εἰς αὐτὸν ἐπανέλθωσιν; a primo descensu propterea demisit Deus animas, ut rursus in ipsum reuertantur; de mysteriis Aegyptior. sect. VIII. cap. VIII.* Sed missis gentibus barbaris, ad Graecos transeamus. Apud hos primum Thaletem Milesium animae immortalitatem asseruisse, iam olim nonnulli tradiderunt. *Ἐνιοὶ δὲ, inquit DIOGENES LAERTIVS, καὶ αὐτὸν πρῶτον εἶπεν Φασιν, ἀθανάτους τὰς ψυχὰς ὡς ἔτι Χοιρίλλου ὁ ποιητής. Sunt, qui illum immortales animas primum dixisse assererent, ex quibus est Choerilus poeta; lib. I. sect. XXIV. pag. 16.* Sed, cum idem Thales principium omnium rerum asseruerit aquam, si animam etiam aqueae naturae esse dixerit, quo pacto eam immortalem esse, statuere potuerit, non satis capio. Eadem difficultas
de

de Ionicis reliquis, qui primam classem constituunt, moueri potest, quippe qui non aliud rerum omnium principium, quam materiam admisisse, a nonnullis perhibentur. Quod si praeter materiam aliud principium efficiens admisserunt, ut alii existimant, forte eandem, quam Aegyptii, de anima fouerunt sententiam. Interim CICERO hanc gloriam Pherecydi Syrio vindicat, primus quod animae immortalitatem docuerit: *Sed quod listeris extet*, ait, *Pherecydes Syrius primus dixit animas hominum esse sempiternas; quaestio. Tuscul. libr. I. num. XXII.* Repetit idem LACTANTIUS, ut simul addat, in eadem sententia fuisse Pythagoram: *in eadem sententia fuit Pythagoras eiusque praeceptor Pherecydes, quem Cicero tradidit primum de aeternitate animarum disputasse.* Sed, cum Pherecydis pariter ac Pythagorae sententia, si primam originem spectes, ab Aegyptiis deriuanda sit, non alia quoque eandem intelligendam ratione, quam qua Aegyptii intellexerunt, nonnulli contendunt. Animam scilicet diuinae essentiae esse partem, quae ut a Deo sit, ita iterum in eius essentiam sit reducenda. Faciunt huc quodammodo, quae THEODORETUS de Pythagorae sententia habet, *de curand. Graecor. affectionib. lib. V. pag. 516.* & GLEMENS Alexandrinus, *stromat. lib. V. pag. 590.* Cum primis vero CICERONIS ille locus *libr. I. de nat.*

nat. deor. pag. 9. quem supra iam ad *cap. I. §. XIX.* recitauimus, huius erroris eum conuincere videtur. Immo sunt, qui, Pythagorae hanc fuisse mentem, existimant; Deum, qui sit anima huius vniuersi, etiam vniuscuiusque hominis animam constituere, per Deum autem nihil aliud, quam aetherem, eum intellexisse. Sed num, hanc Samii senis de Deo sententiam fuisse, clare satis demonstrari queat, dubito. Conferenda, quae *cap. I. §. XIX.* de eo diximus. Si vero haec, quam commemorauimus, mens eius fuit, non posset dici, quod animam prorsus immortalem statuerit, sed destructionis saltem tam diu expertem, donec iterum cum anima mundi vniatur. Qui ex Eleatica secta nihil aliud, quam materiam & inane admittunt, vt Leucippus, Democritus, Epicurus, non possunt non animam materialem, adeoque & mortalem credere. Idque & diserte non tantum docet, sed rationibus variis quoque probare annititur, T. LVCRETIVS CARVS, de *rerum natura libr. III. pag. m. 86. seqq.* Est vero *ὡς ἐν παρῶν* obseruandum, Epicureos existimasse, sententiam de immortalitate animae multum obstare vitae iucunditati, tranquillitatiue, cum eos, qui illam credant, metus de statu animi post hanc vitam semper sollicitos teneat. Qua de re ita canit LVCRETIVS:

R

Et

*Et metus ille foras praeceps Acherontis
 agendus,
 Funditus, humanam qui vitam turbat
 ab imo,
 Omnia suffundens mortis nigrore, neque
 ullam
 Esse voluptatem liquidam, puramque re-
 linquit;*

loc. cit. pag. 74. Atque haec sane vera causa est, cur athei, hominesque impii, tam libenter in hanc sententiam ingrediuntur. Primum autem praecipuumque LVCRETIVS ex eo deducit argumentum, quod anima, (quo nomine etiam animum comprehendit) sit corporea, constetque ex atomis longe tenuioribus, mobilioribusque, non modo quam aqua, verum etiam, quam nebula, aut fumus, quippe cum percellatur rebus, nebula, fumoque tenuioribus (vt puta simulacris, ex quorum per somnum appulsu res eiusmodi cogitemus) ac ideo necesse sit, illam dissipari, quam ista, facilius. Reliqua apud PETRVM GASSENDVM legi possunt, in *syntagm. philosophiae Epicuri part. II. sect. I. cap. I. pag. 29. seqq.* Stoici ab Epicureis in plurimis equidem dissentiebant capitibus, de animae tamen non rectius philosophabantur immortalitate. Sunt equidem, qui, hanc eos asseruisse, autu-
 mant,

mant, vt LACTANTIUS, *diuinar. institut. libr. III. cap. XIX.* Sed, si paulo accuratius in veram & genuinam illorum mentem inquiratur, aliter pronuntiandum videtur. Diversimode namque licet de anima loquerentur, in eo tamen tandem consentiebant, animam, (quo nomine & animum comprehendebant) esse *πνεύμα πυρώδες*, substantiam ex aethere & igne compositam, adeoque materialem. SENECA ita hac de re loquitur: *quid est aliud animus, quam quodammodo se habens spiritus; epist. I.* Vbi caue, ne per spiritum substantiam immaterialem intelligas. Eam Stoicos non intellexisse, TERTULLIANVS nos docet: *Stoicos allego, qui spiritum dicunt animam, pene nobiscum: quia proxima sunt status & spiritus; de anima cap. V.* Sed quid illud sibi vult: *quodammodo se habens?* Certum nimirum spiritum, seu aetheris qualitatem vult indicare, quae in calore consistebat. Vnde clarius Zeno & Posidonius dicebant: *πνεύμα ὑψηλόν εἶναι τὴν ψυχὴν, spiritum calidum esse animam; vid. IVSTVS LIPSIVS, physiol. Stoicor. libr. III. dissertat. IX.* Praeterea animam pro parte quadam Dei, hoc est animae mundi, seu ipsius naturae habebant. Nota sunt illa SENECAE: *Quid est autem, cur non existimes, in eo diuini aliquid consistere, qui Dei pars est? totum hoc, qua*

continemur, & vnum est, & Deus, & socii eius sumus, & membra; epist. XCII. pag. m. 432.

Quodsi autem anima nostra pars est animae huius vniuersi, tam diu saltem separatim subsistit, donec in animam mundi iterum conuertatur. Iam ad Platonem quod attinet, eum animarum credidisse immortalitatem, negari nequit, cum in dialogo, cui titulum fecit, *Φαίδων ἢ περὶ ψυχῆς*, eam variis argumentis adstruat, quanquam simul fateatur, certam demonstrationem in hac vita expectandam non esse, *ὡς μή τις δύναται ἀσφαλτέστερον καὶ ἀκινδυνότερον ὅτι βεβαιότερα ὀχήματα ἢ λόγῳ θεῶν πρὸς ἀποσυστήναι*, nisi detur firmitus securiusque niti diuino aliquo testimonio.

Hinc & passim a CLEMENTE Alexandrino, EVSEBIO, aliisque, ob adstructam animae immortalitatem laudatur. Errores tamen grauissimos huic dogmati adpersit, dum simul animarum *προὔπαρξιν & μεταψύχωσιν* cum Pythagora, atque Aegyptiis, asseruit. Immo dum & ille animae humanae originem ex anima mundi deriuauit, in quam & aliquando reuersura esset, palam est, quod animam absolute immortalem dicere non potuerit. Interim a Stoicorum sententia differt sententia Platonis. Illi enim ipsam Deum pro anima mundi habebant, hic autem per animam mundi aliquid a summo Deo distinctum, intelli-

telligebat. Tres namque statuebat *ἁγιόθεοις*, quarum apud MACROBIUM haec sunt nomina: 1) *Deus summus*, 2) *mens ex Deo nata*, & 3) *mundi anima, quae animarum omnium fons est*; in *Somn. Scip. lib. I. cap. VI. p. 32.* Et hoc sensu anima humana, ex mente Platonis, ceu particula essentiae diuinae ex Deo originem trahere; & in eum reuer- ti, dici potest; quod vt cum eius immorta- litate in sensu genuino & orthodoxo non conuenit, ita inter fundamenta enthusiasmi non vltimum locum tenet. Legenda, quae de fonte animarum differit IAC. THOMASIVS, de *exust. mundi Stoica, dissert. XXI. pag. 229. seqq.* Tandem ad Aristotelem accedimus, qui cum & alias tenebricosus sit, & sua se caligine inuoluat, de anima ita data opera lo- cutus videtur, ne quisquam mentem eius sententiamque intelligere posset. Hinc mirum in modum inter veteres pariter ac recentiores disceptatum fuit, an Aristoteles, animam hominis immortalem esse, credi- derit? Nos missis reliquis, quae hac de re dici poterant, id saltem obseruamus, se- culo post Christum natum duodecimo ex peripatetica disciplina prodiisse AVERROEM, gente Arabem, sed in Hispania natum, quera Aristotelis ita introspexisse sententiam non- nulli crediderunt, vt eius animam Aristote- lis animam esse dicerent. Hic autem

R 3

vna

vnam numero mentem seu vnum intel-
 lectum, non per singulos diuisum, sed com-
 munem omnibus inesse statuit; eundemque
 esse incorruptibilem; at animam, quae sin-
 gulis inest, adeoque multiplicetur, mortalem
 esse atque corruptioni obnoxiam. Quan-
 tumuis autem impia pariter ac inepta sit
 haec sententia, tanta tamen olim Auerrois
 fuit auctoritas, vt plurimi viri docti in eam
 ingrederentur, praesertim in Italia, adeo vt
 Leo X pontifex, bulla, XIX die Decembr.
 ANNO M D XIII data, eam condemnare con-
 sultum duxerit. Interim illi, qui in peripa-
 tetica philosophia vel maxime versati sunt,
 Auerrois haecenus adprobarunt sententiam,
 vt contenderent, ex mente Aristotelis dici
 non posse, animam esse immortalem. In-
 ter hos haud vltimus fuit PETRVS POMPO-
 NATIVS, de quo fufe supra egimus, cap. I. §.
 XXIV. conf. PETRVS BAELIVS, in *diction. hist.
 crit. voc. Auerrhoes*, pag. 414. seqq. it. in *voc.
 Spinoza*, pag. 2780. Et sane, ne quid diffi-
 citear, non errant meo iudicio, qui, Auer-
 roem mentem Aristotelis recte assecutum,
 contendunt. Constat enim, Stagiritam
 discrimen inter $\nu\delta\nu$ & $\psi\upsilon\chi\eta\nu$ constituisse, &
 quod ad $\nu\delta\nu$ attinet, notissima sunt eius
 verba: $\Delta\epsilon\acute{\iota}\pi\epsilon\tau\alpha\iota$, $\tau\acute{\omicron}\nu\ \nu\delta\nu\ \gamma\acute{\upsilon}\gamma\gamma\eta\nu\ \delta\mu\alpha\sigma\acute{\iota}\nu\alpha\iota$,
 $\kappa\alpha\iota\ \theta\epsilon\acute{\iota}\omicron\nu\ \epsilon\acute{\iota}\nu\alpha\iota\ \mu\acute{\omicron}\nu\omicron\nu$. Restat, vt mens sola
 extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit.

Acce-

Accedit, quod haec sententia cum toto Aristotelis systemate egregie conueniat. Cum enim singulis orbibus intelligentias praeficeret, non minus & inferiori huic orbi vna praeficienda erat, quae simul in omnibus hominibus intellectus, seu mentis, officio fungi poterat. Inter veteres Aristotelis sectatores itidem nonnulli fuerunt, qui diserte animae immortalitatem negarunt. Sed vnicum saltem placet commemorare, DICAEARCHVM, qui, vt TULLIVS auctor est, *acerime contra hanc immortalitatem disseruit. Is enim, ita pergit, tres libros scripsit, qui Lesbiaci vocantur, quod Mitylenis sermo habetur, in quibus vult efficere, animos esse mortales; quaestio. Tusculan. lib. I. cap. XXXI.* Sententiam eius antea plenius ita expresse- rat: *nihil esse omnino, animum, & hoc esse totum nomen inane, frustraue & animalia & animantes adpellari, neque in homine inesse animum, vel animam, nec in bestia. Vique omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus viuis aequaliter esse fusam, nec separabilem a corpore esse; quippe quae nulla sit, nec sit quicquam, nisi corpus vnum & simplex, ita figuratum, vt temperatione naturae vigeat, & sentiat; cap. X.* Quam quidem philosophi huius sententiam diligenter sub examen reuocat

PETRVS BAEIVS, *dictionar. histor. crit. vos. Diccarque pag. 1048. seqq.* Inter recentiores RENATVS CARTESIVS, etsi errores quosdam in doctrina de anima admiserit, discrimen tamen maximum inter corpus & spiritum luculenter ostendendo, fundamenta solida immaterialitatem & immortalitatem animae demonstrandi, suppeditauit. BENEDICTVS CONTRA DE SPINOZA, cum vnicam saltem admittat substantiam, non potest non animam pro materiali, adeoque mortali, habere. Si enim eam spiritum materiae prorsus expertem esse crederet, non posset non substantias diuersas admittere. Interim veterator turpissimus, se animae immortalitatem credere, vult videri. Immo in *appendice ad principia Cartesii more geometrico demonstrata part. II. cap. XII. pag. 35.* ex principiis, vt putat, euentissimis demonstrat, mentem hominis non posse non esse immortalem. Sed cuncta eo redeunt, in quantum nulla pars seu adfectio naturae, quam Deum vocat, potest annihilari, etiam anima annihilari nequit; interim cum animae subsistentiam peculiarem non concedat, corpore destructo, non potest non modificatio, quae animam constituebat, desinere, adeoque in prima principia, seu naturam huius vniuersi resolui. IOANNES TO-

LAN-

LANDVS, Spinozae strenuus sectator, de animae non aliter, quam magister, immortalitate sentire poterat. Immo hanc suam de eius mortalitate sententiam ne dissimulat quidem, sed in secunda epistola, ad Borussiae reginam scripta, aperte proficitur, asserens, *opinionem de immortali nostrae animae natura primo fluxisse ab Aegyptiis ad Persas, deinde ad Graecos, & a Graecis ad Romanos ceterasque gentes Europaeas: ipsos vero Aegyptios hanc opinionem hausisse, ex nimio & superstitioso mortuorum cultu; vid. IACOB. FAYVS, in defensione religionis &c. part. I. cap. XXIV. pag. 133. 134. THOMAS HOBBSIVS cum substantias incorporeas diserte neget, Leuiatb. cap. IV. immo corpus & substantiam vnum idemque significare, contendat, ib. cap. XXXIV. vti iam cap. I. §. XXVII. obseruauimus, quae de anima eiusque immortalitate sententia ipsius fuerit, nemini obscurum esse potest. Eodem redit sententia W. COWARDI, Medici Londinensis percelebris; quippe qui cum itidem supponat, nullam dari substantiam immaterialem, animam quod attinet, doctrinam de ea inter omnes christianos hodie receptam, quod sit substantia immaterialis corpori vnita, a paganis fuisse confictam, nec principiis philosophiae, rationis, religionis, consonam esse,*

esse, audacter pronuntiat, atque euincere connititur; iuxta scripturam vero animam nihil aliud, quam vitam hominis, hoc est, vnam eandemque virtutem, qua homo mouetur, viuit, sentit, ratiocinatur, quaeque in corpore reperitur, quam diu viuit, cesset vero prorsus, quamprimum illud interit, rursus tamen in vniuersali corporum resurrectione extitura sit, esse contendit. Hanc sententiam COWARDVS variis in scriptis non tantum proponere, sed contra aduersarios, quos nactus est, acriter defendere annisus est, uti in *actis eruditor. Lips. anno MDCCVII mens. Aug. p. 352. seqq.* indicatur. Conuenit prorsus sententia auctoris anonymi, in schediasmate, lingua germanica scripto, & sub titulo: *Zweyer guter Freunde vertrauter Brief-Wechsel vom Wesen der Seelen*, edito, proposita, cuius iam antea mentionem fecimus. Nimirum homines sibi fingit anima destitutos; quod nos animam vocamus, pro facultatibus saltem ex mechanismo resultantibus habet, Aristotelicorum *ἐντελέχειαν*, quam PHILIPPVS MELANCHTON ipsam rei *exaedificationem* vocauerit, reuocans, & hinc intelligendi pariter ac volendi, ut vocat, processum explicare allaborat; ut ex instituto a me ostensum, in *programme de Arabicorum haeresi, in syntagmate dissertation. theolog. pag. 742.* Tandem nec DODWEL-

LVS hic est praetermittendus, vir ceteroquin eruditissimus, qui, animam itidem per naturam suam mortalem esse, statuit, sed immortalitatem tamen aut ex libero Dei arbitrio ad poenam, aut ex gratia Dei per baptismum, consequi; simul tamen solis episcopis, quales agnoscit ecclesia anglicana, potestatem, spiritum diuinum immortalitatis auctorem, conferendi, vindicat. Ipse titulus libri, lingua anglicana anno M DCC VI Londini editi, mentem eius plenius indicat: *Discursus epistolaris, probans ex scripturis & patribus primitivae ecclesiae, quod anima sit principium naturaliter mortale, sed immortale reddendum, vel per merum Dei arbitrium, ut puniatur; vel per illius cum diuino spiritu baptismali unionem, ut praemium accipiat, ubi simul ostenditur, neminem post apostolos habere potestatem dandi spiritum diuinum immortalizantem, nisi episcopos.* Summa eius exhibetur in *actis eruditorum Lips. ann. M DCC VII. mens. Maio pag. 207. seqq.* Quae quidem viri docti sententia uti & impia est, reuera animae humanae immortalitatem euertens, & ridicula, ita merito a SAM. CLARCKIO, TH. MILLIO, aliisque, in Anglia fuit confutata. Id me satis capere non posse, fateor, quod animam hominis natura mortalem esse docet, nec tamen eam vult esse materialem; item dissoluto

luto corpore in auram reuerti, nec tamen cum eo perire. Cuncta, quae hactenus, varias philosophorum de animae immortalitate enumerando sententias, diximus, eo pertinent, vt fundamenta erroris impii, deinceps euertenda, eo rectius intelligantur. Haec vero, vt summatim rem omnem complectamur, eo redeunt, I) animam tandem in essentiam Dei aut animam mundi redire, quae est sententia Aegyptiorum, Orientalium, Pythagoraeorum, Platoniorum & Stoicorum; quanquam in eo discrimen aliquod admittendum sit, quod nonnulli eam in essentiam Dei reuerti velint, vt Stoici aliique; alii in animam mundi, quam a Deo supremo distinguunt, eas abite, vt Platonici; II) animam nihil aliud esse, quam corpus subtilissimum, post corporis mortem iterum dissoluendum; quae est sententia Epicuraeorum, omniumque, qui cum illis faciunt; III) vnicum tantum numero omnium hominum esse intellectum, quae est sententia Auerrois, & vt probabile, ipsius Aristotelis, certe quorundam Aristotelicorum; IV) animam denique esse qualitatem quandam, seu virtutem ex materiae dispositione ortam, & cum eius destructione cessantem; quorsum Dicaearchi, W. Cowardi, aliorumque, sententia tendit. Haec vero omnia quam lubrica sint, in sequentibus ostendemus.

§. III.

Sequitur tertium dogma, spirituum siue angelorum bonorum malorumque negata existentia. Certe, qui atheismi sui in eo collocant fundamentum, non alias, praeter corpora, dari substantias, angelos seu spiritus admittere nequeunt. Vnde, qui spirituum eiusmodi existentiam negant, etsi ideo non statim pro atheis habendi sint, eiusmodi quid docent, quod ad atheismum ducit. Sunt equidem, qui putant, atheos quosdam spiritus admittere posse, adeo ut athei esse non desinant, etsi certo quodam sensu spiritus ab anima hominis distinctos statuunt, sed tamen, si rem omnem paulo accuratius consideremus, a receptis & genuinis notionibus recedendo, fucum saltem eos facere imperitioribus deprehendemus. Hinc vero, quo usque spectra, magos, sagas, admittere queant, diiudicandum.

- * Ut atheorum, de spirituum finitorum existentia, & operationibus, opiniones eo rectius intelligantur, diuersa iterum philosophorum
confi-

consideranda sunt systemata. In gente Ebraea veram & genuinam de spiritibus creatis, seu angelis, doctrinam viguisse, scriptura sacra nos dubitare non sinit. Corrupta tamen deinceps apud eos & haec doctrina fuit, Sadducaeis quidem, angelorum ac spirituum omnium existentiam negantibus, vt ex *actor. XXIII. 8.* constat, aliis autem ex eadem gente, de angelorum nominibus, potentate, operationibus, talia comminiscentibus, aut a gentilibus conficta assumentibus, quae ad summam superstitionem, immo & ad magiam ducerent; quorsum & illud pertinet, quod nonnulli ex recentioribus, angelis corpora subtilia tribuunt. Dictum hac de re in *introduc. ad histor. philos. Ebr. pag. 67. 333. 343. seqq.* Aegyptios, Chaldaeos, aliosque gentium orientalium philosophos, spiritus daemonesque credidisse, nemini temere ignotum esse potest. Legenda saltem, quae de Chaldaeis congeffit THOMAS STANLEIVS, in *historia philosophiae orientalis* siue *histor. philos. lib. XIII. sect. II. cap. IX. pag. 1127.* Pythagoras, qui plurima ab Aegyptiis aliisque gentibus barbaris, accepit, totum aërem plenum esse animarum, tradidit, easque & daemones & heroas existimari, atque ab his hominibus immitti somnia, & signa morbi & sanitatis, neque solum hominibus, verum & pecudibus & iumen-

iumentis ; atque ad has referri lustrationes, & expiationes, diuinationemque omnem, & vaticinia & cetera id genus ; vt auctor est **DIOGENES LAERTIVS**, *libr. VIII. sect. XXXII. pag. 514.* Platonicos itidem varia daemonum statuiffe genera, notius est, quam vt a me moneri debeat. Id saltem obseruamus, omnes istos philosophos, qui rerum omnium, speciatim animarum emanationem ex essentia diuina statuebant, sine omni difficultate spiritus finitos, seu daemones, admittere potuiffe. Si enim animae humanae ex essentia Dei, aut anima mundi, emanarunt, cur non & alii spiritus? Plerique tamen, praesertim & Platonici, corpora subtiliora, saltem ceu vehicula, aequae ac animabus hominum, iis tribuebant. Lectu digna sunt, quae hac de re differit **PETRVS GASSENDVS**, *syntagm. philos. Epic. sect. II. cap. VI. pag. 301. seqq.* Ista autem cum Pythagoraeorum ac Platoniorum de spiritibus fuerit sententia, nemo mirabitur, quosdam illorum in magiae suspicionem venisse. Cum vero hypothesis de rerum omnium ex essentia diuina emanatione ad Spinozismum ducere haud immerito credatur, patet ex dictis, posse aliquem eiusmodi hypothesis fouere, qui nihilofecius spiritus seu daemones statuit, etsi vtique non eo sensu, quo nos id facimus. Qui non alias, quam

cor-

corporeas, aut materiales substantias ex veteribus admittebant, non poterant non spirituum & existentiam & operationes negare. Hinc EPICVRVS eos, qui genios sibi apparere commemorant, aut mentiri & fingere, aut melancholicos esse existimabat, talesque, vt aerumnosum corpus ipsis tum suspendat, tum ad extraordinaria deflectat, imaginationem; vid. PETRVS GASSENDVS, *syntagm. philosophiae Epicureae sect. II. cap. VI. pag. m. 295.* De Aristotelis sententia, an spiritus finitos, seu daemones, crediderit, inter viros doctos disputatum fuit. Credidisse, & quidem, quae scripturae sacrae prorsus consentanea sint, de iis docuisse, persuadere lectoribus cupit IOANNES ZEISOLDVS, de *Aristotelis cum scriptura sacra consensu &c. disputat. IV. pag. 107. & seqq.* Et sane intelligentias admisisse Aristotelem, notum est, idque nec aliud quid euincunt loca eius a ZEISOLDO in medium allata. Intelligentias autem suas cum Aristoteles singulis orbibus praefecerit, easque necessario vinculo cum iis colligatas existimauerit, non posse eas eo loco, quo spiritus, angeli, daemones apud nos sunt, haberi, manifestum est. Idque recte etiam obseruatum GERHARDO IOANNI VOSSIO, de *idololatr. gentil. lib. II. cap. XLI.* Commemoratur equidem inter scripta Aristotelis

a PLINIO

CVM ATHEISMO CONIUNCTA SVNT. 273
a PLINIO, *lib. XXX. cap. I.* & DIOGENE LA-
ERTIO, *prooem. sect. I.* liber Μαγικός seu
Μαγικός, dictus. Praeterquam verò, quod
contenta eius, cum non amplius extet, no-
bis ignota sint, ab aliis iam obseruatum,
cum minus recte Aristoteli tribui; vñd. AEG-
GIDIVS MENAGIVS, ad *Diogenis Laërtii l. c.*
Inter recentiores ipse BENEDICTVS DE SPI-
NOZA se statim nobis offert, quem spiritus
finitos seu angelos statuisse, vt non temere
quis, cui doctrina eius perspecta est, credi-
derit, ita etiam haud obscure hoc negat,
quicquid de spectris seu spirituum adparitio-
nibus refertur, in dubium vocans, *epist. LVI.*
LVIII. & LX. Nihilofecius PETRVS BAE-
LIVS, in eam ingreditur sententiam, systema
SPINOZAE sibi non constare, nisi spiritus seu
daemones admittat; immo hosce dum ne-
gavit, ostendisse illum, quod suum ipsemet
non satis intellexerit systema, adeoque, quid
ex principiis a se positis deduci posset,
ignorauerit. Cum enim res omnes creatas
pro modificationibus saltem creatoris, hoc
est, huius vniuersi habeat, fieri aliter non
posse, quam vt cogitatio creatoris non tan-
tum in homine, sed & in multis rebus aliis,
iisque inuisibilibus, fuerit modificata; vnde
sequatur, infinitum esse eiusmodi anima-
lium numerum, quae vt cognitione, ita ma-
litiâ hominem in tantum superent, in quan-
tum

S

tum

tum hic iis canes & boues superat. Et haec etiam ratione explicat, quo pacto iuxta idem systema anima hominis possit esse immortalis; immo quo pacto infernus possit admitti, seu eiusmodi animarum post mortem status, in quo variis cruciatibus sint obnoxiae. Si enim supponantur eiusmodi substantiae inuisibiles, ex modificatione naturae huius vniuersi ortae, quarum magna sit potestas & malitia, fieri aliter vix posse, quam ut aliis eiusdem generis substantiis, quae iis resistere nequeant, mala plurima ab eis & infinitae immincant calamitates. Huc fere redeunt, quae hac de re disserit in *diction. histor. & crit. voc. Spinoza lit. M. & P. pag. 2780. seqq.* Verum valde vereor, ne cuncta tandem in meram illusionem abeant, ut homines sibi persuadeant, Spinozistas posse admittere, animae humanae immortalitatem, angelos, poenas infernales, cum tamen reuera nihil horum admittant, quemadmodum nec Spinoza ipse admisit, ut ipsemet auctor doctissimus fateatur. Hoc vero ut eo euidentius pateat, obseruandum, in systemate Spinozae spiritus proprie sic dictos, hoc est, substantias immateriales locum non inuenire. Corrueret enim statim primum eius principium, vnicam tantum dari substantiam, si substantias diuersi plane generis, materiales &

& immateriales admitteret. Ergo & non aliam, quam materialem homini tribuere potest animam, & si spiritus admittendi, tantum materiales erunt, hoc est, reuera corpora, non spiritus. Eundem in finem & cogitationem eiusmodi affectionem esse statuit, quae vna cum extensione in vno eodemque subiecto esse possit. Neque, quantum ego capio, secundum Spinozae systema dici potest, *cogitationem creatoris* esse modificatam, sed dicendum potius, ipsam substantiam huius vniuersi, cuius duae affectiones sint, cogitatio & extensio, in rebus creatis diuersimode esse modificatam. Quae modificatio vti in homine per ipsum corpus organicum facta est, aut fieri potuit, ita cur alia animae modificatio tribuenda sit, non video; certe ipse Spinoza haud dubio non tribuit. Sane quidem nihil impedit, quo minus in corporibus inuisibilibus idem fiat, nec tamen, quod fieri debeat, sequitur; multo minus, si fiat, spiritus proprie sic dicti inde existent. Vnde & quid de inferno ex mente Spinozae, aut potius PETRI BAEII, censendum sit, patet. Praeterquam enim quod talis infernus lubrico fundamento innititur, longe aliam huic voci aequae ac voci *spiritus*, notionem tribuit; eunctaque saltem ad fucum aliis faciendum videntur esse comparata. Diudi-

canda vero hinc etiam est quaestio, an ex spirituum finitorum existentia probari possit existentia Dei, item an ex eo, quod aliquis neget, dari spiritus finitos, tuto colligere liceat, eum esse atheum. Vtramque negat PETRVS BAEIVS, *loc. cit.* item in *voc. Ruggeri pag. 2628.* Enim vero ad priorem quod attinet, quaestionem, contra eos saltem atheos, qui atheismi sui fundamentum in eo collocant, quod nulli dentur spiritus, seu non aliae praeter materiam & corpora, substantiae, argumentum hocce omnino plurimum valet. Si enim probatum fuerit, dari spiritus creatos, proprie sic dictos, falsa est extra controuersiam propositio contraria: nullas alias praeter corpora, seu res materiales, dari substantias. Militat quoque hocce argumentum contra Spinozam. Si enim dantur spiritus, hoc est substantiae toto genere a substantiis materialibus diuersae, ergo falsum est, vnicam tantum dari substantiam. Ad alteram vero quaestionem quod attinet, sane fieri potest, vt quis Deum esse credat, qui creatorum spirituum existentiam negat: id quod vel Sadducaeorum exemplo constat. Interim tamen, quia eiusmodi homines sine omni causa argumentum istud nobis eripiunt, quo atheismus euerti certa ratione potest, non errabimus, si dicamus, hanc sententiam fauere atheismo, & ad eum ducere.

Vc

Vt vero nunc reliquos etiam, qui spirituum finitorum aut existentiam, aut operationes, in dubium vocarunt, paucis attingam, THOMAM HÖBBESIVM huc itidem referendum esse, satis constat. Certe, cum nullam aliam, quam corpoream substantiam, vt supra cap. I. §. XXVII. ostendimus, statuat, spiritibus, proprie sic dictis, locum concedere nequit. Nec dissimulat illud, sed laudi potius ducit auctor *vitae Hobbesii*, etsi simul addat, insimulatum eum a quibusdam, ac si spectra metueret: *Nec minus falso a quibusdam insimulatus est, tanquam solitudinem fugeret, spectra metuens & phantasmata, vana scultorum terriculamenta, quae philosophiae suae lumine dissipauerat; pag. 106.* Intercedit vero hic iterum PETRVS BAEIIVS, & metuere Hobbesium spectra potuisse, putat, etsi vel maxime fuerit atheus, aut omnino existentiam spirituum negauerit. Nihil enim ob stare, quo minus plurimae dentur substantiae inuisibiles, malignae, quae hominibus male cupiant. Quod si etiam hoc non admittatur, tantam imaginationis vim esse, vt homini, qui spectra non credit, nihiloscius metus aliquis ob spectra incuti queat; *diction. histor. crit. voc. Hobbes, pag. 1574.* Verum de priori quid sentiendum sit, antea exposuimus. Ad posterius quod attinet, pauci erunt, qui credent, dignum tanto philosopho

fuisse, quantus Hobbesius videri voluit, imaginationis potius, quam rationis, (ex ipsius, saltem persuasione) imperio regi. Sed hoc *ως ἐν παράδοξοις*. Praetermittendus vero hic nobis non est BALTHASAR BECKERVS, quo nemo temere maiorem in doctrina de spiritibus, recentiori aetate, strepitum dedit. Edito namque Leowardiae anno M DC XCI belgica lingua libro, cui titulum fecit, *mundus fascinatus*, in id omnes ingenii vires intendit, vt infernalem genium ex hoc mundo relegaret, & ab hominum negotiis procul amoueret; immo vt generatim spiritibus (quorum se non vult videri negare existentiam) vim omnem in corpus agendi, aut similes effectus producendi, abiudicaret. In quem errorem vt notio *spiritus*, quam ex Cartesiana philosophia hausit, qua essentia eius in cogitatione constituitur, eum induxisse videtur, ita maiore studio, incertum, an impudentia, luculentissima scripturae oracula mirum in modum peruertere, & in alienum detorquere sensum, ausus est. In compendio praecipua eius fundamenta, cum eorum refutatione, exhibui, in *elementis philosophiae theoreticae, part. VI. cap. II. pag. 339. seqq.* Extiterunt plurimi, qui Beckerum ex instituto refutarunt, quos inter praecipue commendari solent IOANNES AALSTIVS, & PAVLVS STEENWINCKELIVS, in libro belgico, idio-

idiomate, sub titulo: *zeedige Anmerckingen*, contra Beckerum anno M DC XCH edito. Reliquos, qui contra eum scripserunt, laudat ZACHARIAS GRAPIVS, in *theologia recens controuersa, continuata, cap. II. quaest. IX. pag. 81. seqq.* vbi & illos commemorat, qui post Beckerum spirituum aut existentiam, aut operationes, diuersa quidem ratione, in dubium vocare ausi sunt. Varias etiam auctorum veterum ac recentiorum de spiritibus & eorum operationibus, speciatim de spectris, & magia, sententias, diligenter collectas exhibet CAROL. FRIDER. ROMANVS, in *schediasmate polemico, expendente quaestionem, an dentur spectra, magi & sagae*. Fundamenta praecipua eorum, qui aut existentiam, aut operationes spirituum negant, vti ex haecenus dictis facile intelliguntur, ita huc fere redeunt: non dari alias substantias, praeter materiales: nihil ob stare, quo minus & substantia materialis, seu corpus, cogitet; quod si substantia quidem materiae expers, seu spiritus detur, essentiam eius consistere in cogitatione, adeoque non posse concipi, quo pacto in materiam agat; quicquid de spirituum apparitionibus, spectris, magia, &c. narratur, pro commentis otiosorum hominum, aut anilibus fabulis, esse habendum, &c. Quae omnia in sequentibus sub examen reuocabimus.

§. IV.

Vaticinia seu praedictiones de rebus futuris, iisque mere fortuitis, vt argumentum pro Numinis existentia firmissimum praebent; ita atheis haud immerito fauere creduntur, qui ista aut in dubium vocant, aut causas quasdam naturales, inepte tamen prorsus atque irritato conatu, illis assignare annituntur. Ipsos namque atheos, immo nec eos, qui diuinam prouidentiam negant, vaticinia eiusmodi non admittere, res ipsa docet. *

* Quae de rebus futuris eduntur vaticinia, non sunt eiusdem generis. De iis, quae causarum, ex quibus certi non possunt non effectus consequi, notitia, aut coniecturis quibusdam nituntur, nobis nunc sermo non est. Multo minus de iis, quae fallaces ac superstitiosas artes diuinatorias, aut omnino imposturas hominum, pro fundamento habent. Namque de iis nobis sermo est, quibus euentus reuera respondet, & quae tamen vim mentis humanae prorsus superant. Haec autem iterum duplicis sunt generis. Nannulla namque humanae
mentis

mentis vim equidem superant, sed in spiritus tamen creatos, quorum longe amplior, quam hominum, est cognitio, cadunt; alia autem, de rebus scilicet mere contingentibus, omnium etiam spirituum vim superant, & a solo Deo, cui etiam fortuita quaevis perspecta sunt, proficisci possunt. Posterioris generis vaticinia atheis; prioris, illis etiam recte opponuntur, qui spirituum creatorum existentiam negant. Facile hinc conicere licet, diuersas philosophorum de vaticiniis atque diuinatione fuisse sententias, prouti de ipsa, aut Dei, aut spirituum existentia, ac operationibus, in diuersas partes abierunt. Obseruatum id iam TULLIO fuit, quem hac de re audire iuuabit. *Philosophorum vero, inquit, exquisita quaedam argumenta, cur esset vera diuinatione, collecta sunt, e quibus, vt de antiquissimis loquar, Colophonius Xenophanes, vnus, qui deos esse, diceret, diuinationem funditus sustulit. Reliqui vero omnes praeter Epicurum, balbutientem de natura deorum, diuinationem probauerunt, sed non vno modo. Nam cum Socrates omnesque Socratici, Zenoque, & hi, qui ab eo essent profecti, manerent in antiquorum philosophorum sententia, vetere academia, & Peripateticis consentientibus, cumque huic rei magnam auctoritatem Pythagoras iam ante tribuisset, qui etiam ipse augur vellet esse,*

plurimisque locis grauis auctor Democritus, praesensionem rerum futurarum comprobaret, Dicaearchus Peripateticus, cetera diuinationis genera sustulit, somniorum & furoris reliquit; Cratippusque, familiaris noster, quem ego parem summis Peripateticis iudico, iisdem rebus fidem tribuit, reliqua diuinationis genera reiecit; de diuinatione lib. I. p. m. 1204.

Ex quibus quidem CICERONIS verbis discimus, reliquos philosophos omnes praeter Xenophanem & Epicurum, vaticinia seu praedictiones rerum futurarum credidisse; ita tamen, vt nonnulli omnia praedictionum genera, alii quaedam tantum admitterent. Addendum vero, inter eos, qui praedictiones rerum futurarum admiserunt, nonnullos quidem earum causam ad Deum, seu genios vel daemones, retulisse, vt Pythagoraeos & Platonicos; alios autem vim quandam naturalem futura praedicendi hominibus insitam, asseruisse, quae modo in dormientibus, modo in furore percitis, accedentibus praesertim causis, vim hancce excitantibus, sese exereret, vt Stoicos; immo & Peripateticorum huc redibat sententia; saltem ex causis naturalibus facultatem omnem vaticinandi procedere, sibi persuadebant. Cum primis AMMONIVS hoc variis rationibus probare annisus est, quas refert PLVTARCHVS, de *def. oraculor. tom. II. opp.*

PAG.

pag. 196. ex quo eas repetit, pressiusque urget PETRVS PETITVS, de *Sybillis libr. I. cap. VIII. pag. 30. seqq.* de quo & deinceps erit dicendi locus. De Epicuro quod dixit CICERO, cum praedictiones omnes reiicere, & aliunde etiam constat, & alibi idem confirmat. *Nibil, inquit, tam irridet Epicurus, quam praedictiones verum futurarum; de natura deorum lib. II. pag. 1192.* Et alibi: *Doleo, Stoicos nostros Epicuracis deridendi sui facultatem dedisse; non enim ignoras, quam ista derideant; lib. II. de diuin. p. 1230.* Atque hoc est, quod etiam PLVTARCHVS dicit, Epicuracorum fuisse *χλευασμὸς καὶ γέλωτας, fannas & risus, de orac. def. tom. II. opp. pag. 429.* Facile hinc etiam coniiicere licet, quae Epicuracorum de oraculis, de insomniis, de ostentis, fuerit sententia; de qua tamen, qui plura cupit, PETRVM GASSENDVM adeat, *syntagm. philos. Epicur. sect. II. cap. VI. pag. 297. seqq.* In hisce vero omnibus rite diiudicandis, caute incedendum esse, nemo temere negauerit. Etenim; si vaticinia praedictionesque futurorum, prout apud gentiles se habebant, spectes, multas imposturas, mendacia, figmenta, inanes vanasque persuasiones, intercessisse, nemo dubitauerit. Et haec quidem iure reiiciebant Epicuracii, Stoicosque talia promiscue defendentes, & superstitioni anili patrocinan-

tes,

tes, merito cachinnis excipiebant. In tamen peccabant, quod omnes sine discrimine praedictiones, ceu meras imposturas & figmenta, reiciebant; cum nihil obftet, quominus Deus futura reuelare queat; & apud ethnicos etiam quaedam praedictiones extarent, quae vim & cognitionem humana maiorem omnino indicabant. Quemadmodum autem haecce Epicuraeorum sententia atheismo mirifice fauet, ita tamen nec Stoicorum, aliorumque, qui, naturalem hominibus inesse vaticinandi facultatem, contendebant, villo modo admittenda. Immo haec non minus, quam illa, atheis insignem vsum praebet, cum per eam aequae, ac per priorem, argumentum a vaticiniis desumptum eludere queant. Proxime vero ad eam accedit sententia illorum, qui ad minimum naturalem dispositionem homini ad vaticinandum tribuunt, quam & calculo suo adprobat BENEDICTVS DE SPINOZA. Hominis namque temperamentum non tantum plurimum valere, contendit, ad prophetiam generatim consideratam, sed & pro ratione temperamenti variare prophetias. *Nempe, si propheta, inquit, erat bilaris, ei reuelebantur victoriae, pax, & quae porro homines ad laetitiam mouent, tales enim similia saepius imaginari solent. Si contra tristis erat, bella, supplicia, & omnia mala ei reuelabantur.*

Eo

Et sic, prout propheta erat misericors, blandus, iracundus, eatenus magis aptus erat ad has, quam ad illas revelationes; quod exemplis etiam quibusdam, cum primis Elisaci, qui musica ad vaticinandum excitari voluit, II. reg. III. 15. comprobare annitur, in tract. theolog. polit. cap. II. pag. 18. Immo imaginatio apud SPINOZAM in vaticiniis vtramque facit paginam, vt dubitandum non sit, quin vaticinia pro mero imaginationis effectus habuerit. Hinc & eum, qui imaginatione non excellit, ad vaticinandum minime aptum esse, contendit, etsi ceteroquin mortalium sit sapientissimus. Prophetas non fuisse perfectiore mente praeditos, diserte pronuntiat, sed quidem potentia vividius imaginandi, idque scripturae narrationes abunde docere putat. De Salomone enim (ita pergit) constat, eum quidem sapientia, sed non dono prophetico, ceteros excelluisse. Prudentissimi etiam illi, Heman, Darda, Kalchol, prophetae non fuerunt, & contra homines rustici, & extra omnem disciplinam, immo mulierculae etiam, vt Hagar, ancilla Abrahami, dono prophetico fuerunt praeditae. Quod etiam cum experientia & ratione convenit. Nam, qui maxime imaginatione polent, minus apti sunt ad res pure intelligendum &c. loc. cit. pag. 15. Praeluserunt quodammodo hac in re Spinozae nonnulli ex gentis

gentis Ebraeae doctoribus, immo ipse MOSES MAIMONIDES, in *moreb nenochim part. II. cap. XXXIII. XXXVI. & XXXVII.* dispositionem quandam naturalem in homine, ad recipiendum prophetiae donum, requirentes, a quibus tamen non sine ratione dissentit R. IS. ABARBANEL, ad *I. reg. III. fol. 110. col. 4.* Nemo autem maiori conatu, ampliorique eruditionis instructus adparatu hoc egit, quam PETRVS PETITVS, ab AMMONIO equidem aliisque, qui animam per se facultate futura praenoscendi instructam autumant, dissentiens, dispositionem tamen quandam naturalem ad indicationem futurorum, a Deo recipiendam, ei vindicans; de *Sybilla libr. I. cap. IX.* Sententiam eius, itemque AMMONII, vna cum rationibus, quibus vterque suam confirmare annisus est, exhibui, simulque confutavi, in dissertatione: *an naturali homines polleant vaticinandi facultate?* Halae Saxonum anno MDCXCIX habita; vt adeo, plura hac de re addere, operae non ducam esse pretium. Quemadmodum autem Spinoza & reliqui, qui aut naturalem vim vaticinandi, aut saltem dispositionem naturalem ad prophetiam homini tribuunt, Stoicorum & Peripateticorum incrustarunt sententiam, ita ad Epicuraeos rursus accedunt, qui recentiore aetate oracula gentilium, meris sacerdotum fraudibus

dibus ac imposturis tribuenda, censuerunt, daemonis operationibus nullum prorsus locum relinquentes. Haud vltimum inter eos locum tenet ANTONIVS VAN DALE, de *oraculorum ethnicorum origine atque auctoribus*, itemque in dissertatione, de *diminationibus Iudaeorum idololatriis*, aliisque in locis. Huius exemplum secutus est, & vestigia pressit, vir doctissimus FONTENELLIUS, in *historia oraculorum*, gallice conscripta, omnes oraculorum praedictiones pro meris itidem imposturis habens. Vtrumque refutauit Iesuita doctissimus P. BALTVS, dans la *reponse a l'histoire des oracles de Mr. de Fontenelle*, Argentinae M DC CVII. Rectissima illi incedunt via, qui, multas intercessisse sacerdotum fraudes ac imposturas, fatentur; sed tamen quaedam ad daemonem omnino referenda esse, agnoscunt, ut auctor *des remarques sur le decret qui est entre Mr. de Fontenelle & l'auteur de la reponse a l'histoire des oracles*; vid. IOANNIS CLERICI, *biblioth. chois. tom. III. artic. II. pag. 180.* conferenda & quae diximus, in *histor. eccles. vet. restam. period. II. sect. I. ad §. XXXVI. pag. 788.* Ex hactenus dictis fundamenta etiam eorum, qui vaticinia, ceu argumenta, quibus Numinis existentia probari queat, admittere nolunt, facile intelliguntur. Ex parte Epicuraeorum sunt: Deum rerum hu-

mana-

manarum nullam gerere curam; nullos dari spiritus, qui futura hominibus reuelare queant; quicquid de praedictionibus, oraculis, vaticiniis, dicitur, inter aniles fabulas, figmenta, aut imposturas hominum, esse referendum; non posse etiam praedictionem futurorum contingentium conciliari cum libertate hominum, &c. Ex parte Stoicorum, eorumque, qui cum illis faciunt, illud praecipuum est, exempla praestare vaticiniorum, quorum causa cum nec ad Deum, nec ad genium quendam referri queat, nihil amplius superesse, quam vt naturalis vaticinandi facultas hominibus tribuatur.

§. V.

Quod de vaticiniis rerumque fortuitarum praedictionibus diximus, idem & de miraculis nobis asserendum venit. Cum enim non modo christianae religionis - veritas, sed & Numinis existentia valide ex iis demonstrari queat, atheos ea admittere non posse, manifestum est. Vnde simul, quod eorum negatio inter dogmata cum atheismo coniuncta, aut ad eum ducentia, recte referatur, patet. *

* Pe

* Per miraculum, si proprie & accurate loqui velimus, nihil aliud intelligi potest, quam eiusmodi operatio, qua reuera naturae leges, quibus totius huius vniuersi ordo & conseruatio innitur, suspenduntur. Quemadmodum itaque solus Deus, tanquam naturae auctor, istas naturae leges constituit; ita solus etiam eas suspendere, adeoque & solus miracula edere potest. Perinde autem est, siue immediate hoc Deus faciat, siue mediate per alios homines. Moses namque alique prophetae, qui miracula ediderunt, non ex sua potentia, sed ex facultate a Deo illis concessa, hoc fecerunt. Qui ergo miracula admittit, Deum quoque eorum auctorem admittat, necesse est. Sunt equidem, qui, ab angelis etiam miracula edi posse existimant, cum nobis non constet, annon Deus iis potestatem naturae ordinem mutandi, saltem aliquando hoc faciendi, concesserit. Ita praeter alios IOANNES CLERICVS, in *dissert. de miraculis*, tractatui eius de *incredulitate*, addita pag. 366. *seqq.* Cumque vir ille doctus facile videat, atheis hac ratione arma, quibus argumentum, quod pro veritate christiana religionis a miraculis ducitur, eneruare queant, suppeditari, inde vt se expediat, in omnem se versat partem. Verum istis ambagibus nobis opus non est, qui soli Deo facultatem edendi miracula vindicamus. Quantumuis enim spirituum finitorum seu

T

ange

angelorum, tum bonorum, tum malorum, potentia multo maior sit, quam hominum; nobis etiam adeo certo non constet, quibus ea limitibus circumscribatur; id tamen certum, leges, quibus totius naturae ordo innitur, ab iis mutari non posse, quippe quod solius Dei opus est. Per causarum equidem naturalium, & quidem occultarum, combinationem & directionem, efficere aliquid possunt, quod hominibus mirabile videatur; id vero nondum pro miraculo proprie sic dicto, habendum. Si excipias, incertum tamen ita & obscurum manere, quidnam pro miraculo, quid vero pro opere mirabili, quod hominum saltem, non autem angelorum vires superet, sit habendum, ipsa exempla hocce tibi facile eximent dubium. Excitare homines mortuos, iisque vitam reddere; mare diuidere, vt per eius medium homines sicco pede transire queant; solis lunaeque cursum impedire, & quae his sunt similia, ita comparata sunt, vt coecum menteque destitutum esse oporteat, qui, vim ad haec requiri infinitam, non agnoscat. Si porro excipias, potuisse tamen Deum eiusmodi facultatem angelis concedere, aequae ac eam quandoque hominibus concessit, nihil tamen obtines. Tum enim angeli non propria, sed aliena virtute, hoc est Dei, talia perpetrant; adeoque firma manet assertio
 mira-

CUM ATHEISMO CONIUNCTA SVNT. 291
 miracula perpetrare, solius Dei est. Deinde
 probandum erit, Deum hanc facultatem
 angelis aliquando concessisse. Quamdiu dis-
 sentientes hoc firmiter solideque non demon-
 strant, tamdiu credendum, ipsum Deum abs-
 que ministerio angeli miraculum perpetrasse.
 Accedit, quod, si aliquid hac exceptione ob-
 tinere vellent, statuendum illis esse, angelis
 malis etiam hanc facultatem esse concessam.
 Quod cum directe cum bonitate, sapientia,
 & iustitia Dei pugnet, ne dignum quidem
 est, cuius refutationi immoremur. Cum
 ergo positus miraculis non possit non inde
 consequi, Deum existere, athei omnem la-
 pidem mouent, vt probent, nec contigisse
 miracula, nec contingere potuisse. A po-
 steriori vt incipiamus, eo tendunt, quae
 BENEDICTVS DE SPINOZA, hac de re disserit,
 qui in *tractatu theologico-polit. de libertate
 philosophandi cap. VI. pag. 67. seqq.* ex insti-
 tuto de miraculis verba facit. Cuncta au-
 tem ad quatuor reuocat capita: 1) *nihil
 contra naturam contingere, sed ipsam aeter-
 num, fixum & immutabilem ordinem seruare,
 & simul, quid per miraculum intelligendum
 sit;* 2) *Nos ex miraculis nec essentiam, nec
 existentiam, & consequenter nec prouidentiam
 Dei posse cognoscere, sed haec omnia longe
 melius percipi ex fixo, & immutabili naturae
 ordine;* 3) *Ex aliquot scripturae exemplis*

T 2 se

se offensurum, ipsam scripturam per Dei decreta & volitiones, & consequenter per prouidentiam, nihil aliud intelligere, quam ipsum naturae ordinem, qui ex eius aeternis legibus necessario sequitur; 4) denique, de modo miracula scripturae interpretandi, & de iis, quae praecipue circa miraculorum narrationes notari debeant, se acturum. Haec omnia copiosissime edisserit, sed ita, vt cum stultitia summam animi malignitatem luculentissime prodat. Nos id saltem obseruamus, primi capitis, vnde reliqua pendent, demonstrationem eo redire, cum Deus & natura vnum idemque fiat, sequi, si Deus aliquid faceret contra naturae ordinem, facturum eum aliquid contra se ipsum; quod sit *ἀδύνατον*. Qua in demonstratione tamen sophista ineptissimus petitionem principii committit. Hoc enim probandum erat, perperamque supponitur, Deum & naturam vnum idemque esse. PETRVS BAE-LIUS ex ipsis Spinozae principiis hanc eius sententiam refellere annititur, in *ditionar. histor. critic. voc. Spinoza lit. N. pag. 2781.* quae tamen aliis diiudicanda relinquimus. Quemadmodum autem omnia, quae Spinoza hac de re differit, ad fucum saltem incautis faciendum comparata sunt, ita id vel maxime ex definitione miraculi quam tradit, patet. *Ex his itaque, inquit, clarissime sequi-*

sequitur, nomen miraculi non nisi respectu ad hominum opiniones posse intelligi, & nihil aliud significare, quam opus, cuius causam naturalem exemplo alterius rei solitae explicare non possumus, vel saltem ipse non potest, qui miraculum scribit aut narrat. Eiusmodi vero miracula non sunt miracula; adeoque hac definitione iterum nihil aliud homo impius agit, quam ut ostendat, nulla esse miracula. Quae si in sequentibus refutauerimus, corruet etiam sua sponte altera propositio, ex miraculis nec essentiam, nec existentiam, nec prouidentiam diuinam, demonstrari posse. De tertia & quarta propositione nihil addo, cum, quae ad vtriusque demonstrationem in medium adfert, nihil aliud, quam audacissimam impudentissimamque scripturae peruersionem contineant. Et ita illorum commemorauimus sententiam, qui, miracula fieri posse, negant. Altera, atheis itidem fauens, illorum est, qui, miracula facta, inficiantur. His cum scripturae statim auctoritas opponi queat, nihil aliud superest, quam ut ausu impudentissimo eam in dubium uocent; aut illam ita interpretentur, ut quae pro miraculis habentur, ita capiantur, ut nihil in iis, quod contra naturae ordinem fit, deprehendatur. Prius utique atheorum impudentissimi faciunt, ut in se-

294 CAP. III. DE DOGMATIBVS, QVAE
quentibus dicetur. Qui autem paulo cautius
incedere volunt, posterius agunt. Docu-
mento esse possunt, historia euersionis Sodo-
mae, atque Gomorrhae; transitus Israelita-
rum per mare rubrum; solis lunaeque ad
Iosuae preces inhibitus cursus, aliaque, quae
nonnulli ita explicare annituntur, vt nullum
in his omnibus miraculum agnoscas, vt pas-
sim a me in *historia ecclesiastica veteris te-
stamenti* obseruatum. Conferenda & quae
ibi de miraculis in genere, speciatim de mi-
raculis Mosis dixi, ad *period. II. sect. I. §. V.*
pag. 511. seqq.

§. VI.

Idem & de veritate christianae reli-
gionis dicendum, quam impugnare, &
omnibus, quibus possunt, modis vocare
in dubium, proprium atheis, iisque valde
solenne est. Viamque adeo ad atheis-
mum muniunt, qui idem quacunque ra-
tione faciunt, etsi pro atheis haberi no-
lint, aut in naturalistarum referri classem
malint. *

* Cum nullam omnino religionem athei ad-
mittant, cumprimis tamen ad christianam
impugnandam, aut conuictis proscinden-
dam, omnes ingenii neruos intendunt; quod

IVL.

IVL. CAES. VANINI, aliorumque, de quibus *cap. I.* diximus, exemplo comprobari potest. Conspirant hac in re cum atheis naturalistae, nullam, quae reuelatione quadam nitatur, religionem admittentes; adeoque arma atheis; quibus christianam religionem impugnent, suppeditando, viam simul ad atheismum munientes. Exempli loco esse possunt, quae *cap. I. §. XXVII.* de EDUARDO HERBERTO DE CHERBVRI diximus. Sed & Latitudinarii, quos vocant, si modo a naturalistis eos distinguere fas est, & omnes illi, qui nulla in religione christiana agnoscere mysteria volunt, in eandem referendi sunt classem, & in hocce certamine cum atheis paria faciunt. Dixi de eiusmodi hominibus, in *praefatione parergis historico-theologicis praemissa, pag. 55. seqq.* Omnibus autem hisce exemplum praeiuerunt gentiles veteres, christianam religionem non tam impugnantēs, quam conuitiis proscindentes. Quas quidem illorum criminationes iunctim exhibet atque confutat B. CHRISTIANVS KORTHOLTVS, in *pagano obtreffatore*. Praecipua etiam, quae gentilium philosophi, quos inter cum IVLIANO imperatore, agmēducunt CELSVS atque PORPHYRIVS, christianae religioni obiecerunt, attingi, & ita comparata esse ostendi, vt veritatem christianae religionis confirmet potius, in *dissertatione*

de veritate christianae religionis, philosophorum gentilium obrectationibus confirmata, quae extat in syntagmate dissertationum theologicarum pag. 453. seqq. Breuissima autem compendiosissimaque ad veritatem christianae religionis labefactandam atheis plerisque, & qui cum iis faciunt, videtur via, si ipsam scripturae sacrae veritatem, diuinamque auctoritatem, in dubium vocent. Hac de re autem cum in sequentibus plura dicenda sint, vnum illud saltem obseruo, videri eos interdum scripturae testimonium admittere, sed ita istud interpretari, vt fundamenta religionis christianae, quantum in ipsis est, penitus conuellant. Luculentissimum huius rei specimen suppeditat BENEDICTVS DE SPINOZA, homo ex fraudibus & fallaciis totus compositus. Incarnationem enim Christi magnum τῆς εὐσεβείας μυστήριον ita explicat, vt penitus tollat; & ita quoque scripturam sacram, quam hoc ipso admittere videtur, interpretandam censet. Rogatus ab HENRICO OLDENBURGIO, vt de Iesu Christo mundi redemptore, & vnicō hominum mediatore, deque eius incarnatione & satisfactione sententiam suam explicaret, epist. XIX. ipse ita respondet: *Vt de tertio etiam capite mentem meam clarius aperiā, dico, ad salutem non esse omnino necesse, Christum secundum carnem noscere* (ita

(ita homo callidissimus phrasi Paulina, in alienum eam detorquendo sensum, abutitur) *sed de aeterno illo filio Dei, hoc est, Dei aeterna sapientia, quae sese in omnibus rebus, & maxime in mente humana, & omnium maxime in Christo Iesu manifestavit, longe aliter sentiendum. Nam nemo absque hac ad statum beatitudinis potest pervenire, utpote quae sola docet, quid verum & falsum, bonum & malum sit. Et quia, uti dixi, haec sapientia per Iesum Christum maxime manifestata fuit, ideo eius discipuli eandem, quatenus ab ipso ipsis fuit reuelata, praedicauerunt, seseque spiritu illo Christi supra reliquos gloriari posse, ostenderunt. Ceterum, quod quaedam ecclesiae his addunt, quod Deus naturam humanam assumeret, monui expresse, me, quid dicant, nescire; immo, ut verum fatear, non minus absurde mihi loqui videntur, quam si quis mihi diceret, quod circulus naturam quadrati induerit; epist. XXI. pag. 450. Hic aperte incarnationem Christi, seu, quod Deus humanam naturam assumeret, negat, seque nescire fatetur, quid dicant, qui istud asserunt, immo non minus absurdum hoc esse putat, quam si quis dicat, circulum naturam quadrati induisse. Quae autem scriptura de Christo dicit, ἀληθινὸς ἰησοῦς interpretanda censet, de sapientia divina per Christum, seu merum hominem manifestata,*

vt scilicet secundum rationis ductum quis sciat, quid verum, quid falsum, quid bonum, quidue malum sit. Eodem spectant, quae *epist. XXIII. pag. 455.* hac de re in medium profert. *Loca, inquit, euangelii Ioannis & epistolae ad Ebraeos iis, quae dixi, repugnare credis, quia linguarum orientalium phrasēs Europaeis loquendi modis metiris, & quamuis Ioannes suum euangelium graece scripserit, hebraizat tamen. Quicquid sit, an credis, quando scriptura ait, quod Deus in nube sese manifestauerit, aut quod in tabernaculo, vel in templo habitauerit, quod ipse Deus naturam nubis, tabernaculi & templi assumserit? atqui hoc summum est, quod Christus de se ipso dixit, se scilicet templum Dei esse, nimirum, quia, vt in meis praecedentibus dixi, Deus sese maxime in Christo manifestauit, quod Ioannes, vt efficacius exprimeret, dixit, verbum factum esse carnem. Consentiant &, quae in tractatu theologico-politico c.I. p.7. disserit. Non credo, inquit, vllum alium ad tantam perfectionem supra alios peruenisse, praeter Christum; cui Dei placita, quae homines ad salutem ducant, sine verbis, & visionibus, sed immediate reuelata sunt, adeo, vt Deus per mentem Christi sese apostolis manifestauerit, vt olim Mosi, mediante voce aërea. Et ideo vox Christi, sicuti illa, quam Moses audiebat, vox Dei vocari potest.*

Et

Et hoc sensu etiam dicere possumus, sapientiam Dei, hoc est sapientiam, quae supra humanam est, naturam humanam in Christo assumisse, & Christum viam salutis fuisse. Nimirum, etsi impostor turpissimus incarnationem *τὸ λόγος* diserte neget, Christumque adeo pro merito homine habeat, qui per praecepta de virtutibus sapientiam Dei hominibus manifestauerit (quod iterum ex mente ipsius est intelligendum) nihilofecius magnifice admodum sentire de Christo, & multum in negotio salutis illi tribuere vult videri. Ita callide caliginem imperitorum animis offundit. Atque hinc, quae eius de *resurrectione Christi*, quae cum eius incarnatione praecipuum christianae religionis fundamentum constituit, sententia fuerit, haud difficulter colligitur, de qua *epist. XXIII. pag. 453.* agit. Nimirum, cum Christus *non senatui, nec Pilato, nec cuiquam infidelium, sed sanctis tantum adparuerit*, colligit inde, resurrectionem eius *spiritualiter*, & ad captum fidelium esse exponendam. Cumque HENRICVS OLDENBURGIUS obiiceret, circumstantias resurrectionis Christi tam luculenter ab euangelistis esse descriptas, vt non possit non litteraliter intelligi, *epist. XXIV. pag. 456.* respondet SPINOZA: *Ceterum passionem, mortem & sepulturam tecum litteraliter accipio, eius autem*

autem resurrectionem allegorice. Fateor quidem, hanc etiam ab euangelistis iis narrari circumstantiis, ut negare non possimus, ipsos euangelistas credidisse, Christi corpus resurrexisse, & ad coelum adscendisse, ut ad Dei dextram sederet, & quod ab infidelibus etiam potuisset videri, si vna in iis locis adfuissent, in quibus ipse Christus discipulis adparuit, in quo tamen salua euangelii doctrina, potuerunt decipi, ut aliis etiam prophetis, contigit, &c. Non tantum itaque aperte resurrectionem Christi negat, sed eo vsque impudentiae progreditur, ut euangelistas, tot eius circumstantias commemorantes, decipi potuisse, contendat. Nos impia haecce deliria suo loco refutabimus: nunc illud saltem obseruamus, iisdem fere rationibus Spinozám Christi resurrectionem impugnare, quibus olim id fecit CELSVS, Epicuraeus, iuratus christiani nominis hostis, ut bene obseruatum B. CHRISTIANO KORTHOLTO, de *tribus impostoribus sect. III. §. XXXI. p. 109.* Pari ratione idem impostor de aliis doctrinae christianae capitibus subinde loquitur, ut, si verba spectes, ea adprobare videatur, sin sensum, ea penitus tollat atque euertat. Sed hoc ei cum naturalistis, Latitudinariis, aliisque rationalistis, quos vocant, fere commune est. Atque hi quidem ut occultius hoc pacto incedunt, fucum ut faciant incautis, ita alii leuato

leuato velamine impietatem produunt, qui aperte & citra ambages christianae religionis dogmata pro commentis meris atque fabulis habent, aut omnino omnes religionum, adeoque & christianae, conditores, in impostorum numerum referunt. Fuerunt nonnulli, qui speciatim ita de Mose sentirent, quos inter & IORDANVM BRVNVM atque NICOLAVM MACHIAVELLVM referendos esse, iam a me obseruatum, in *hisor. eccles. vet. testam. ad period. II. sect. I. §. XI. pag. 533. seqq.* Iungendus his IOANNES TOLANDVS, impietatis palmam nemini temere concedens. Cum enim de legumlatoribus dixisset, eos colloquia cum diis obtentui summis, adeoque fraudibus atque mendaciis auctoritatem legibus suis conciliasse, subiicit: *Ita Delphis Lycurgus ab Apolline, & Minos a Ioue in antro Dictaeo sua omnia didicisse, comminiscabantur, ut homines, nempe diuina auctoritate deuincti, legibus ab ipsis prolatis libentius obedirent. His atque similibus Moysen, Ebraeorum nomotheten assimilare non addubitat Diodorus Siculus; sed in hac Moysis cum aliis comparatione, multo adhuc copiosior est Strabo geographus; adestdaem. pag. 8.* Etsi vero ex mente DIODORI atque STRABONIS hoc dicere videatur, quia tamen hoc

hoc non refellit, sed talia subinde adfert, ex quibus constat, STRABONIS auctoritatem ei pluris esse, quam scripturam sacram; ipsius quoque eandem hanc esse sententiam, prorsus dubitari nequit. Praecipua vero capita, quibus religionis christianae veritas oppugnatur, (si nunc seponas veritatem scripturae sacrae, de qua deinceps) eo fere redeunt; falsa esse, nec vlllo modo admittenda, quae ratio capere nequit; adeoque mysteria quacuis ex religione eliminanda; hinc & scripturam ita interpretandam, ne in ea mysteria, deprehendantur, aut prorsus reiiciendam; religiones omnes, quae reuelatione nituntur, adeoque & Mosaicam pariter, ac christianam, pro hominum callidorum commentis esse habendas; & quae reliqua sunt eiusdem generis.

§. VII.

Tandem & scripturae sacrae lacerare veritatem, diuinamque impugnare auctoritatem, atheorum proprium est. Hac enim labefactata, cetera facile, quae cupiunt, se consequi posse, existimant. Vnde & ea omnia, quae cum diuina scripturae sacrae auctoritate consistere nequeunt, vel eam quacunque demum ratione con-

conuellunt, aut dubiam reddere possunt, inter dogmata ad atheismum ducentia merito a nobis referuntur. *

* Exempla hic atheis atque naturalistis itidem praeiuerunt gentilium philosophi, qui se christianae religionis hostes professi sunt, interque eos speciatim PORPHYRIVS. Ex operis enim, quod contra christianos scripsit, fragmentis, quae hinc inde apud EVSEBIUM, HIERONYMVM, aliosque, occurrunt, colligere licet, id eum praecipue egisse, vt scripturae sacrae auctoritatem penitus subuerteret. Cuius rei specimina, quaedam exhibui, in *dissertat. de christianae religionis veritate, philosophorum gentilium obrectationibus confirmata*, §. IX. in *syntagm. dissertation. theologicar. pag. 489.* Inter recentiores atheos agmen hic iterum ducit BENEDICTVS ille DE SPINOZA, cuius *tractatus theologico-politicus de libertate philosophandi* totus eo comparatus est, vt auctoritatem diuinam scripturae sacrae prosternat, pedibusque conculcet. Prophetiam, futurorumque praedictionem, eum pro mera imaginatione habuisse, iam antea ad §. IV. ex *tractat. theol. polit. cap. II. pag. 15.* obseruauimus. Prophetiae itaque reuera ei fuere homines fanatici, qui multa vana, stolidi, ridicula mente conceperunt; quod luculenter etiam patet

patet ex iis, quae pag. 18. & 19. hac de re differit. Nec rectius de apostolis, immo, quae maxima blasphemia est, de ipso Christo seruatore, sentit. Hunc enim *suas rationes opinionibus & principiis uniuscuiusque accommodasse*, diserte pronuntiat, & exemplis quoque comprobare annititur, l. c. pag. 29. De apostolis vero & euangelistis iam antea ad §. praeced. obseruauimus, quod dixerit, eos in circumstantiis de resurrectione Christi fuisse deceptos. Pertinet huc etiam, quod cap. XI. pag. 139. scribit: *Longas Pauli deductiones & argumentationes, quales in epistola ad Romanos reperiuntur, nullo modo ex reuelatione supernaturali scriptas fuisse, concedo; item: tam modi laquendi, quam differendi, apostolorum in epistolis clarissime indicant, eosdem non ex reuelatione & diuino mandato, sed tantum ex ipsorum naturali iudicio scriptas fuisse, & nihil continere, praeter fraternas monitiones mixtas urbanitate; a qua sane, inquit, prophetica auctoritas plane abhorret.* Immo apostolos christianam religionem diuersis superstruxisse fundamentis, pag. 143. docet, vnde tot contentiones in ecclesia, totue orta sint schismata. Atque ita cum de ipsis scriptoribus sacris sentiat, mirum non est, quod, in sacro codice multa occurrere falsa, fabulosa, ἀσύνετα, & ἀόμωρα, sibi aliisque persua-

persuadere conetur, *cap. IX. X. XV.* Neue quicquam, quod ad auctoritatem eius penitus labefactandam pertinet, praetermisisse videatur, libros, quos hodie in eo habemus, nequaquam a Mose & prophetis, sed multis demum seculis post auctorum, quorum nomina prae se ferunt, mortem, conscriptos esse, contendit, *cap. VIII. seqq.* Quae THOMAE HOBBSII de scriptura sacra, & diuina eius auctoritate, fuerit sententia, iam supra dictum ad *cap. I. §. XXVII.* Paria cum utroque, & Spinoza & Hobbesio, facit lepidissimus praeadamitarum conditor, ISAACVS PEYRERIVS. Fabulae enim suae praeadamiticae ut speciem quandam conciliaret, & eo facilius, quae ei obstant, remoueret, scripturae eleuare auctoritatem nullus dubitauit. *Opinio haec, inquit, semper mihi sedit, quam inconcusse & firmiter tento; bibliis sacris contineri, quicquid scire hominibus concessit Deus, vel de origine mundi, vel de historia sacra, vel de prophetiis, vel de mysteriis diuinis, vel de salute nostra. Quae ad salutem nostram vnice spectant, paucis constant. Et in illis tantum curae, tantum diligentiae, & tantum lucis adhibuit spiritus sanctus, quantum captui humano conuenit. Pluribus mandata sunt, quae de aliis tractant. Et de illis aperiam, quod omnes sentiunt, quodque plerique missant dicere; TANTA*

V

scilicet

scilicet, *INCVRIA, ET CALIGINE TANTA SCRIPTA FVISSE, VT NIHIL PLERVMQVE INTRICATIVS, NIHIL OBSCVRIVS LEGI POSSIT.* Quae profani hominis assertio, vt impia profus est, & tantum non blasphema, ita non melior est ratio, qua eam confirmare annitur; *systemat. praeadam. part. I. libr. IV. cap. I. pag. 274.* Progreditur deinde vterius, & aequae ac Spinoza, & Hobbefius, libros scripturae sacrae ab auctoribus, quibus hodie tribuuntur, scriptos esse negat. *At enim vero, inquit, quis asserere audeat, diuinorum auctorum autographa ipsa, perplexe quamuis & aenigmatice ab illis scripta, ad nos eadem transmissa, qualia dictante Deo ipso voluminibus sacris commissa sunt? loc. cit. Speciatim vero pag. 173.* de libris Moſis diſerte negat, eos pro ipsius Moſis apographo habendos, idque variis rationibus probare annitur. Iungendus denique his est RICHARDVS SIMON, qui, dum Spinozam se refutare contendit, commento profus inficeto de scribis publicis, ex quorum commentariis libri sacri compilati ſint, aliisque eiusdem generis assertis, in *hiflor. crit. vet. testam. lib. I. cap. II. & V.* alibique, obuiis, id effecit, vt in diuinam ſcripturae sacrae auctoritatem non minus, quam Spinoza ipse, iniurius ſuisse videatur; quod pariter & de illis dicendum,

CUM ATHEISMO CONIUNCTA SVNT. 307
 cendum, qui sub nomine *theologorum*
quorundam Hollandiae, eum refutare ag-
 gressi sunt. Sed de hisce, vt & reliquis,
 quorum hypotheses cum diuina scriptu-
 rae sacrae auctoritate non satis conue-
 niunt, alibi commodior erit dicendi lo-
 cus. Praecipua autem, quibus scripturae
 sacrae impugnatur auctoritas, fundamenta
 eo redeunt, multa in ea occurrere, quae
 aut rectae rationi, aut veritati historicae re-
 pugnent, saepius eam sibi contradicere, aut
 talia referre, quae indigna sint diuina ma-
 iestate, & quae reliqua sunt eiusdem gene-
 ris, ad quae quid respondendum sit, suo
 loco ostendemus.

CAP. IV

DE

ATHEISMI CAUSIS, PROPRIE-
 TATIBVS, ET EFFECTIBVS.

Σύνοψις.

Inter causas athe-
 ismi internas,
 praeter naturalem
 corruptionem, prae-
 cipua est ambitio
 §. I.

Accedunt externae variae, praua educatio, conuersatio, impiorum librorum lectio, & aliae, §. II.

A causis atheismi discernendae sunt occasiones, ut: vita christianorum doctrinae illorum non respondens, sectarum multitudo, certaminum theologorum excessus, & aliae, §. III.

Proprietates atheismi: stultitia, scilicet &

irrationabilitas, aliorum vilipendiam, externa virtutis species &c. item, de characteribus atheorum quaedam, §. IV.

Effectus atheismi: summa atheorum miseria, difficultas inde eluctandi, damna plurima in alios, ipsam etiam rempublicam, quae sine religione consistere nequit, redundantia, §. V.

§. I.

Prima praecipuaque atheismi causa in ipso homine est quaerenda, naturalis scilicet, omnibusque per labem originalem connata ad praua quaeuis inclinatio, & a Deo, ceu iudice supremo, auersio.* Haec autem cum diuersimode per varia sese exerat vitia, cum primis tamen, si ambitio accedat, facile tandem ad impietatem

tatem supremam, atque atheismum, hominem perducere potest. **

* Communem hunc ut omnis mali, ita & atheismi, fontem, primamque scaturiginem esse, nemo, apud quem vlla sacrarum litterarum est auctoritas, dubitauerit. Idque ipse rex sanctissimus Dauid nos condocet, *psalm. XIV.* Cum enim *vers. 1.* dixisset, *stultus dicit in corde suo, non est Deus*; statim *vers. 3.* de naturali hac omnium hominum corruptione loquitur; quae verba & Paulus repetit, *Rom. III. 12.* conf. & *Gen. VI. 5.* Ex naturali autem hac corruptione, cum, accedentibus & aliis causis, duplex hominum status oriatur, *securitatis & seruitutis*, qui in illo constituti sunt, ad *atheismum*, in hoc autem, ad *superstitionem* proni sunt. Conferenda, quae hac de re dixi, in *instit. theol. moral. part. I. cap. I. §. XVI. seqq.*

** Homines ambitioni deditos prae reliquis facile in atheismum praecipites ruere, itidem iam obseruatum est in *instit. theol. moral. part. I. cap. I. sect. V. §. LX. pag. 163. 164.* Nimirum admodum sibi placent, si sententias singulares, quibus a vulgo eruditorum distinguantur, foueant, aut si soli sibi sapere videantur, reliquosque homines pro stupidis, simplicibus, veta sapientia & eruditione destituti habeant. Hunc atheorum

characterem esse, BENEDICTI DE SPINOZA, & aliorumque, exempla testantur. Intelligendum autem hoc praecipue de atheismo theoretico, eoque philosophico. Ad practicum enim, & rudiorem hominum plebeiorum, quod attinet, ad eum illos quoque, qui voluptatibus dediti sunt, si aliae causae accedant, facile progredi, negari nequit.

§. II.

Ad internam hancce animi dispositionem, causae variae externae subinde accedunt, utque tandem in istam impietatem erumpat, efficiunt. Huc pertinet prava educatio, * conversatio cum hominibus improbis, ** librorum ad atheismum ducentium lectio, *** incauta aut praepostera studiorum tractatio. * Nec praetermittendus hic divinae veritatis neglectus, aut vilipendium, dum nonnulli convictionem, quae inde oritur, non curant, sed respuunt, multo minus ad vitam recte instituendam ea utuntur, in sensum hinc reprobum, iusto Dei iudicio dandi. **

* Ad atheismum rudiorem hominum plebeiorum, qui cum ignorantia supina plerumque

que coniunctus est, multum confert praua educatio, si tenera aetas solida, aut saltem sufficienti, rerum diuinarum notitia non imbuatur. Sed & philosophicus atheismus hinc originem ac incrementum accipit, si externae tantum honestatis ac eruditionis, non autem verae pietatis, in liberorum educatione habeatur ratio; sique, quod solenne admodum est, ad ambitionem, viriumque ingenii ostentationem, rationisque adeo abusum, quouis modo excitentur.

** Quanta conuersationis in corrumpeendis moribus, & intellectu quoque variis erroribus imbuendo, vis sit, & efficacia, neminem fugit, & Paulus quoque apostolus testatur, quando, *corrumpunt*, inquit, *bonos mores colloquia praua*, I. Corinth. XV. 33. conf. & *psalm. I. 1.* & quae dixi in *instit. theol. mor. part. I. cap. I. sect. IV. ad §. LXXIX. pag. 180.* add. THEOPHILVS SPIZELIUS, *scrutin. atheismi histor. aetiolog. scrutin. III. §. XV. pag. 61. seqq.*

*** Qui noxia continent libri, eo plerumque auidius leguntur, quo magis ob raritatem, vel quia damnati ac proscripti sunt, hominum curiositatem excitant, vel eorum cupiditatibus blandiuntur. Quo auidius autem leguntur, eo facilius, quae in iis occurrunt, admittuntur, eoque intimius animo impri-

muntur, sed & eo grauius inde damnum oritur; conf. THEOPHILVS SPIZELIUS, *loc. cit.* S. XIV. pag. 55. seqq.

Litterarum studia, si caute & sobrie tractentur, ad veram religionem promouendam, & contra atheorum insultus defendendam, plurimum conferunt. Sed si quis inconsulto in ea feratur impetu, inque iis tractandis prauae potius cupiditatis ductum, quam rectae rationis legem sequatur, animum facile ad impietatem ac atheismum prouum inde referet; efficietque, vt, quae felicem eum atque beatum reddere poterant, ipsius quidem culpa, in occasionem miseriae summae atque calamitatis cedant. Idque diuersa omnino, pro partium, quibus eruditionis humanae circulus absoluitur, diuersitate, fieri potest ratione. Qui *litteris* quas *humaniores* vocant, se totos dedunt, ethnicorum scriptorum subinde ita capiuntur lectione, vt scripturam sacram plane negligant, aut in minimis ponant, indeque illorum mens ita corrumpitur, vt illis *lyra Dauidica sordeat, prae lyra Horatiana*. Ab elegantioribus litteris si ad philosophiam transeamus, ipsa statim se offert *logica*, quae vt pro instrumento veritatis, solidaeque eruditionis, recte habetur, ita dubitari posset, an & haec atheorum impietati aliquando infer-

inferuiat, nisi & hoc experientia doceret. Doctrina de praeiudicatis opinionibus ex animo eiciendis, haud vltimum inter reliquas tenet locum, & salutaris maxime est, immo ad veritatem inueniendam prorsus necessaria. Sed si quis christianae religionis scita, principiaque eidem confirmandae inferuentia, pro opinionibus praeiudicatis habeat, & tum demum recte se philosophari credat, si ista animo eiecerit, in atheorum praecipiti lapsu laqueos incidet, priusquam ipse hoc animaduertat. Ipsam de *vniversalibus* doctrinam, scholasticis quibusdam, speciatim Scotistis, argumentum atheismi praebuisse, supra ad *cap. I. §. XXIII.* obseruauimus. Ex *metaphysica* minus recte intellecta, atheos arma desumere posse, quibus impietati suae speciem concilient, vel ipsius Spinozae neminem dubitare sine exemplum. *Ethica* enim eius *geometrica methodo demonstrata*, metaphysicis speculationibus de *substantia* & eius *attributis*, tota scatet. Idem & de *physica*, seu rerum naturalium scientia, est obseruandum. Quantumuis enim haec argumenta longe pulcherrima, ad coercendam atheorum stultitiam suppeditet, fieri tamen potest, vt, si quis proximarum causarum considerationi nimis indulgeat, & cuncta per eas ita explicare annitatur, ne prima illa necessaria esse

esse videatur, praecipiti tandem gradu in atheismum ruat. Observatum id tum aliis, tum & THEOPHILO SPIZELIO, in *scrutinio atheismi scrutin. III. §. XXV. pag. 108. seqq.* item in *radice atheismi pag. 49. 50.* Nec *moralis. civilisque doctrina* hic praetermittenda. Qui ita de homine philosophantur, ut cum Spinoza omnem ei libertatem adimant, & ἀδιαφοροῦσιν, itemque ἀνυπόθετον ultra, quam par est, extendant; qui cum eodem Spinoza atque Hobbesio, non alias, quam humanas, seu civiles, leges admittunt; qui cum Machiauello ad principum cuncta utilitatem referunt, & ipsam religionem in dominandi instrumentum conuertunt, non possunt non in atheorum tandem castra transire. Possem insuper exempla varia illorum adferre, qui ex incauta philosophiae, singularumque eius partium, aut litterarum bonarum tractatione, in impietatem qua vitam moresque, aut omnino atheismum prolapsi sunt. Ea vero haud quaquam ignota sunt; immo quotidie se quaedam nobis offerunt, pertinentque huc, quae de Petro Aretino, Francisco Poggio, Angelo Politiano, aliisque *cap. I. §. XXIV.* & alibi diximus. Iungenda &, quae ex instituto hac de re commentatus est vir doctissimus, BVR-CARD GOTTHELF STRVVIVS in proluione academica, cui titulus: *doctus, atheus, an-*

no

no M DCC VII edita. Non sane ipsius philosophiae, sicut nec litterarum, quae ab humanitate nomen acceperunt, hoc vitium est, ut nonnulli praepostero zelo abrepti existimant, sed hominum litteris istis & philosophia abutentium, nec caute satis, ut decebat, in iis versantium. Enim vero, ut res quaeris optimae & innocentissimae in illorum, qui iis abutuntur, perniciem quandoque cedunt, ut tamen ideo utilitati ac praestantiae illarum nihil decedat, ita & bonis litteris atque philosophiae suum manet decus, laus sua integra & illibata constat, etsi vel maxime a quibusdam per improbitatem, aut imprudentiam, in atheismi aut occasionem, aut argumentum, vel defensionem, arripiantur. Quod vero isti inde sua culpa damnum accipiunt, alios commonefacere debet, ut caute in hisce tractandis studiis versari discant, nec cum eruditione sapientiam, cuius initium est timor Domini, coniungere intermittant.

** Nimirum diuinarum veritatum ad hominum salutem comparatarum haec est ratio, ut non tantum sciri, sed ad vitae quoque praxin transferri debeant, ut ipse seruator docet. *Ioan. XIII. 17.* Hoc si homines intermittant, cognitio ista illis non tantum nihil prodest, sed facile etiam contingit, ut
 ex

ex iusto Dei iudicio, veritate amissa, in errores grauiſſimos, ipsumque atheismum praecipites ruant, vt gentilium exemplo luculentissime docet Paulus apostolus *Rom. I. vers. 18. 19. 20.* Dum vero cognitio ista Dei rerumque diuinarum, flectendo voluntatem ad obsequium, vim suam & efficaciam exerit, *αἰσθησις* illa, Paulo commemorata *Phil. I. v. 9.* inde oritur atque *experientia*, quae & *gustus* nomine in scriptura sacra venit, *I. Petr. II. 3. Ebr. VI. 4. 5.* Ista vero *αἰσθησις* seu experientia, non est absque cognitione praecedenti (hoc enim plane absolum esset,) sed ex ipsa cognitione oritur, vel cum ea coniuncta est, si rite ad praxim deducatur, nec veritatem in iniustitia homines detineant, vt Paulus loquitur, *Rom. I. 18.* Atque ita intelligenda sunt, quae hac de re scripsi in *elementis philos. theoret. part. VI. cap. III. §. III.* De notitia enim Dei insita, dum §. II. verba feci, haec porro subieci: *est in mente nostra intima quaedam facultas, qua percipimus & velut gustamus, quae bona sunt. Per eam perceptionem quilibet homo, si modo serio ad se attendat, ita conuincitur, vt licet certissime persuasus sit, ea se videre, quae videt, audire quae audit, intelligere, quae intelligit, longe tamen certior esse possit, se percipere & sentire occultam entis summe boni, summeque perfecti operationem.*

nem. Ex quibus verbis ne quis sensum a mente mea alienum eruat, 1) quidem obseruari velim, me per istam perceptionem nihil aliud intelligere, quam *αἰσθησις*, vt scriptura sacra vocat, seu experientiam, quae oritur, cum cognitio veritatis ad praxin vitae deducitur; 2) nec istam me perceptionem seu experientiam a cognitione separare, multo minus asserere, ac si absque sufficienti cognitione esse possit, sed hoc saltem volo, si cognitio Dei, tum insita, tum acquisita recte se habeat, & ad vitae praxin deducatur, vt ipsa velut experientia Numinis bonitatem, & potentiam cognoscamus, tum illam perceptionem experimentalem nos itidem longe certissimos hac de re reddere; 3) sed hoc quoque addendum, me ipsam cognitionem Dei, si rite se habeat, longe certissimam esse, fateri, si *αἰσθησις* haec seu experientia non accedat; magis tamen adhuc hominem per *αἰσθησις* seu experientiam hancce, conuinci & confirmari. Atque hoc sane tum contingit, cum cognitio ista, in obedientia seu praxi vitae vim suam exerit; quod vt certa quadam ratione ab ethnicis Paulus requisituit, exprobrans illis, quod *veritatem detinuerint in iniustitia*, ita multo magis in hominibus christianis, reuelationis diuinae lumine collustratis, locum inuenit. Atque huc pertinent,

nent, quae §. IV. hac de re dixi, praesertim, quando ita locutus sum: *Nec tutior ratio omnibus circa existentiam Numinis dubiis, aut se ipsum, aut alios eximendi; est, quam si quis serio animum omnibus vitiis purget, aliosque, qui in se ipsis hanc veritatem percipere cupiunt, purgare doceat, quippe quae sola obstant, quo minus clarissime summum hocce bonum percipiamus.* Sane, qui veritatem in iniustitia detinent, se ipsos magno periculo veritatem iusto Dei iudicio amittendi exponunt, docente apostolo, loco aliquoties iam laudato, *Rom. I. 18.* Ergo iuxta ipsius apostoli doctrinam, tutissima via est, qua periculo huic obuiam ire queamus, si veritati cognitae obsequamur, quo ipso in praxin vitae deducitur, adeoque ipsa experientia percipitur. Qui autem veritati cognitae obsequi cupit, vitia quaeuis fugere, atque animum ab iis purgare debet. Qui enim vitiis indulget, atque peccatis, is sane veritatem in iniustitia detinet, adeoque impedit, quo minus vim suam & efficaciam in flectenda voluntate eius exerat, seque adeo & experientia ista, quae inde sequi poterat, priuat, & periculo, ipsam veritatem, quam cognitam habet, iusto Dei iudicio iterum amittendi, exponit. Licet autem hoc eiusmodi sit, vt hac ratione quilibet homo in veritate agnita magis confirmetur, & ex-
 tra

tra periculum, eam temere amittendi, ponatur, atheos tamen hac ratione erroris conuinci non posse, sed alia iis opponenda argumenta prius esse, vt ad veritatis agnitionem perducantur, ibidem obseruaui, dum statim subieci: *Fateor tamen, quod in disputationibus contra atheos hoc argumento utendum non sit, quia etiam ea, quae in se ipsis sentiunt* (e.g. ipsum conscientiae, subinde vim suam in iis exerentis, testimonium) *negare strenue consueti sunt.* Diiudicate ex haecenus dictis etiam, vt hoc *ὡς ἐν πρῶτῳ* addam, licet, quod alibi, *tom. V. obseruation. Hallensium obseruat. IX. de critério veritatis in rebus moralibus, cum primis §. XX. pag. 291. dixi, religionem nihil aliud esse, quam gustum rerum diuinarum.* Quae verba ne itidem aliter intelligantur, quam ex mente mea, intelligenda sunt, rursus obseruandum, me vocem *religionis* in significatione specialiori pro cultu Numinis & quidem interno accipere, qui tamen cognitionem veram & sufficientem Numinis praesupponit, & sine ea nulla ratione esse potest. Non insolens esse, vt vox religionis ita accipiatur, plurimis exemplis comprobare possem, sed vnicum LACTANTII sufficiat testimonium: *Non potest igitur, nec religio a sapientia separari, nec sapientia a religione fecerni; quia eadem Deus est, qui & intelligi debet, quod est sapien-*

sapientiae; & honorari, quod est religionis. Sed sapientia praecedit, religio sequitur; quia prius est, Deum scire, consequens, colere; &c. institution. divin. lib. IV. pag. m. 252. Recte

AMMINO LACTANTIVS docet, religionem seu cultum Numinis, non posse a sapientia, seu cognitione separari, sed hanc praecedere, illam sequi. Et hanc meam quoque esse sententiam, tum aliunde satis constat, tum ex ipsa illa de *critério veritatis in rebus moralibus*, observatione, si modo cuncta recte ponderentur, & inter se conferantur, facile intelligitur. Religionis vocem me pro cultu Numinis hic sumere, ex tota quidem tractatione, cum primis autem ex §. II. liquet, vbi diserte profiteor, me criterium veritatis non intuitu *intellectus*, sed intuitu *voluntatis*, consideratum, seu quodnam bonum pro vero aut apparenti habendum sit. Verba mea, quae exceptionem non admittunt, haec sunt: *per veritatem VERVM intelligimus BONVM. Vnde haec regula, totam doctrinam moralem dirigens, resultat: Quicquid VOLVNTATEM hominis ita afficit, ut laedat, ut dolorem aut taedium incutiat, illud non verum, sed apparens potius bonum, seu malum est.* Cognitionem autem veram ac sufficientem me praeponere, adeo manifestum est, ut mirum sit, si aliquis secus existimare posset. Quid vero luculentius dici poterat, quam
CUM

cum. §. XXXI. pag. 307. cuncta summam
 ita complector. Omnia ergo eo redeunt, ut
 suos INTELLECTIVI & VOLUNTATI sta-
 tuamus, limites; nec hos confundamus; immo
 potius, ut a natura constitutos recte obserue-
 mus. Confundunt autem hos omnino, qui
 voluntati ita criterium veritatis tribuunt,
 ut intellectus officia excludant. Quos ho-
 mines, eiusmodi indifferentismum præsten-
 tes, licet ipsa factis refellat experientia, error
 tamen illorum manifestandus aut detegen-
 dus est, ne eo & alii abripiantur. Tantum
 nimirum abest, ut cognitionem veritatis
 sufficientem excludam aut remoueam, ut
 potius eos, qui hoc faciunt, in indifferen-
 tistarum numerum referam, & grauius hoc
 nomine reprehendendos censeam. Prolixius
 etiam haec omnia, ne dubium alicui relin-
 quatur, in sequentibus edissero, §. XXXIII.
 pag. 309. seqq. Cum autem cultus in-
 ternus Numinis, in christianis, spectatus,
 qui religionis nomine loc. cit. venit, in
 amore, timore Numinis & fiducia filiali,
 prout haec omnia ex vera fide oriuntur,
 consistat, manifestum est, eum sine per-
 ceptione, *αισθησει* & experientia spirituali
 esse non posse, quae scriptura sacra gustus
 nomine exprimit, *I. Petr. II. 3. Ebr. VI. 5. 6.*
 Et eo quidem non alio sensu dixi, religio-
 nem nihil aliud esse, quam gustum rerum diui-
 narum.

1. NATURUM. Loquor autem de eo, prout res
 ordinarie se habet, & si aliunde impedimen-
 tum non accedat. Posse enim aliquando,
 praesertim in tentatione grauiori, accidere,
 ut gustus ille seu *αισθησις* cesset, cum ipsa
 experientia hoc doceat, neutiquam nego.
 Sed haec similiae hic in censum non veni-
 unt, cum de eo loquat, quod contingit, si
 effectus, qui sequi poterat, ac debebat, ali-
 unde non impediatur. Vnde facile intel-
 ligitur, quid respondendum sit, si quis obii-
 ciat, religione nos seruire Deo, gustu autem
 non Deo nos seruire, sed nobis; item, reli-
 gionem aut actionem esse, aut habitum,
 gustum autem non tam actionem esse, quam
 passionem. Ad prius enim quod attinet,
 probe obseruandum, ea, quae ad internum
 Numinis cultum spectant, duplici ratione
 spectari posse; primo, prout in nobis sunt;
 deinde, prout per legem diuinam a nobis
 exiguntur. Posteriori modo si cultus in-
 ternus siue religio spectetur, tum sane ea
 seruimus Deo; hoc vero non obstat, quo-
 minus priori modo spectata, etiam in gustu
 quodam seu perceptione consistat. Ad po-
 steriori vero quod attinet, sciendum, religio-
 nem quidem partim ut habitum, per media
 gratiae acquisitum, partim ut actionem, spe-
 ctari posse; cum, si habitus dicatur, eiusmodi
 intelligatur, qui subinde per certos actus sese
 exercit.

exerit, Si vero vt actio spectetur, nihil obstat, quo minus & passio quaedam cum ea coniuncta sit. Notissimum enim est ex doctrina morali, adfectus omnes, amorem, timorem, reliquos, certo respectu passiones esse, certo respectu actiones, cum primum perceptio quaedam seu commotio passiva in anima nostra praecedat, tum actio seu commotio actiua sequatur. Si porro quaeras: num gustus pars, an accidens, religionis sit? dispiciendum rursus sedulo est, quo pacto vox religionis sumatur. De cognitione enim sola si accipiatur, neque pars, neque accidens erit, sed effectus potius, qui tamen ob certa impedimenta se non semper exercat. Sin pro cultu interno accipiatur, & quidem in ambitu generaliori spectato, tum nihil obstat, quo minus eius pars quaedam dici queat; prout omnis adfectus partim passione, partim actione constat. At cultu interno in speciaiori significatione accepto, pro ipso actu amoris, timoris, fidei, lubens concesserim, gustum illum adiunctum aliquod seu accidens esse, quod non semper equidem, nec eodem gradu aut modo, sed in statu tamen hominis ordinario, gradu & modo diuerso, adsit & deprehendatur. Cum vero ex dictis, (vt eo, vnde digressus sum, redeam) pateat, necessarium prorsus esse, vt diuinarum veri-

tatum cognitio ad vitae praxin transferatur, grauissime illos peccare, simul liquet, qui hoc intermittunt, eoque, iusto Dei iudicio facile deduci posse, vt in atheismum incidant, istaque adeo intermissio inter causas atheismi recte refertur; quam longe frequentissimam esse, experientia omnes condocet. Addenda, quae eleganter hac de re differit DN. LA CROZE, *entretiens sur diuers suiets d'histoire &c. pag. 264.*

§. III.

Sunt etiam nonnulla, quae equidem inter causas directe & per se atheismum progignentes, non sunt connumeranda, occasionem tamen eidem quandoque praebere possunt, scopulorumque instar sunt, ad quos, qui ceteroquin ad istam impietatem proni sunt, facile naufragium faciunt,* vt, vita plerorumque christianorum, cum primis virorum sacri ordinis, doctrinae illorum non respondens;** sectarum, in quas orbis christianus scinditur, multitudo;*** acerbaeque nimis & modum excedentes, de rebus theologicis disceptationes,* & quae alia sunt eiusdem generis,** Quae omnia, vt, quan-

quantum humanae imbecillitatis ratio permittit, remouerentur, optandum esset.

* Culpa equidem non carent, qui talia aut agunt aut dicunt, quae aliis offendiculo esse, & per accidens etiam, ut in scholis loqui solent, atheismum promouere possunt. Nec tamen ideo excusandi sunt athei. Facile enim, si modo vellent, hosce scopulos euitare possent.

** De corruptis christianorum moribus, vitaeque doctrinae parum respondente, tot extant doctorum piorumque virorum querelae, ut iis colligendis multa volumina non sufficerent. Neue de aliis dicam, notum, quot *pis* hinc errata sint *desideria*, in quibus & vulnera haec tanguntur, & de remediis consultatur. Multum vero istam vitae rationem ad atheismum promouendum facere, nemo temere dubitauerit. Si enim homines ad atheismum sua natura proni animaduertant, ingentem esse illorum inter ipsos etiam ecclesiae doctores numerum, qui vita sua moribusque, quae de religionis veritate & praestantia, deque virtutibus, quibus fidem suam christiani demonstrare debent, ingenti zelo dicunt, ipsimet refutant, facile in eam inducuntur opinionem, omnes christianos turpissimos esse hypocritas, in-

primis vero ecclesiae doctores, dogmatibus, quae aliis inculcant, non adhibere fidem, nec, ea vera esse, credere. Ad minimum non potest non mera videri superstitio, si quis actibus quibusdam externis Deum colat, certasque de eo opiniones foueat, & acriter propugnet, interim tamen vitiis quibusuis strenue indulgeat. Quo longius autem superstitio a vera religione distat, eo facilius per eam alii, vt in alterum extremum ruant, inducuntur. Id vel Graecorum, maxime Atheniensium, exemplo patet, qui, vt reliquas gentes, quas barbaras vocabant, superstitione superabant, notante hoc in illis vitium ipsomet Paulo, *Aetor. XVII. 16.* ita non alibi plures athei, vel saltem atheismi suspecti, adeo vt apud solos Graecos, non autem barbaras gentes, atheos extitisse, AELIANVS existimet, *hisor. var. lib. II. cap. XXXII.* vt supra iam *cap. I. ad §. XX.* obseruauimus. Idem & in Romana ecclesia conspici licet, in qua atheorum prouentus longe vberimus, eo quod turpissima in ea regnat superstitio. Legi merentur, quae hanc in rem differit IENKINVS THOMASIVS, in *historia philosophica de atheismo cap. II. §. III. pag. 21.* vbi inter *primarias atheismi causas* superstitionem refert. Nec tamen ad atheos excusandos haec quicquam valent. Illorum enim erat, superstitionem
a vera

a vera religione discernere, & quod hominum religione abutentium vitium est, non ipsi religioni tribuere; multo minus omnes eodem loco habere, cum inter christianos hinc inde haud pauci etiam sint, qui Deum serio colunt, quorumue a doctrina nequam vita distrepat, quod & de ecclesiae quibusdam doctoribus censendum, quorum omni tempore hinc inde nonnulli extiterunt, qui cum Paulo dicere potuerunt: *estote imitatores mei, ut ego Christi, I. Cor. XI. vers. 1.*

*** Si religio christiana, inquit athei, aut illi, quibus sectarum inter christianos multitudo, offendiculo est, Deum auctorem agnosceret, haud dubio magna inter eos, qui eam sequuntur, foret consensus. Immo cum per istam sectarum diuersitatem, fructus doctrinae christianae mirum in modum impediatur, sapientiae diuinae foret conueniens, sectas istas & diuisiones impedire; si Deus ipse religionis istius curam gereret, vel eam mortalibus praescripsisset, & quae reliqua sunt eiusdem generis. Sed & huncce facile euitare scopulum possent, si rursus cogitarent, hominum hoc, non ipsius religionis, esse vitium. Immo, si indolem hominum, qua intellectum, qua voluntatem, recte considerarent, aliter se rem habere non posse,

posse, facile intelligerent. Deus autem ea, quae per hominum conditionem aliter evenire nequeunt, per miraculum eo minus impedire obstrictus est, quod nunquam aut praedixit, aut promisit, nullas in religione christiana fore dissensiones. Immo fore dissensiones & discordias, culpa tamen hominum, ipse servator discrete nos condocuit, *Luc. XII. jr.* Sunt vero Deo causae iustissimae sapientissimaeque, cur eas permittat. Manifestandi enim hac ratione sunt, qui Deo vera fide adhaerent, eumque sincere colunt. *Act. xix.* inquit Paulus, *καὶ ἀπέσεις ἐν οὐκίῳ εἶναι, ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γίνωνται ἐν οὐκίῳ.* *I. Cor. XI. 19.* Legenda, quae hac de re differit, IOANNES CLERICVS, de *l' incredulité*, *part. II. cap. IV. pag. 186. seqq.* qui & per integram hancce partem secundam, alia eiusdem generis offendicula recenset, atque remouet.

- * Recte IENKINVS THOMASIVS, de causis atheismi verba faciens, *huc accedunt*, inquit, *theologorum digladiationes, & animorum acerbitas, de articulis etiam non raro, qui neque bonos mores respiciunt neque vitam aeternam: attamen si quis a receptis systematibus discesserit vel latere vnguem, vae homini! de omni spe amicitiae conclamatum est, & in papatu pro haeretico habendus &*

Vini-

vinicomburio, ni palinodiam cecinerit, quantumcyus puniendus: qui procedendi modus procul omni dubio spectantium animos tepore aliquo, vel potius odio aduersus omnem religionem imbuat; histor. philosoph. de atheismo cap. II. §. V. pag. 37. Nec tamen ita hoc capiendum, ac si omnes de rebus theologiacis disputationes reiiciamus, quippe quas pro ecclesiae statu praesenti prorsus necessarias esse, lubentes fatemur; sed excessum saltem & impotentis animi vitia, quae subinde accedunt, improbamus, & hac ratione aliis auersionem a religione christiana animo concipiendi, occasionem suppeditari, ingemiscimus atque dolemus. Bene id eidem auctori obseruatum, quando interiectis nonnullis, pergit: *Caveas velim existimes, me omnes de rebus diuinis disputationes improbare; nequaquam; quia saepe saepius ecclesiae necessitas atque nostra officia hoc postulant: sed & est modus in rebus; nollem homines christianos se inuicem proscindere & lacerare, ne profani quique tripudiant, & in contumeliam religionis conclament; ubi est vester Deus? loc. cit. pag. 38. 39.*

- ** Inter reliqua, quae occasionem atheismo praebere possunt (quorum plurima adhuc sunt, sed omnia enumerare, instituti ratio non patitur) illorum adhuc commemorandum

dum institutum est, qui dum nouas existentiae Dei demonstrationes, siue ad ingenii subtilitatem ostentandam, siue alias ob causas excogitant, aut obscuras, aut minus solidas proferunt, quibus veritatem, quam defendendam susceperunt, produnt, & omnium ludibrio exponunt, & non tantum atheos in errore suo confirmant, sed alios haud raro in eundem inducunt. Non de illis nunc loquor, qui data opera pro argumentis firmis & solidis, infirma & lubrica ad fallendos incautos substituunt, quod Iulium Caesarem Vaninum, aliosque, fecisse constat, & supra nobis obseruatum est; sed de illis sermo est, quibus serio equidem constitutum est pugnare contra atheos, Numinisque existentiam comprobare, sed vt noui aliquid adferre videantur, vel ex simplicitate quadam, reiectis vel praetermissis argumentis receptis, ceu quotidianis, noua sed minus solida in medium adferunt. Exemplo praeter alios esse potest IOSEPHVS RAPHSON, vir ceteroquin doctissimus, ingenioque subtilissimo praeditus, cuius *demonstratio de Deo, siue methodus ad cognitionem Dei naturalem breuis ac demonstratiua, cum epistolis miscellaneis, de animae natura & immortalitate, de veritate religionis christianae, de vniuerso; &c.* Londini anno M DCC X prodiit, recusa deinceps Lipsiae anno

anno M DCC XII. Nouam enim & ex mathematicorum scholis petitam dum ingressus est demonstrandi existentiam Dei rationem, multa quidem, quae ingenii acumen arguunt, profert, subinde tamen lubrico fundamento demonstrationem suam superstruit, talia quoque addit, quae prorsus admitti nequeunt, ne quid de obscuritate, qua haecce demonstratio laborat, commemoremus. Nihil de definitionibus dicam, in quibus subinde non tam rem explicare, quam voces idem significantes inter se permutare videtur; dum inter postulata ponit: *omne finitum posse vt non existens concipi*, & inter axiomata: *quicquid est, aut a se est, aut ab alio*, eiusmodi quid postulat, ac asserit, ad quod nondum prorsus concedendum se obstrictos athei existimabunt; vti in *actis erud. Lips. anno M DCC XII mens. Ian. pag. 28. & 29.* obseruatum. Nec profecto temere quis admiserit, quod asserit, *finitum quatale nihil positiui denotare; concedi posse, processum causarum in infinitum, vt tamen solus Deus aeternus & infinitus statuatur; &c.* & quae reliqua sunt eiusdem generis.

§. IV.

Proprietates atheismi, seu quae eum comitantur, vitia, itidem variae sunt; inter

332 CAP. IV. DE ATHEISMI CAUSIS,
inter praecipuas tamen referenda, stultitia eius & irrationabilitas,* contemptus & vilipendium recte sentientium,** externa virtutis species, qua athei vitia animi turpissima utcumque regere, ut eo facilius incautos decipiant, annituntur.*** Discernendi ab his sunt characteres seu criteria atheorum, ex quibus eos, si latere cupiant, utcumque agnoscere licet.*

- * Sunt equidem, qui, stultitiam & irrationabilitatem atheis obiici, aegre ferunt, hoc ipso, se eos pro hominibus admodum sapientibus habere, significantes. Sed vitio nobis non vertent, si non aliter de atheis sentiamus, quam rex sanctissimus David sensit, qui diserte *stultorum* nomine eos insigniuit; *stultus dixit in corde suo, non est Deus; psalm. XIV. 1.* Variis idem rationibus euinci posset, quarum nonnullas iam in medium attulit RICHARDVS BENTLEIVS, in *orationibus sacris*, quibus *stultitiam & irrationabilitatem atheismi* demonstravit, a viro doctissimo, DANIELE ERNESTO IABLONSKI, ex anglicano idiomate in latinum translatis. Is vero, atheos vel inde stultitiae argui posse, ostendit, quod cum a teneris ea imbuti fuerint religione, quae a Deo optimo maximo nos conditos, animaque immateriali & spiritali

tuali donatos docet, nosque in spem vitae aeternis affluentis gaudiis erigit, illi nulla ducti vel utilitate, vel necessitate moti, sententiae receptae mittant repudium, sibi quae alia omnia persuadeant; nullum scilicet fuisse architectum huius mundi, nec a rectore ac moderatore sapientissime illum gubernari; nihil esse hoc vniuersum, nisi materiam sensu carentem, & fato fortunaque impulsam; primos homines fungorum instar e terra natos, totumque illud, quod mentem dicimus humanam, nihil esse, nisi agitationem & afflictum subtilis cuiusdam materiae, nihilque adeo manes esse, sed, lethum finire omnia; *orat. I. pag. 33. seqq.* His & alia eiusdem generis addit, quae repetere instituti nostri non patitur ratio; quemadmodum nec, quae alii, speciatim THEODORVS VNTEREICH, in *atheo stulto*, hac de re commentati sunt. Pauca saltem, quae stultitiam & irrationabilitatem atheorum extra omne dubium ponunt, addere liceat. Per *stultitiam* summam intellectus corruptionem, cum ingenti voluntatis peruerſitate coniunctam, denotari, constat; & a me etiam obseruatum est *institution. theolog. moral. part. I. cap. I. sect. II. §. XXXV.* Quae vero maior intellectus corruptio esse potest, quam cum quis argumentis euentissimis fidem denegat, saltem vt solus sapere videatur?

tur? Vix autem fieri potest, ut tanta intellectui coecitas atque caligo offundatur, nisi pravae cupiditates accedant, atque intellectum secum ad ineptissima quaevis abripiant. Id vero cum in sanae mentis hominem non cadat, non alio, quam stultorum loco atheos haberi posse, manifestum est. Haec vero tum in aliis, tum vel in eo aperte se prodit stultitia, quod cum ipsimet concedant, vel saltem diffiteri nequeant, sententiam illorum, qui Deum esse credunt, eumque rite colunt, si vel maxime errarent, nullum illis adferre incommodum, maximam contra & aeternam felicitatem, si vera sint, (quemadmodum reuera sunt) quae credunt; atheorum contra sententiam, si vel maxima vera esset, (quod tamen non conceditur) nullum aut nonnisi imaginarium ad breue tempus illis adferre commodum, summam contra miseriam & aeternos cruciatus, si errent, (quemadmodum eos errare certum est;) nihilofecius priori sententia reiecta, posteriorem eligere malint. Hoc enim summae stoliditatis & insipientiae esse, nemo, nisi qui prorsus excoecatus fuerit, negauerit. Addere & hoc possem, conditionem illorum, qui Deum esse credunt, eumque rite colunt, in hac quoque vita, vel ipsis atheis fatentibus, longe feliciorum esse, quam eorum, qui eum

ne-

negant, & ad hoc animum obfirmant suum. Vitae vero rationem infeliciorem feliciori praeferre velle, non nisi hominis est ratione sua turpiter abutentis. Nec est, quod obuertas, haec omnia tum demum locum inuenire, si athei conuicti fuerint, se in errore versari. Pleraque enim ita comparata sunt, vt nec ipsi athei, haec ita se habere, inficiari prorsus audeant. Stultus vero etiam stultus esse non desinit, etsi, se stultum esse, agnoscere nolit. Irrationabilitas vero atheorum vel inde maxime apparet, quod ad difficultates quasdam, quas facile si vellent, evitare possent, superandas, systema aliquod illis amplectendum sit, quod non tantam difficultatibus pluribus & longe maioribus premitur, sed plane absurdissimum est. Ita vero rem se habere, ex mox dicendis manifestum fiet.

** Vt enim soli sapere videantur, reliquos homines omnes pro inertibus, omniumque stupidissimis habent, qui non ratione, sed coeco animi impetu, aut mera superstitione regantur. Intelligendum hoc de atheismo philosophico, quem ex ambitione praecipue oriri, supra ad §. I. diximus.

*** Veram virtutem atheis is demum tribuet, qui prorsus, quid virtus sit, ignorat. Et enim cum vera virtus consistat in studio sincero

cero se & omnes actiones suas ad voluntatem atque legem Numinis conformandi, qui fieri posset, ut homo, qui Deum non credit, adeoque legem diuinam non admittit, ad eam tamen actiones suas componere anniteretur? . . . Multa equidem saepius athei de virtute, de honestate, de iustitia, loquuntur, sed ad finem saltem incautis faciendum. Omnium instar sic BENEDICTVS DE SPINOZA, qui nunquam non iustitiam & charitatem in ore habet, adeo ut omnem in ea religionem constituat; sed accuratius mentem explicare iussus, non aliam aut charitatem aut iustitiam admittit, quam quae pactis, conuentionibus, & imperii ciuilibus auctoritate nititur. *Vt verae, inquit, rationis documenta, hoc est, (ut in cap. IV. circa legem diuinam ostendimus) ipsa diuina documenta vim iuris absolute haberent, necesse fuisse, ut vnusquisque iure suo naturali cederet, & omnes idem in omnes, vel in aliquot, vel in vnum transferrent, & tum demum nobis primum innotuit, quid iustitia, quid iniustitia, quid aequitas, quidque iniquitas esset. Iustitia autem & absolute omnia verae rationis documenta, & consequenter erga proximum charitas, a solo imperii iure, hoc est, (per ea, quae in eodem capite ostendimus) a solo eorum decreto, qui ius imperandi habent, vim iuris & mandati habent; in tract.*

theolog.

liber leg. polit. cap. XIX pag. 115. Idem deinceps reperit. *Justitia sola summam potestatem decreto pondeat, adeoque nemo, nisi qui secundum eam concepta dicitur amittit, iustus esse potest; tut. civ. cap. XIII pag. 128.* Cum vero ius naturalis antea mentionem fecerit, non ita hoc est capiendum, ac si legem quandam naturalem admisit, sed nihil aliud hoc nomine intelligit, quam naturalem quilibet agendi facultatem. Id ipse iterum discrete & citra ambages profectur. *Per ius & institutum naturae nihil aliud intelligo, quam regulas naturae aius cuiusque individui, secundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus, ad certa moda existendum & operandum, & gr. pisces a natura determinati sunt ad natandum, magni ad minores educendum, atque pisces summo naturalium aqua possuntur, & magni minores comedunt.* Nam certum est, naturam absolute consideratam ius summum habere, ad omnia quae potest, hoc est, ius naturae eo usque se extendere, quousque eius potentia se extendit. Et quia lex summa naturae est, ut unaquaeque res in suo statu, quantum in se est, conetur perseverare, idque nulla alterius, sed tantum sui habita ratione, hinc sequitur unumquodque individuum ius summum ad hoc habere. Ius itaque naturale uniuscuiusque hominis **NON SANCTA RATIONE, SED**

AVARITATE ET POTENTIA DETERMINATUR, *tract. theolog. polit. cap. XVI. pag. 275.* Nullam itaque cum admittat legem divinam; mirum non est, quod & nullum admittat peccatum. Peccatum enim est *avouia*. Vbi ergo nulla lex, ibi & nullum peccatum. Idque, qua est impudentia, diserte quoque profiteri non dubitat: *In statu naturali peccatum concipere non potuimus, nec Deum tanquam iudicem, homines propter peccata patientem; sed omnia secundum leges uniuersae naturae communes ferri, & eundem casum, (ut cum Salomone loquar,) iusto ac impio, puro ac impuro &c. contingere, & nullam locum iustitiae nec charitati esse;* *tract. theol. polit. cap. XIX. pag. 275.* Conueniunt haec profus cum philosophia THOMAE HOBBSII, qui itidem non alias, quam civiles leges admittit, & in statu naturali homini quilibet committendi facultatem concedit: *Natura, inquit, dedit unicuique ius in omnia, hoc est, in statu vere naturali, sive antequam homines ullis pactis sese inuicem obstrinxissent, unicuique licebat facere, quaecumque & in quascumque libebat &c. de ciue, cap. X. §. X.* Haec vero omnia, quam absorta sint, nemo non intelligit, & vel inde etiam constat, quod sublatis legibus diuinis, ipsum etiam imperii civilis fundamentum auertant, simulque iustitiam, & quascumque

ei superstruunt virtutes. Fatentur enim, vel saltem fateri necesse habent, impérium civile pactis niti & conventionibus; sed si leges divinas, quae pacta servare iubent, tollas, quid quaeso est, quod ad pacta servanda homines inducere queat? Nihil puto, aliud, quam utilitas. Ergo & subditi tam diu imperantibus parebunt, quamdiu hoc e re sua esse existimaverint. Sed hac de re deinceps plura. Nunc ad PETRVM BAEIVM accedimus, qui virtutem & honestatem atheorum passim laudat, nullamque prorsus causam esse existimat, cur non athei aequè honesti (si non honestiores) & virtuti dediti, censeri debeant, quam idololatrae aut superstitiosi homines, aut qui vera equidem Dei cognitione imbuti sunt, sed eam vita moribusque suis non exprimunt. Id passim agit, multisque verborum ambagibus confirmare annititur, dans *les pensées Diverses* §. CXXXIII. pag. 261. seqq. item, dans *la continuation des pensées*, §. LXX. pag. 407. Sed in apologetica quoque dissertatione, sententiam suam hac de re explicat atque defendit, quae subnexa est, *tom. III. dictionarii historico-crit. pag. 3137. seqq.* Qua idē re ut paucis, quid & nobis videatur, dicamus, & nebulas, quas vir doctissimus veritati obducit, dispellamus, primo quidem in eo nobiscum consentit, veram virtutem,

quae ex amore Dei fluit, in atheum non
 cadere. Hoc enim discrete proficitur *differ-*
tit. tit. 8. VII. pag. 317. Rursus vero &
 nos cum eo consentimus, tum atheos, tum
 alios homines, qui de existentia Numinis
 persuasi sunt, cupiditatum tamen suarum
 potius, quam religionis ductum sequuntur,
 gloriae & laudis cupidinae, aut metu infamiae,
 vel mortis, aliisque causis plurimis, ad
 honesta conserenda, turpia autem euitanda
 induci posse, adeoque externam praefere
 virtutis speciem. Quaestio igitur eo
 redit, si utriusque inter se comparentur, num
 eodem habendi sint loco, an vero illorum,
 qui vitii, equidem indulgent, sed Dei tamen
 quodam timore tanguntur, in externae
 virtutis studio quaedam praefereat praerogatiua?
 Negat hoc PETRYS BAEIVS, nos vero id affirmandum, censemus. Omnia
 namque, quae dans *les pensees diverses l. c.*
 item dans *la continuation l. c.* copiose & fa-
 cunde hac de re differit, eo tandem redeunt,
 homines cupiditatibus suis inservientes, non
 secundum religionis, quam pro vera habent,
 principia, sed secundum adfectus, quibus ab-
 ripiuntur, vitam suam instituere. Quod
 quidem saepissime contingere, lubenter
 concedo, nec tamen id nostrae causae offi-
 cit. Rursus namque & id concedendum
 est, multos qui, etsi pro veris christianis
 non

non sint habendi, tamen quodam Numinis timore tanguntur, tum saltem, cum affectus cessant, omnino religionis ductum sequi, porque eam ad mala vitanda, honesta autem conlectanda, concitari posse. Quare ut comparatio nro procedat, ponamus primo, athoum & supersticiosum, in eodem affectu constitutum, cui uterque resistere nequeat, atque, cum nullo profusus obstaculo retineatur, prompte statim faciet, quae male sana cupiditas suadet: supersticiosus incepti Numinis uterque retinebitur, tunc tandem ob vim affectus succumbatur. Atque haec huius, si effectum spectantes, par utriusque erit ratio. Pone vero, affectum ita vehementem non esse, ut non eorum, quae Numinis metus hominibus suggerit, repraesentatione, superari queat, quod sane saepissime contingit, atheus tunc sine beneficitatione faciet, quae cupiditas suadet, cum nihil sit, quod illum retineat, abstinere contra alius, & quidem sola religione ductus. Vnde liquido constat, minus mali ab hominibus improbis etiam, quibus tamen vllus religionis sensus est, merendum esse, quam ab atheis. Quod, si fallor, ad evertendam penitus vniuersam doctrinam sententiam sufficit.

Characteres atheorum, ex quibus, cum facere cupiant, dignosci possint, sequentes traduntur: quod quavis data, aut arrepta occasione

Y ;

caione

- catione, dubia contra Numinis aut existen-
 - tiam aut providentiam proponant, aut ab
 - malis proposita pro insolubilibus venditent;
 - quod nihil, quod naturae superet vires, ad-
 - mirantur; hinc & miracula aut inficientur,
 - aut ad causas naturales reuocent; diuina-
 - rum item quod eleuent litterarum auctori-
 - tatem; religionemque mysticam omnis ex-
 - pertom cupiant; & quae alia sunt eiusdem
 - generis, a GIBBERTO VOETIO commemo-
 - rata *disput. de atheismo, parte. I. disputation.*
selectar. pag. 238. seqq. qui & *pag. 135.* ad-
 - iuncta seu proprietates atheismi, sed more
 - suo, recenset. Verum praeterquam, quod
 - characteres isti non vno omnes habendi sint
 - loco, in applicatione caute admodum ver-
 - landum, ne viris innocentibus temere athe-
 - ismi nota inuratur. Id iam monui in *differ-*
ent. de pietate philosophica seu religione natu-
rali, quae extat in *selectis iuris naturae &*
gentium, §. LVII. pag. 262. seqq.

§. V.

Effectus denique atheismi sunt, sum-
 - ma miseria, quam in hacce iam experi-
 - untur vita, qui eodem sunt infecti, * &
 - difficultas admittendi emendationem; **
 - in alios vero, si contingat, vt ad plures
 - malum

malam hocce serpat, non possunt non plurima inde maximaque redundare incommoda, cum rerumpublicarum per eum dissoluantur vincula, & fundamenta, quibus civium salus, omnisque vitæ tranquillitas, innititur, concutiantur & labefactentur; *** ut adeo non temere grauior pestis, aut, quod hominum generi noxium magis sit, quam atheismus, cogitari queat.

* Quod si ipsos atheos audias, minime infelices erunt, quippe qui omni metu, quem alius peccatorum conscientia, aut de statu animæ post hanc vitam anxia sollicitudo incutit, quæve haud raro non mediocriter mortales anguntur, se liberatos profitentur; si quo ita se gerant, ut huius vitæ incommoda aut euitent, aut aequo animo ferant, nihil amplius esse videtur, quod illos excruciet. Verum si intimiores animorum in hisce hominibus recessus introspicere daretur, longe alios eos deprehenderemus, quam videri volunt. Sane, quod de tyrannis ex mente PLATONIS, CORNELIUS TACITUS dixit: *si recludantur tyrannorum mentes, posse adspici laniatus, & ictus, quando, ut corpora verberibus, ita saevitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur, annal.*

lib. VI. cap. XI. id pari ratione de atheis
 dixeris, metu, terrore, moribusque consci-
 entiae, subinde eorum animos mirum in
 modum dilacerari. Quicquid enim dicant,
 quicquid iactitent, quicquid simulent, nun-
 quam de suo tam firmiter persuasi errore es-
 se possunt, ut non veritatis subinde stimulos
 sentiant, & hinc animus summas impietatis
 eos commendet, simulque cogitare iubeat,
 quid a iustissimo illo seuerissimoque iudice
 tandem illis expectandum sit, contra quem
 tam proterue insurgunt. Et hoc ad sum-
 mam in hac vita mercedem sufficit. Hinc
 & ipsam veritatem atheis eadem voces
 quandoque expressisse nouimus, quantum-
 uis errant, qui Deum esse credant, & consolant,
 feliciores tamen esse, quam eos qui non esse
 Deum, persuasi sunt. CONF. PHIL. IACOBI
 SPENERI. *Vbere in summa mit. idem Augsbu-
 rgischen confessione, artic. praef. VII.
 S. VIII. pag. 14. seqq.*

Fieri sane potest, ut agnito errore ad sanio-
 rem mentem redeat atheus; idque factum
 etiam aliquando, nouimus. Illustre cum-
 primis, longeque notissimum est exemplum
 Roftae Comitissae, de quo scripto quodam
 peculiari egit GILBERTVS BURNETVS, quod
 ex anglicano idiomate in latinum transla-
 tum, hocce titulo prostat: *Roftae comitissae in*
 extre-

extremis lætæ uolæ, seu poenitentia salutaris,
a Gilberto Burro memoriae prodita &c.
Vltraiecti anno M. DC. XCVIII. Nec sine
 ratione in ipso titulo additur: *apelham hanc*
ad conuincendas seculi huius atheos. & apo-
statas apprimè esse utilem. Interim tamen
 & hoc est certissimum, & paucos esse, qui
 ex hisce laqueis iterum se expediunt, & plu-
 rima obstare, quo minus se iterum expedire
 queant. Primum emendationis initium est,
 agnoscere errorem, miseriamque, qua cir-
 cumsepti sunt, qui alieno a Deo sunt animo,
 intelligere. Atheus uero tantum abest, ut
 agnoscere uelit, se errare, ut solus sibi sa-
 pere uideatur, reliquos uero homines omnes
 in errore uersari credat; multo uero mi-
 nus se miserum existimabit, cum eius metus,
 qui reliquos mortales angat atque excruciet,
 se immunem esse censeat. Frustra etiam
 ei uerbum diuinum opponas, quippe quod
 respuit, nec pro Dei uerbo agnoscit, immo
 contemnit, tantum abest, ut ei morem ge-
 rere paratus sit. Rationi omnia equidem
 tribuit, sed prauae atque corruptae; rectae
 autem eo minus locum relinquit, quo dif-
 ficilius, ut prauae suae ratiocinationis de-
 fectus agnoscat, induci potest. Accedit,
 quod error iste, quantumuis execrabilis, ho-
 minibus cupiditatibus suis indulgentibus
 gratus esse non desinat; sua uero natura

homines ita comparati sint, ut, quae eis grata sunt, vera etiam esse credant. Mitto reliqua; cum ista, quae diximus, difficultatem ex sordibus impietatis, quibus atheus immerfus est, eluctandi, satis ostendant.

*** Quaesitum nostra aetate fuit, num atheismus statui civili noxius sit, aut saltem, an maius damnum adferat, quam idololatria aut superstitio? Ad quod quid respondendum sit, diiudicare equidem quodammodo ex iis licet, quae antea de virtutibus atheorum disputauimus. Iuuabit tamen, hic reliqua excutere, quae PETRVS BAEIIVS pro illorum sententia, qui atheismum rebus publicis non adeo noxium esse credunt, in medium adfert. Ut autem a prima origine rem repetat, ipsas societates ad humani generis conseruationem non adeo necessarias esse credit, cum experientia doceat, integras gentes substituisse, quae tamen in vnam quandam societatem civilem non coaluerint, id quod exemplo Aboriginum in Italia, Getulorum & Lybiorum in Africa, comprobare an nititur. Refert huc, quod de Cyrenaicae quibusdam incolis POMPONIVS MELA memorat: *Sequuntur vagi pecora: utque a pabulo ducta sunt, ita se ac tuguria sua promouent; atque vbi dies deficit, ibi noctem agunt. Quaequam in familias passim & SINE LEGE dispersi*

dispersi, nihil IN COMMVNE consultant &c. de situ orbis, libr. I. cap. VIII. pag. m. 14.

Hinc vèro porro concludit, cum populi per familias dispersi sine religione secure & tranquille viuere potuerint, multo magis de illis, qui in rempublicam quandam aut societatem civilem coaluerunt, idem dicendam, cum, qui in eiusmodi societatibus constituti sunt, facilius praemiorum spe & metu poenarum, in officio contineri possint, quam qui extra eiusmodi societates degunt.

Experientiam praeterea huic sententiae suffragari existimat, cum hinc inde societates quaedam civiles sine vlla religione substitute- rint: quod Caesorum in Africa, aliorumque populorum exemplo comprobare annititur. Multa alia hunc in modum differit; dans *la continuation des pensées diuerses &c. §. CXVIII. pag. 568. seqq.* Eandem vero sententiam dum contra IAC. BERNARDVM defendit, dans *la Response aux questions d'vn prouincial, tom. IV. cap. XVII. pag. 232. seqq.*

nouas quoque, quibus eandem confirmet, adfert rationes. Inter has praecipua mihi esse videtur, quod dicit, cum societatis ciu- lis seu reipublicae, in qua quisque vivit, conseruatio ita comparata sit, vt maxima inde ad omnes ac singulos commoda re- dundent, neminem sanae mentis, adeoque nec atheum, temere quidquam admissurum, quod ciuitatis rationibus repugnet. Hoc

enim

enim si faciat, suis ipsum minus recte consulere rebus. Ipsam itaque utilitatis rationem, & commoda plurima, quae saluo civitatis statu athei etiam sperare possunt, non esse permissura, ut aliquid committant, quod civitati noxium sit, ut adeo nullo ad hoc religionis opus sit vinculo. Cum vero IACOB. BERNARDVS inter alia obiecisset, vel ipsorum atheorum confessione necessariam esse ad conservandam rempublicam, religionem, cum magno consensu eam pro instrumento quodam politico, ad continendum in obsequium populum, excogitato, habeant, PETRVS BARTIVS respondet, non tantum esse atheos, sed alios etiam viros doctos, ita ne quidem sentire, nec tamen hoc eos velle, si ac si religio ad conservandam rempublicam non prorsus sit necessaria, sed quod adiuumentum aliquod, aut praesidium saltem ad rempublicam conservandam adferat. Etsi vero religio forte commodum aliquod adferat; eandem tamen subinde haud minora seculum vehere incommoda, cum haud raro per id eam foveant imperantes in eum ferum statum detorquent, ut a nutu illorum, qui religionis custodes videri volunt, pendere cogantur. Multa alia eiusdem generis profert, ut evincat, consistere rempublicam non posse, in qua sublata religione omni, atheismus triumphet. Quae cuiusmodi sint, ex hocce, quod dedimus, specimine facile intelligi-

colligitur. Ut vero, quam lubrica cuncta
 sint, ostendamus, pauca, obseruabimus.
 Quod primo loco dicit, societates ciuiles
 ad humani generis conseruationem non
 prorsus esse necessarias, id tum demum
 concedimus, si gens quaedam, a reliquis gen-
 tibus ita separata habitet, vt nullum ab aliis
 gentibus ei adferri incommodum queat.
 Secus enim si res se habeat, ridiculum fo-
 ret, persuadere sibi velle, nullum isti genti
 ab aliis imminere periculum. Qui domi-
 nandi cupidinem, aut auaritiam etiam ho-
 minum insatiabilem cogitat, nunquam
 animum inducet, vt credat, futam eiusmodi
 gentem a vicinorum populorum vexationi-
 bus aut incursionibus fore. De gentibus prae-
 terea, quas in exemplum adducit, nondum
 satis constat, annon speciem quandam so-
 cietatis inter se habuerint, quemadmodum
 nec de intestinis illorum discordiis, dissen-
 sionibus, aliisque malis domesticis, quaequam
 constat, quorum eas prorsus immunes fuis-
 se, non est credibile. Multo vero minus
 euictum est, eas gentes omnis religionis
 fuisse expertes. Hoc tamen audacter as-
 sumit BAEIIVS, dum ita rationes sub-
 ducit: si gentes extra societatem ciuilem
 constitutae absque religione consistere po-
 tuerunt, multo magis de illis hōc dicen-
 dum, quae in eiusmodi coaluere societates.

Prius

Prius enim adhuc probandum erat. Quamquam & ipsa non recte procedat argumentatio, cum, quo maiores societates sunt, eo arctioribus ad eas conseruandas opus sit vinculis. Quod vero dicitur, gentes quasdam, quae in ciuiles societates coaluerunt, sine omni religione vixisse, & rempublicam suam conseruasse, id iterum non temere omnibus persuadebit. Scio de Castris, aliisque gentibus, eiusmodi quid a quibusdam commemorari; sed hoc quoque scio, ab aliis hoc vocari in dubium. Sed hac de re deinceps erit dicendi locus. Nec quidquam altera euincit ratio, ab vtilitate, quam athei ex reipublicae conseruatione capiunt, desumpta. Nihil enim inde aliud sequitur, quam atheos, si perspiciant, rebus suis conducere, saluam rempublicam esse, tamdiu boni ciuis officio functuros, quamdiu id rebus suis expedire credent. Quodsi vero errore ducti aliter existiment; aut commodum istud, quod ex reipublicae conseruatione ad se redundat, non intelligant; aut, si vtilius sibi esse credant, totum reipublicae statum euerti, ecquid est, quod a maximis atrocissimisque facinoribus eos retinere queat? Esto, & superstitiosos eiusmodi quandoque furiis agitari, nullum tamen est dubium, illos, qui, Deum esse, credunt, subinde eius metu ab eiusmodi sceleribus retrahi, quod de
atheis

atheis asseri nequit. Quod vero dixit, eos, qui religionem pro instrumento dominandi, & populum in officio continendi, habent, non ita hoc intelligere, ac si religionem ad reipublicae conseruationem prorsus necessariam iudicent, sed quod ad bene esse saltem faciat, ac adminiculum aliquod, seu praesidium adferat, non magis, quam reliqua, admitti, sine accuratiori explicatione, potest. Quo pacto athei equidem hoc intelligant, de eo nunc non disquiram; nec id nunc mouebo, an quis, qui athens non sit, religionem pro mero commento politico habere possit, cum contrarium pauci sibi persuasuri sint: utique alii hoc intelligant, res ipsa docet, rempublicam sine omni religione consistere non posse. Atque hoc sic euinco: fundamentum aliud reipublicae, seu societatis ciuilis, contipi nequit, quam pactum inter imperantes & ciues initum, quo hi illorum se imperio subiecerunt. Hoc vero nititur lege diuina, quae pacta seruare iubet. Sublata autem lege diuina, quae vis, quae efficacia, quae obligatio pactorum erit? Nonne extremae stultitiae est, pacta cum hominibus inire, qui putant, se ad ea seruanda non esse obstrictos? Ergo ipsum omnis societatis ciuilis fundamentum corruere necesse est. At utilitatis, inquis, ratio inducet homines, ut pacta seruent.

Eo

Eo quidem res omnis tandem redit: Sed,
 quid ad hoc respondendum sit, antea iam
 ostendimus. Patet itaque, atheorum nullam
 revera rempublicam esse posse; simulque,
 quam noxius rebus publicis atheismus sit,
 intelligitur. Superstitio tamen forte, inquis,
 atque idololatria, si non magis, certe atque
 noxia est. Id quidem vehementer videt,
 PETRVS BÆLIVS. Ego vero nulla ratione
 nego, ex superstitione seu idololatria plu-
 rima in rempublicam redundare incommo-
 da; nec abnuo, per superstitionem ad ma-
 ximam crudelitatem & atrocissima facinora
 edenda, homines quandoque inductos, quod
 exempla imperatorum gentilium, qui impa-
 nissimis suppliciis christianos adfecerunt,
 demonstrant: sed duo hic sedulo observari
 velim. Alterum est, facinora superstitio-
 forum, hominum non semper ipsi super-
 stitioni, sed pravis illorum cupiditatibus,
 qui superstitionis tegumento obvelantur,
 tribuenda esse. Quare, si ponamus, athœum
 iisdem cupiditatibus inflammatum, non
 tantum eadem aget, quae superstitiosus; sed
 tanto ad quidlibet perpetrandum audacior
 erit, quo minus frenum aliquod internum
 adest, quo retineri queat. Alterum hoc
 est, si ipsa superstitio ad crudelitatem, vel
 alia vitia homines impullat, tum quidem,
 quicquid eiusmodi homo agit, per errorem
 agit,

agit, dum falsa persuasione inductus, existimat, se rem Deo gratam facere, vt ipse seruator nos condocet; *Ioan. XVI. 2.* Hoc ergo vt non tam superstitioni, quam errori tribuendum est, ita non mitiora ab atheo expectes, per errorem in eam sententiam inducto, aut sibi aut reipublicae expedire, vel omnino necessarium esse, vt omnes homines fiant athei. Vnde sequitur, atheismum cum superstitione comparatum, ad minimum aequè noxium esse, in se autem spectatum, longe perniciosiorem, cum per superstitionem saepius a prauis facinoribus homines retrahi queant, per atheismum autem nunquam, qui ipsum etiam vinculum societatis ciuiliis prorsus soluat. Quodsi tandem inter atheismum & christianam religionem comparatio instituat, PETRVS quidem BAEIIVS non negat, si christiani secundum disciplinam seruatoris vitam instituunt, mores illorum statui sociali prorsus fore accommodatos, cum ab ambitione omni & auaritia alieni, summo euitaturi studio sint, quicquid aut alere aut excitare dissensiones, aut creare aliis molestiam, aut alia quacunque ratione quietem atque tranquillitatem publicam turbare queat: interim cum iudem rebus omnibus huius seculi nuntium mittere, seque ipsos

Z

abne-

abnegare, & in id saltem incumbere iubeantur, ut pravas cupiditates subigant, atque compeſcant, fieri non poſſe, exiſtimat, ut ſocietas ex veris chriſtianiſ compoſita conſiſtat; cum nulla ſocietas ſine bellis, quibus vim ſibi illatam repellat, ſe conſeruare queat; bella autem, & quae cum iis coniuncta ſunt, cum moribus verorum chriſtianiſ, prout antea eos deſcripſerat, conciliari non poſſe; quod pluribus ediſſerit dans *la continuat. des penſees diuerſes*, §. CXXIII. & XXIV. pag. 595. ſeqq. Ex quibus, quod primo loco diſſerit, eorum, qui Chriſti ſeruatoris diſciplinam ſequuntur, mores, ſtatu ciuili prorſus eſſe accommodatos, & hac quidem ratione religionem chriſtianiſ ciuili imperio maxima adferre comoda, veriſſimum eſt, & pluribus etiam a me demonſtratum, in *diſſertat. de concordia religionis chriſt. ſtatusque ciuilis cap. I. §. VII. ſeqq.* Quod vero ſecundo loco adfert, ſocietatem ex veris chriſtianiſ compoſitam, conſiſtere non poſſe, cum illorum mores cum iis artibus, quibus imperia conſeruari aut amplificari ſolent, non conueniant, in eo iam praeceuntes ſibi habuit veteres ethnicoſ, qui eadem ratione de religione chriſtiana ſentiebant. MARCELLINVS namque obiectum ſibi a paganis apud AYGUSTINVM refert:

refert; quod Christi praedicatione atque doctrina reipublicae moribus nulla ex parte conueniat; utpote cuius hoc constet praeceptum, ut nulli malum pro malo reddere debeamus, & pallium dare persistenti tunicam tollere, & cum eo, qui nos angariare voluerit, ire debere spatio itineris duplicato, quae omnia reipublicae moribus sunt contraria; cum nemo reperiat, qui tolli sibi ab hoste aliquid patiatur, vel Romanae prouinciae depraedatori non mala veli belli iure reponere; in epist. ad Augustinum, quae est inter Augustinianas IV. Praeuenientem etiam sibi habuit NICOLAVM MACHIAVELLVM, cuius haec de re verba exhibui, in dissertat. cit. de concordia relig. christ. statusque ciuilibus cap. II §. II. pag. 43. Sua sponte autem haec omnia corruunt, si obseruemus, christianam charitatem, abnegationem sui, prauarumque cupiditatum coercionem, cum officio magistratus bene consistere posse. Et licet vindicta priuata a moribus christianorum merito aliena sit; nequiquam tamen illis defensio, suis limitibus circumscripta, praesertim, si a magistratu ex causis iustis & necessariis suscipiatur, repugnat. Quare ne bella gerere christianis nefas fuerit, aut ea agere, quae ad bella gerenda necessaria sunt; modo, quae in hisce omnibus, legibus diuinis contraria, occurrunt, eo, quo

par est, studio euitentur; vti *loc. cit.* pluri-
bus a me est demonstratum. De tota au-
tem hacce quaestione legi meretur viri
doctissimi, deque ecclesia praeclare me-
riti, IOAN. GEORGII PRITHI, erudita disser-
tatio *de atheismo, & in se foedo, & huma-
no generi noxio*, Lipsiae anno M DC XCV
habita.

CAP. V.

DEVM ESSE DEMON-
STRATVR.

Σύνοψις.

DE notitia Dei
instita, omnium-
que cordibus in-
scripta; §. I.

Ad acquisitam Dei no-
ticiam argumenta
pertinent, quibus
existentia eius de-

monstrari potest;
quae vel metaphy-
sica sunt, vel phy-
sica, vel historica,
§. II.

Ad primam classem re-
feruntur argumen-
ta a motus origine,
a de-

a dependentia rerum creatarum a fixis causis, itemque ab earundem contingentia, desumpta, §. III.

Ad secundam classem pertinet, amplitudo, ordo & dispositio huius uniuersi, omniumque rerum ad certum finem directio; quod & speciatim de sole, luna, ceterisque corporibus coelestibus, ad Numinis inde euincendam existentiam, ostenditur, §. IV.

Quo pacto ex telluris nostrae consideratione, eiusque thesauris ingentibus, in ea latitantibus, & in superficie eius conspicuis, itemque

ex animantium varietate, naturá, indole, structura, idem demonstrari queat, §. V.

item, ex consideratione hominis, & primo quidem corporis humani, §. VI.

tum & mentis, eiusque facultatum, §. VII.

non minus & originis, qua genus ipsum, qua singulos homines, §. VIII.

Ad tertiam classem referuntur origines regnorum & imperiorum, artium, scientiarum, unde constat, mundum hunc habere initium, & ea quidem ratione, qua Moses hoc memoriae prodidit, §. IX.

§. I.

VT tandem atheismum profligemus
 conuellamusque penitus, * Deum
 esse, tam intime animis hominum insi-
 tum atque infixum est, vt quilibet, qui
 rationis vsu pollet, & sanae mentis est,
 quamprimum hanc propositionem au-
 dit ac intelligit, non possit non ei as-
 sensum praebere, immo ad praebendum,
 instinctu quodam naturali trahatur; de-
 que eius veritate, nisi per summam ma-
 litiam resistat, conuincatur. * Merito
 itaque atheos primum ad ea, quae ipsi
 in mentibus suis deprehendere possunt,
 si modo velint, accuratius consideranda,
 ablegamus. Nec tamen RENATO CAR-
 TESIO, ex idea quadam Dei, nobis inge-
 nita, existentiam eius probanti, suffragari
 possumus. ***

* Remedia atheismi non sunt vnus generis.
 Alia enim sunt προφυλακτικά, quibus athe-
 ismus evitatur; quae iterum aut a nobis
 ipsis, aut aliis, qui nostri curam gerunt, ad-
 hibenda. Ad priorem classem pertinet, im-
 mo vtramque paginam facit, serium in vera
 Numinis, rerumque diuinarum cognitione, &
 pietate

pietate genuina, ac non fucata, proficiendi studium, pariter ac fuga & evitatio causarum omnium, quibus in atheismum homines praecipites dari possunt, de quibus *cap. praeced. §. VIII.* dictum est. Ad posteriorem classem pertinet studium illud, quod parentes, doctores scholarum & academiarum, ipsique magistratus, in iuventute rite educanda, rudioribus recte informandis, occasionibus atheismi quibusuis, de quibus *cap. praeced. §. III.* dictum, sedulo remouendis, collocare debent. Alia vero remedia sunt *Ἐγκατεντικὰ*, illis adhibenda, quos haecce pestis iam corripuit. Inter haec primum merito locum tenet consideratio attenta argumentorum, quibus Numinis existentia & praesidentia, dogmatumque cum hisce connexorum, item christianae religionis, veritas, & diuina scripturae sacrae auctoritas, comprobari solet. Quod si hac ratione ad erroris ac miseriae agnitionem atheus uterunque perductus sit, neutiquam ei ibi subsistendum, sed ut per veram poenitentiam & fidem, salutis, omnibus hominibus a Deo destinatae, compos fiat, ei annitendum est. Qua in re quo pacto se gerere debeat, luculenter exponit B. PHIL. IACOBVS SPENERVS, in *responsis theologicis germanicis prioribus part. I. cap. I. sect. XI. & XII. pag. 38. 39. seqq.* Nos missis reliquis, pro

instituti ratione, de argumentis, quibus atheus erroris conuinci queat, & ratione dubia eius soluendi, erimus solliciti.

** Hoc est, quod alias *notitiam Dei insitam* theologi vocare consueuerunt. Non equidem nescio, esse nonnullos, qui, dari eiusmodi notitiam insitam Dei, strenue negant. Atheos, eorumque patronos ac fautores, hoc facere, nemo mirabitur. Simul vero, cur & THOMAS HOBBSIVS in eandem ingressus sit sententiam, quilibet facile intelligit. Diserte vero tum alibi hoc docet, tum in *elem. de ciue cap. XIV. num. XIX.* Socinianos eandem hic inflare tibiam, notum est; quibuscum & Arminianos, quos vocant, facere, constat. De PETRO CHAVVINO idem a me iam obseruatum, in *dissertat. de pietate seu religione naturali*, quae extat in *selectis iuris natur. & gent. §. XIII.* Cum primis vero IOANNES LOCKIVS, philosophus nostrae aetatis clarissimus, omnes ingenii neruos in id intendit, vt omnem Dei & principiorum practicorum notitiam insitam prosciberet; *de intellectu humano lib. I. cap. II. & III.* cuius tamen rationibus abunde a me, ni fallor, satisfactum, in *institutionib. theolog. moral. part. II. sect. II. cap. V.* Res omnis facile expediri potest, si modo, quid per notitiam Dei insitam intelligamus, recte explicetur. Actu enim omnibus hominibus Dei notitiam

nem

nem non inesse, facile concedimus; cum ceteroquin nemo vnquam mortalium reperiretur, qui, Deum esse, ignoraret; quod experientiae repugnat. Multo minus negamus, insitam hancce notitiam per institutionis defectum, aut alias ob causas ita impediri posse, ne se exerat, aut, si etiam se exerat, per malitiam supprimi quodammodo & suffocari, renitente tamen & reluctante animo, quod in atheis contingere, supra obseruauimus. Hoc autem asserimus, inclinationem quandam efficacissimam & propensionem omnium hominum mentibus insitam esse, qua ad assensum propositioni, quae, Deum esse, eumque esse colendum, adfirmat, praebendum, vel inuiti trahantur. Idque est, quod B. IOAN. MVSÆVS noster docuit, notitiam hancce insitam consistere, in *potentia propinqua* propositionibus antea memoratis assentiendi; *introduc. in theolog. cap. II. §. XIX.* Alii equidem dicere malunt, quod in *dispositione quadam* aut *habitu analogice sic dicto* consistat, qua de re legenda, quae monet ZACHARIAS GRAPIVS, in *theologia recens controuersa, cap. I. quæst. III. pag. 15. 16. seqq.* sed res eodem tandem redit, vti B. MVSÆO iam obseruatum *loc. cit. §. XIX. num. V. pag. 54.* Quicquid vero de modo sit, res ipsa, seu dari talem notitiam insitam, posita

est extra controuersiam. Sane, si modo athei, & qui illis hac in re suffragantur, attendere ad se ipsos, & quae in mente sua ipsimet deprehendere possent, obseruare uellent, facile de rei huius ueritate conuinci possent. Liquidissime autem ea constat ex testimonio conscientiae, ob improbe facta homines de Deo ceteroquin non cogitantes, ipsos etiam atheos damnantis, & metum hinc atque terrorem incutientis. Idque porro & ipse Paulus apostolus confirmat, quando *opus legis*, hoc est, *legem ipsam, hominum cordibus inscriptam esse*, docet, *Rom. II. vers. 15.* Legis autem notitia esse nequit sine notitia legislatoris, qui transgressores punire potest. Quare & itatim addit: *συμμαρτυρέσης αυτοῖς τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογυμένων.* Ob poenae scilicet a Deo infligendae metum, ipsae cogitationes homines mox damnant, mox excusant. Accedit ad haec omnia uniuersalis gentium totius orbis, Deum esse agnoscentium, consensus. Nullam namque fuisse unquam gentem tam barbaram atque immanem, quae non Numen aliquod crediderit, illudque colendum censuerit, etiam ethnici scriptores agnouerunt. Hinc PLVTARCHVS bene & eleganter obseruat, si quis terrarum orbem perlustrat, eum vrbes inuenturum, muris,

muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiis etiam & theatris destitutas, urbem vero, *templis diisque carentem, quae precibus, iureiurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris auertere nitatur*, neminem vidisse unquam; *adu. Colotem p. 1125.* Cotta equidem, *multas se arbitrari*, dicit, *esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit*, apud CICERONEM, *de nat. deor. lib. I, cap. XXIII.* Praeterquam vero, quod nullam ille eiusmodi gentem nominet, ipse quoque ei repugnat CICERO, tum *loc. cit. cap. XVI.* tum alibi, tam alte omnium cordibus sensum diuinitatis insidere, asserens, ut falsum multi Deum colere maluerint, quam nullum. Quae autem de gentibus atheis apud veteres leguntur, ut de *Thoibus* apud PORPHYRIUM, *de abstinentia ab animatis, lib. III. pag. 132. de Nasamonibus* apud DIONYSIUM, *periegesi vers. 210.* aliisque, ad impios gentium illarum mores referenda esse, recte docet vir doctissimus, IO. ALBERT. FABRICIUS, in *bibliographia antiquaria, cap. VIII. §. III. pag. 229. seqq.* vbi plura hac de re adfert. Quae recentiores quidam scriptores de Brasilianorum in America, Castrorum in Africa, aliarumque gentium atheismo commemorant, incerto non tantum atque lubrico inniuntur fundamento, sed quasdam ex hisce re-

latio-

lationibus falsas esse prorsus, compertum est; quod ex instituto iam docuit IO. LVDOVICVS FABRICIVS, theologus quondam Heidelbergensis, in *apologetico pro genere humano contra calumniam atheismi*, inter opera eius iunctim edita, pag. 119. seqq. Idem & luculenter variis exemplis ostendit DN. LA CROZE, calumniam hanc, speciatim a Canadianis, Antillarum insularum incolis, Brasilianis, Cafris, seu Hottentottis, aliisque, testimoniis fide dignis depellens; *entret. sur divers. sujets d'histoire &c. pag. 254. seqq.* Iungendus his ex nostratibus ZACHARIAS GRAPIVS, in *theol. recens controuersa cap. I. quaest. VI. §. IV. pag. 32. seqq.* vbi itidem ex monumentis historicis ostendit, Brasilianis, Cafris, aliisque gentibus, perperam atheismum tribui. De Cafris etiam seu Hottentottis, conferendus CHRISTIAN. IVNCKERVS, in *vita Iobi Ludolphi, p. 227.* Nisi itaque intempestium studium atheorum numerum multiplicandi, & notitiam Dei insitam impugnandi PETRVM BAEIVM, acuti ceteroquin ingenii virum, in transuersum egisset, nunquam tam incertis de integrarum gentium atheismo, relationibus, fidem adhibuisset, quod tamen eum fecisse, constat, *dictionar. histor. crit. pag. 1799. continuat. des pensées diverses &c. §. CXIII. p. 537. seqq. reponse aux quaest. &c. tom. IV. cap. XI. XII. pag. 136. seqq.* alibique. De Chinenis equidem, de quibus dans

la

la continuat. loc. cit. ex instituto agit, concedimus, nonnullos inter eos, qui eruditi & philosophi videri volunt, eiusmodi de Deo, animo concepisse notionem, quae a Spinozismo prope abest; idque & iam a me obseruatum, in *differat. de Spinozismo ante Spinozam, §. XXIII.* Quemadmodum vero isti non alio loco, quam athei Europaei habendi, qui, dum nimis sapiunt, stulti euadunt; ita ista quorundam philosophorum sententia, toti genti Chinesium tribui nequit. Nec praetermittendum, quod nonnulli obseruant, Chineses istos philosophos de prouidentia quadam; deque bonarum actionum praemiis, & de poenis malorum, talia docere, quae cum pleno atheismo conciliari nequeant. De Siamensibus, quibus iridem atheismum PETRVS BAEIIVS obiscit, *diff. histor. crit. voc. Siamona Codom p. 2751.* idem docet vir clarissimus IO: CHRISTOPHORVS WOLFIVS, de *atheismi falso suspectis, sect. II. §. VIII.* Ex vniuersali itaque (vt nunc eo, vnde digressus sum, redeam) gentium omnium, & totius velut humani generis consensu, recte colligitur, hanc de Deo notitiam cordibus omnium mortalium insitam a Deo atque infixam esse. Si enim, quantopere gentes opinionibus, moribus, institutis, ritibus, a se inuicem differant, consideremus, si porro cogitemus,

quot

quot quantaque in hisce omnibus in vna eademque gente contingere soleant mutationes, vt vna eademque gens post aliquot secula vix sibi similis esse videatur, (quod vel Germanorum exemplo patet,) at in Numinis sensu tot tamque innumeras fere gentes, idque per tot secula, inter se consentire, manifestum est, non aliam eius rei causam esse posse, quam naturalem illam & a Deo omnium mentibus insitam propensionem, qua omnes ad veritatem hanc admittendam natura feruntur. Certe ab educatione, aut alio quodam instituto humano, vniuersalis hic consensus nequitiam deriuari potest. Educationem enim non ob stare, quo minus liberi in plurimis rebus diuersas admodum a parentum placitis opiniones sectentur, & hac opiniones, aequae ac mores ac vitae instituta varia, ita tandem inualescant, vt integrae gentes a maiorum suorum placitis, moribus, institutis abeant, experientia quemuis condocere potest. Ex educatione itaque consensus ille vniuersalis deriuari nequit. Si dicas, reges, principes ac magistratus operam dedisse, vt ista de Deo opinio aut introduceretur, aut recepta conseruaretur, ac propagaretur, eo quod viderent, religionem ad continendum in obsequio populum valde sibi vtilem esse, primo quidem respondeo, religionem in po-

populo quodam a principe aut magistratu primum introductam esse, ne vnico quidem hactenus comprobatum est exemplo. Non nego, principes, rerumque dominos aliquando religione hunc in finem vsos, adeoque religionem amplificasse, diligentius inculcasse, aut varia, quae ad rem suam facere putabant, circa eam sanciuisse; sed eos gentem quandam omnis religionis expertem primum ista notitia imbuisse, ne vnico quidem comprobatum est, aut probari potest exemplo. Numa sane Pompilius ritus & ceremonias varias apud Romanos instituit, vel vt L. ANNAEVS FLORVS loquitur: *ille sacra & ceremonias omnemque cultum deorum immortalium docuit, ille pontifices, augures, salios, ceterosque per sacerdotia, annum quoque in duodecim menses &c. descripsit, libr. I. cap. II.* sed, si quis existimaret, Romanos ante Numam religione omni notitiaque Numinis destitutos fuisse, is ignorantiam suam proderet, seque ipsum traduceret turpiter. Eundem vero Numam, & deinceps alios quosdam, religione, qua populum iam imbutum inuenerunt, quandoque ceu dominandi instrumento vsos, adeoque ad eam conseruandam ac propagandam aliquid contulisse, non inficiatus fuerim; sed num inde vniuersalis ille gentium omnium in Numine quodam agnoscent.

scendo consensus oriri potuit? Immo certissimum est, paucissimis regum principumque, praesertim inter gentes barbaras hoc in mentem venisse, quod religione ceu instrumento dominandi vti voluerint. Vti enim religio citra controuersiam pro firmamento reipublicae & fulcro firmissimo est habenda, ita paucissimos regum principumque inter barbaras maxime gentes esse existimo; qui illud intelligunt, aut eum in finem conseruare, ac propagare religionem, in animum inducunt suum. Obiicit equidem vltcrius PETRVS BAELIVS, multas haud dubio gentes nobis nondum cognitae esse; consensum etiam gentis integrae vrgeri non posse, nisi de singulorum hominum, qui gentem istam constituunt, sententia constet; adeoque ad vniuersalem gentium omnium consensum prouocari non posse; *contin. des pensées, §. XIII. p. 55. seqq.* Praeterquam vero, quod nondum constet, an gentes quaedam adhuc nondum cognitae extent, si vel maxime hoc concedamus, illae tam exiguum orbis tenebunt spatium, vt cum toto orbe, qui nobis innotuit, comparatae, minime in censum vehiant. Multo minus de eorum atheismo suspicio nobis oriri debet, cum ex reliquarum, recentiore aetate detectarum gentium exemplo eas, si quae adhuc tales sunt, religione, Numi-

Numinisque non carere sensu, iudicare, pronum sit. Quod vero de vna aliqua gente dicitur, eam Deum credere, & colere, de omnibus & singulis, qui eam constituunt, tamdiu merito firmiter creditur, donec contrarium demonstretur.

*** Quo pacto RENATVS CARTESIVS, ex idea Dei nobis innata, existentiam eius probare annisus sit, ex *principior. eius philosoph. part. I. §. XIII. item XVII. seqq.* vt & ex *meditationum eius, de philosophia prima, medit. III.* aliisque scriptis, quibus aduersariorum suorum obiectiones diluere conatus est, notum est. Summatim sententia eius sequenti ratiocinatione comprehendipotest. Cum omnes homines ideam rei infinitae & summe perfectae in mente habeant, illa vero idea aliunde, quam a re infinita & summe perfecta proficisci nequeat, sequitur, rem infinitam & summe perfectam, hoc est, Deum, existere. Accedit altera ratiocinatio, quae vltcrius mentem eius exprimit: Quicquid ad rem, cuius ideam in mente habeo, pertinere, clare & distincte percipio, id ad rem illam reuera pertinet; existentiam autem ad rem infinitam & summe perfectam, Deum scilicet, cuius ideam in mente habeo, pertinere, clare & distincte percipio; ergo ad rem infinitam & summe

Δα

per-

perfectam, Deum scilicet, cuius ideam in mente habeo, pertinet existentia. Quantumvis autem certo persuasus sim, Cartesium alios vtraque hacce ratiocinatione fallere noluisse, ipsum tamen falsum esse, nec minus eos, qui illum coeco impetu sequuntur, falli, certum est, cum neutra recte procedat. Ad priorem enim quod attinet, obseruandum, vocem *ideae*, quicquid etiam dicat, aut in quamcunque se vertat partem Cartesius, nihil aliud significare, quam actum mentis, quo obiectum aliquod exhibetur, atque repraesentatur. Licet itaque obiectum res infinita & summe perfecta sit, ipsa tamen idea finita est & imperfecta. Infinitum enim obiectum ab intellectu finito non nisi imperfecte & inadaequate concipi potest. Falsum itaque est, quod in assumptione prioris ratiocinationis dicitur, ideam rei infinitae & summe perfectae, quae in nobis est, non aliunde, quam a re infinita & summe perfecta proficisci posse. Neque necesse est, vt causa quaedam infinitae potentiae & perfectionis, ideae huic assignetur, cum eadem ratione, qua reliquae ideae finitae producuntur, & haec produci queat. Nimirum, si ex rebus creatis omnibus, quae nobis notae sunt, quicquid perfectionis rationem habet, colligatur, remoueat contra, quicquid cum imper-

perfectione quadam coniunctum est, facili negotio ideam entis perfectissimi ipsimet nobis formare possumus. Sequitur itaque ex idea entis perfectissimi, non statim colligi posse, ens eiusmodi perfectissimum reuera quoque existere. Non minus tamen & altera ratiocinatio fallit. Propositio enim: *Quicquid ad rem, cuius ideam in mente habeo, pertinere clare & distincte percipio, id ad rem illam reuera pertinet*, tum demum admittenda, si idea intelligatur rei reuera existentis. Ita ergo haec propositio concipienda foret: *Quicquid ad rem, cuius ideam in mente habeo, (quae reuera existit) pertinere clare & distincte percipio &c.* Et tum quidem ratiocinatio haec nihil probat, cum iam supponat id, de quo quaeritur. Sin vero propositio generatim etiam de re, extra mentis nostrae operationem non existente, intelligatur, falsa est. Multa enim per mentis operationem, certam quandam ideam mihi formando, rei in mente tribuere possum, quae tamen non statim ad rem istam, prout extra mentis operationem reuera existit, pertinent. Quemadmodum itaque antea diximus, hominem sibi ideam entis summe perfecti formare posse, ita etiam eadem opera existentiam necessariam in hacce idea includit, ut tamen nullo modo inde sequatur, rem

cuiusmodi summe perfectam & necessario existentem, reuera etiam existere. Sed plura non addo, cum alii iam sophisma in haec Cartesii demonstratione latitans, accurate detexerint; prae ceteris autem B. IOANNES MVSAEVS, in *introd. in theolog. cap. II. §. XXIII. pag. 61. seqq.* & PETRVS DANIEL HVETIVS, in *censura philosophiae Cartesianae, cap. IV. pag. 58. seqq.*

§. II.

Argumenta, quibus existentia Numinis probari potest, & solet, non sunt vnus generis.* Possunt tamen commode ad tres reuocari classes, quarum prima metaphysica, altera physica, tertia historica complectitur.**

Ad *acquisitam* itaque, quam vocant, Dei *notitiam* nunc accedimus, eamque accuratorem, quae certis & inuictis argumentis nititur. Rudior enim illa, quae ab institutione, seu parentum ac praeceptorum traditione oritur, nunc nobis in censum non venit.

* Addere nonnulli argumenta moralia atque mathematica solent. Sed cum in illis subinde aliquid supponatur, quod probandum erat,

erat, aut ad alium fontem reduci queant, haec autem haud raro incommodo quodam laborent, iis non insistemus. In tanta etiam argumentorum multitudine & evidētia, quae vel sola physica suppeditat, reliquis facile carere possumus. Ceterum licet physica & historica magis ad captum omnium hominum sint accommodata, metaphysica tamen ideo spernenda aut praetermittenda non sunt, cum, si recte adhibeantur, vi ac robore insigni polleant.

§. III.

Ad primam classē pertinent argumenta, a motus origine, a dependentia rerum a suis causis, itemque, a rerum creaturarum contingentia, & quae alia sunt eiusdem generis, desumpta. Hinc enim primum aliquem motorem, primamque causam, a qua reliqua omnia dependeant, & ens aliquod necessarium, (quae omnia in solum Deum quadrant,) dari, luculentissime euincitur.*

* Primum argumentum ex philosophia Aristotelica fluxit, & apud scholasticos longe est vstratissimum, immo apud nonnullos tantū aestimatur, ut ex eo solo firmiter existentiam Dei demonstrari posse, existiment. Est sane systemati Aristotelis prorsus accom-

modatum; quod, licet a nobis iuxta ea, quae supra disputauimus, merito reiiciatur, transferri tamen argumentum potest, ad veri Dei existentiam demonstrandam. Cum enim ipse motus a nemine, nisi sensibus & ratione destituito, negari queat; motus vero omnino causam quandam, vnde procedat, agnoscat; in hisce causis autem necessario ad primum motorem perueniendum sit, qui alius, quam Deus, esse nequit, rectissime, Deum dari, inde concluditur. Nititur sane tota haecce ratiocinatio duobus principiis; quorum alterum est: *quicquid mouetur, ab alio mouetur*; alterum: *in mouentibus non datur processus in infinitum*; quae quidem nonnulli nondum extra omnem dubitationem posita esse, arbitrantur. Ad prius enim quod attinet, obiiciunt, dari substantias etiam corporeas, quae a se ipsis moueantur; non itaque semper procedere: *quicquid mouetur, ab alio mouetur*. Circa posterius autem monent, euitari posse primum motorem, vim mouendi a se habentem, si recurratur ad successionem causarum infinitarum, per accidens subordinatarum. Verum haec nondum eiusmodi sunt, vt vim argumenti, in sensu vero & genuino adhibiti, infringant. Etsi enim substantiae quaedam, etiam corporeae, dentur, quae se ipsas moueant, aut mouere videantur, dispiciendum

dum tamen, num hicce motus, aut facultas se mouendi, a materia, aut alio quodam principio sit? Si posterius dicas, rursus quaerendum, quodnam illud principium sit, & vnde istam facultatem habeat? quo ipso athei ad principium aliquod a materia distinctum, quod omnis motus prima causa, seu primus motor sit, agnoscendum, deducuntur. Sin prius asserant, admittendum iis est, motum materiae esse essentialem; quo ipso tamen nihil aliud agent, quam vt ignorantiam suam prodant. Praeterquam enim quod ipsi notioni materiae, quae omnium mentibus insidet, hoc non conueniat, si motus materiae essentialis esset, sequeretur, materiam semper moueri, nec posse vnquam quiescere, adeoque ad corpora varia producenda vel constituenda prorsus esse ineptam. Qua de re recte SAM. CLARKIVS pronuntiat: *Si atheus affirmauerit, motum omni materiae in genere esse necessarium, sequitur, contradictionem esse expressam, supponere vllam materiam quiescere, quod sane ita est absolum, vt nullus atheus, quod haetenus nouimus, siue sit antiquus, siue ex recentioribus, id supponere fuerit ausus; in demonstrat. existentiae atque attributorum Dei, ad propos. III. pag. m. 30.* Addit, IOANNEM TOLANDVM equidem, vt demonstraret, se haec etiam re impudentia omnes

atheos vincere, asserere ansum, motum, id est, conatum ad motionem, materiae omni esse essentialem; sed quam infeliciter, quamue insipienter hoc fecerit, *loc. cit.* pluribus demonstrat. Legenda &, quae hac de re differit IAC. ABBADIE, de *veritate & certitudine christiana religionis sect. I. cap. V. pag. m. 36.* editionis, quae lingua germanica prodiit. Alterum primi argumenti fundamentum: *in mouentibus non datur processus in infinitum*, simul nos ducit, ad secundum argumentum, quod a *dependentia rerum creatarum a suis causis*, desumtum est. Certum est, nihil posse sui ipsius esse causam; unde simul patet, causas rerum adspectabilium ab aliis causis iterum dependere; adeoque, nisi processum in infinitum admittere velimus, in prima tandem aliqua causa subsistendum esse, quae non sit alia, quam ipse Deus. Ut vero exceptionibus, quae circa hocce principium adferri possent, occurramus, obseruandum, processum in infinitum in causis efficientibus duplici ratione concipi posse, *ut vel ascendendo fiat a causis inferioribus ad superiores, vel descendendo ab vniuersalibus causis ad proximas.* De posteriori modo nullum est dubium, cum experientia doceat, nec ipsi negent athei, processum causarum tandem in causa proxima, quae effectum producat, terminari.

Prior

Prior modus iterum de causis aut per se, aut per accidens subordinatis, potest intelligi. Causae per accidens subordinatae hic eundem in censum non veniunt, interim tamen certum, in utroque genere, praesertim in causis per se subordinatis, infinitam causarum successionem admitti non posse. Causa enim, per infinitam distantiam ab effectu remota, nunquam ad effectum pertinet, adeoque non erit causa, quamvis etiam talis causa per infinitam distantiam remota, & per infinitas causas subordinatas agens, ne quidem concipi queat, cum semper ulterius sine omni fine & termino ascendendum sit, nisi tandem in prima quadam causa, a qua reliquae dependeant, subsistamus. Tertium argumentum a rerum contingentia, quam vocant, desumptum, in metaphysicorum scholis itidem admodum frequens est. Nimirum, cum contingentia, quae possunt esse & non esse, aliquando etiam non sint, aut non fuerint, reuera non essent, nisi daretur eis necessarium; quia, quod ab alio esse suum non accipit, existere nequit. Illud vero aliud non potest non esse ens necessarium, quia, quod contingens est, certo effectum producere nequit. Necessitas vero vel ex causa quadam oritur, vel non oritur. Posterius si intelligatur, tum ens per se necessarium admit-

tendum, quod solus erit Deus. Prius vero si in-
 nuas, tandem tamen ad causam necessariam,
 quae aliunde non sit, adeoque per se sit neces-
 saria, deueniendum erit. Mitto reliqua, quae
 eundem in modum a scholasticis praecipue
 doctoribus ad euincendam Numinis exi-
 stentiam, adferri in medium solent. Ex re-
 centioribus omnium optime in hocce argu-
 mentorum genere mihi versatus videtur SA-
 MVEL CLARCKIVS, cuius *demonstrationem*
existentiae & attributorum Dei aduersus Hob-
besium & Spinozam potissimum, ex anglicana
 lingua in latinam transtulit IENKINVS THO-
 MASIVS. Ex principiis enim euidentissimis,
 riteque inter se connexis, more quodam
 geometrico, quae ratio de Deo eiusque at-
 tributis cognoscere potest, deducit. Quam
 eius demonstrationem, vt in compendio ex-
 hibeamus, prima propositio est: *Quod ab*
aeterno aliquid extiterit. Etenim licet ipse
 aeternitatis conceptus, si de modo quaeratur,
 obscurior sit, ipsa tamen propositio tam cui-
 dens est, vt vllum eam negaturum atheum non
 sit credibile. Altera propositio est: *Quod ens*
immutabile & independens ab aeterno extite-
rit. Entia namque dependentia vt aeternam
 habeant successione, & sine omni prima &
 independente causa existant, fieri nullo modo
 potest. Sequitur tertia propositio: *Quod ens*
illud immutabile & independens, quod sine vlla
causae

causa externae suae existentiae ab aeterno fuit, non possit non per se existere, hoc est, necessario existere. Evidenter hoc demonstrat, simulque ostendit, ideam Dei existentiam per se includere, ita tamen, ut idea haec non tantum in mente existat, sed per obiectum extra nos constitutum, producat; quo ipso a Cartesio dissentit; cuius tamen sententiam, si recte capiatur, non prorsus reiiciendam existimat. Recte etiam docet, & evidenter demonstrat, per ens illud immutabile, independens, & per se necessario existens, mundum materialem nullo modo posse intelligi; qua occasione & IOANNIS TOLANDI sententiam, motum esse essentialem materiae, ut antea diximus, profligat, erroremque SPINOZAE, unam tantum dari substantiam, refellit. Hinc cum *propositione quarta* ostendisset, nos *essentiam entis huius per se & necessario existentis, comprehendere non posse*; *propositione quinta* docet: *multa attributa essentialia eius naturae aequae esse demonstrabilia, ac eius existentiam*; scilicet, quod *necessario debeat esse aeternum*; item, *infinite & omnipraesens, prop. VI. non nisi unum, prop. VII. intelligentia & libertate praeditum, prop. VIII. & IX. &c.* Singularum istarum propositionum demonstrationes apud ipsum auctorem legi possunt.

§. IV.

§. IV.

In altera argumentorum classe, primum conspectus totius huius vniuersi, siue ipsum mundi systema, se nobis offert, cuius si spectes & amplitudinem, & in innumerabili corporum numero ac multitudine ordinem, aptissimamque dispositionem, omnium praeterea ac singulorum ad certos vsus finesque directionem, ab eo hoc profectum agnoscas oportet, qui maiestatem suam summam, atque potentiam, sapientissima quadam ratione demonstrare voluit. * Id quod & speciatim de sole, luna, ceterisque corporibus coelestibus, dicendum esse, nemo, nisi coecus, rationisque omnis expers, diffitebitur. **

* Vt non casu fortuito, sed ratione certa, sapienterque, aliquid factum censeatur, primo quidem requiritur, vt effectus potentiae & virtuti auctoris respondeat, quoue amplior haec est, eo magis in illius *magnitudine* exsplendescat; tum vt operis magnitudini *varietas & multitudo* rerum, quas continet, conueniat; praeterea, vt in summa varietate *ordo* elegantissimus, aptissimaque dispositio

litio

sitio elucescat; & tandem, vt cuncta certo
usui inseruiant, & ad *finem* suum accurate
conspirent. Haec omnia, vbi iunctim in
opere quodam conspiciuntur, sapientia ar-
tificis tam euidenter cognoscitur, vt men-
tem omnem rationemque amisisse merito
censeatur, qui eam agnoscere nolit, aut
sibi aliisque persuadere annitatur, casu for-
tuito eiusmodi quid extitisse. In hocce
vero vniuersi systemate ista conspici, res
ipsa docet. *Amplitudo* tanta est, quam
nemo mortalium cogitatione assequi va-
leat, adeoque ratione nostri recte infinita
dicitur. Si distantiam primum lunae, tum
solis, ceterorumque planetarum a nostra tel-
lure cogitemus, si porro distantiam reliqua-
rum stellarum a sole reliquisue planetis, si
ingens illud spatium, quod stellae istae innu-
merae, tellure nostra, si non multo maiores,
certe non minores, occupant, animo volua-
mus, statim tantam vniuersi huius deprehen-
demus magnitudinem, vt non alium, quam
cuius infinita maiestas pariter ac potentia
sit, agnoscere auctorem queat. Quodsi
vero porro, secundum recentiorum hypo-
thesin, quaelibet stella fixa solis instar sit,
qui suum orbem habeat, circa quem etiam
forte planetae voluantur, tam augusta orbis
se nobis offeret species, vt nihil augustius
vnquam cogitari queat. Nec tamen, si vel
maxi

maxime haec hypothesis non admittatur, amplitudini totius huius vniuersi quidquam inde decedet. Magnitudini eius, rerum, quae in eo continentur, *varietas* respondet. Documentum vel ex nostra tellure capere licet, in qua tot lapidum, aliarumque rerum inanimatarum, tot arborum, plantarum, herbarum atque florum, tot animalium genera, & cuiuslibet generis tot iterum species deprehendere licet, vt hisce omnibus capiendis, aut enumerandis, animus hominis vix sufficiat. Sunt, qui volucrum quingentas species numerant, & piscium sexies plures; vnde de reliquis facile iudicium ferre licet. Non equidem astronomorum, de planetarum incolis ita loquentium, ac si ipsimet ibi adfuissent, coniecturis multum tribuo, id tamen sine omni temeritate dici posse, existimo, cum tanta rerum creatarum in nostra tellure sit varietas, vix credibile esse, tam ingentia corpora plane vacua esse, immo admodum verosimile, non minorem rerum, summam Numinis & potentiam & sapientiam demonstrantium, in illis varietatem deprehendi, quam in nostra tellure. Quo maior autem rerum creatarum est varietas ac multitudo, eo elegantior *ordo*, eo aptior & concinnior in his omnibus *dispositio* deprehenditur. Ipsorum corporum coelestium & inter se
 inui-

inuicem, & ratione nostrae telluris, is positus est, vt non tantum se inuicem non impediant, sed vt vnum alteri insignem vtilitatem commodaue plurima adferat; quod vel solis atque planetarum, intuitu nostrae telluris situs, vnumquemque condocere potest. Alphonso equidem Castiliae regi coelestium corporum systema adeo confusum apparuisse, memorant, vt longe melius atque ordinatius constitui potuisse, putauerit, si in vniuersi huius creatione Deus ipsum adhibuisset in consilium. Quod impium non minus, quam stolidum eius dictum, summam hominis ignorantiam prodit, quantumuis in astrorum scientia haud mediocriter se profecisse sibi videretur. Certe, si nostri seculi mathematicos, pulcherrimum corporum coelestium ordinem, sine omni confusione explicantes, audiret, haud dubio longe aliter sentiret. Haecce autem corpora tam ingentia, tamque apte disposita, vt iterum vna cum tellure nostra, rerum creatarum infinitae multitudini habitacula praebent, ita istae res creatae in sua genera, & haec iterum in species suas tam concinne distributa sunt, vt exercitus ingentis, in quo primum integras legiones, in legionibus cohortes, in cohortibus manipulos conspiciere licet, speciem referant. Vnde & haud raro in scriptura sacra Deus, *Domi-*

mus exercituum dicitur, quemadmodum & ipsa sidera seu corpora coelestia subinde *exercitus coeli* vocantur, tum ob multitudinem, tum ob ordinem in illis conspicuum. Ad haec omnia vsus omnium atque singulorum corporum istorum accedit, & sapientissima ad certum finem directio, quae vt omnem casum fortuitum prorsus excludit, ita causam liberrime pariter ac sapientissime agentem supponit. Quemadmodum vero vel ipsa telluris nostrae indoles evidentissime ostendit, eam sapientissimo consilio ita adaptatam, vt hominibus animantibusque, quae in ea degunt, commodum domicilium praeberet, & reliqua omnia, quae ad sustentationem & propagationem eorum necessaria sunt, suppeditaret, ita solem ipsum, lunamque, eundem habere finem, vt terrae incolis itidem inservirent, eorumque commoda varia ratione promouerent, nemo, nisi imprudentissimus impudentissimusque mortalium, inficiatus fuerit. Hinc vero etiam de reliquis corporibus coelestibus ferendum iudicium; quorum licet nobis non adeo explorata sit ratio, nullo tamen modo dubitandum, ea ad fines nobilissimos praestantissimosque, etsi nobis maximam partem incognitos, esse comparata. Etenim cum quaelibet animalculorum, etiam minutissimorum, membra vsus suum

suum certissimum habeant, & ad certum finem fiat comparata, quis dubitaret, ingentia illa nobilissimaque corpora, quae tellurem nostram magnitudine aut aequant, aut superant, sine omni atque usu destitui. Quemadmodum vero etiam hodie, post artem anatomicam diligentius excultam, de usu singularum partium, quibus animalia constant, multa nobis innotuerunt, quae Galeno, aliisque veterum, non fuere perspecta; ita etiam si natura indolesque corporum coelestium accuratius nobis innotesceret, longe plura de eorum usu ac fine dici possent, quae hodie nobis non satis sunt explorata.

* Priusquam ad singulorum corporum coelestium considerationem descendamus, generatim primum obseruare iuuat, ipsa haec corpora solida esse, aetheri tamen, utpote corpori maxime fluido, velut innatare. Vtrumque autem, ut moueri, ea, qua debebant, ratione possent, prorsus erat necessarium. Corpori enim solido, nisi per fluidum transitus pateat, motus eius continuari nequit. Rursus, si corpus, quod moueri debet, compactum non esset, atque solidissimum, in motu isto velocissimo, quo corpora coelestia abripiuntur, mox dissolueretur. Quo minus autem hoc fieret, Deus

Bb

corpo-

corporibus hisce grauitatem indidit, qua efficitur, vt, quantumuis motus, quo feruntur, circūlaris, maxime violentus sit, cum, quaecunque in circulum mouentur, vi quadam naturali a centro discedere conentur, & nisi alia causa obstet, discedant, non tamen dissoluantur, cum per grauitatis leges cuncta ad centrum suum descendendo eo arctius cohaereant, & omnem dissipationem impediunt. Quantumuis autem philosophi in causa grauitatis inuestiganda desudent; certum tamen, hanc a conditore huius vniuersi constitutam; & vltimato tandem eius summam potentiam sapientiamque hic agnoscendam esse; conf. RICHARDVS BENTLEIVS, in *stultitia & irrationabilit. atheismi pag. 160.* Eandem potentiam sapientiamque summam, motus corporum coelestium, tum reuolutionis, quem vocant, tum quorundam circa alia corpora, luculenter demonstrat. Id sane vel solis exemplo patet, qui si ea ratione non moueretur, diei non tantum & noctis, sed aestatis & hiemis, veris & autumnus, vicissitudinibus gratis non minus, quam necessariis, nobis carendum esset. Immo sine motu solis reuolutionis nec homines, nec animalia, viuere in nostra tellure possent, cum vnum hemisphaerium propter frigus & tenebras perpetuas, alterum propter aestum & calorem summum

prof.

prorsus inhabitabile futurum esset. Ad alterum vero motum quod attinet, qui diei atque noctis discrimen constituit, si quis vel maxime Copernici systema amplectatur, nostrae tamen id non obstabit causae, cum & in telluris isto motu non minus potentia Numinis sese manifestatura esset. Quicquid huius sit, motus ille corporum coelestium ita comparatus est, vt necessario sapientiam diuinam arguat, cum ex solis legibus mechanicis, seposita Numinis omnipotentia, nullo modo explicari queat, quod secundum principia ISAACI NEWTONI, praestantissimi nostrae aetatis mathematici, eleganter demonstrat GEORGIUS CHEYNE, in *principiis philosophicis religionis naturalis*, apud IOANNEM CLERICVM, *biblioth. anc. & mod. tom. III. part. I. artic. II. pag. 52. seqq.* Vel ipse ordo & constantia incredibilis, quae in corporum istorum motu conspicitur, omnes & ad illorum admirationem, & mentis sapientissimae, quae ea ita disposuit, agnitionem adducere potest. Quod vt ipse TVLLIVS probe intellexit, ita rectissime hac de re pronuntiat: *Coelestem admirabilem ordinem incredibilemque constantiam, ex qua conservatio & salus omnium omnis oritur, qui vacare mente putat, is ipse mentis expertus habendus est; de natur. deor. libr. II. cap. XXI. pag. m. 122.* Immo haec ipsa ratio est, cur

gentiles, attentius ista considerantes, astris diuinitatem tribuerent, & ea pro diis colerent, saltem mentem aut intelligentiam illis adderent, quae Aristotelis fuit sententia. Quae de re iterum CICERO: *Hanc igitur in stellis constantiam, hanc tantam, tam variis cursibus in omni aeternitate conuenientiam temporum, non possum intelligere, sine mente, ratione, consilio. Quae cum in sideribus inesse videamus, non possumus ea ipsa non in deorum numero reponere, loc. cit.* Perperam quidem, quod ideo sidera ipsa in deorum numero posuerint, aut iis mentem tribuerint; rectissime tamen, quod collegerunt, motum istum ordinatum constantissimumque, summam supponere sapientiam, quam omnino ei, qui illum stellis indidit, tribuere debebant. Generatim, quod de corporibus coelestibus eorumque motu dixit, id & speciatim de stellis, quas vocant, erraticis, seu planetis, recte pronuntiat idem, quem iam laudauimus, TVLLIVS: *Maxime vero sunt admirabiles motus earum quinque stellarum, quae falso vocantur errantes; nihil enim errat, quod in omni aeternitate conseruat progressus, & regressus, reliquosque motus constantes & ratos. Quod eo est admirabilius in his stellis, quas dicimus, quia tum occultantur, tum rursus aperiuntur, tum abeunt, tum recedunt, tum antecedunt, tum subse-*

subsequuntur, tum celerius mouentur, tum tardius, tum omnino ne mouentur quidem, sed ad quoddam tempus insistant, &c. loc. cit. Iam si speciatim *solem* consideremus, etsi ipsa eius magnitudo, qua CLX vicibus ad minimum tellurem nostram superat, cum splendore summo omnes merito in admirationem rapiat, summa tamen etiam, quam telluri nostrae praestat, vtilitas, sapientiam conditoris luculentissime arguit. Sine eo si tellus nostra esset, animalibus omnibus hominibusque ea destitueretur. Nullas proferret fruges, quae animantibus hominibusque alendis inseruiant; adeoque si vel maxime homines aut animantia nascerentur, fame illis pereundum esset. Esto vero, (quod tamen fieri prorsus nequit) viuere aut homines, aut animantia sine sole posse, miserrima tamen vita esset, cum iis cum frigore summo, perpetuisque semper colluctandum esset, tenebris. Et quid quaeso homines sine luce agere aut suscipere possent? Idem & de *luna* dicendum, commoda ex ea plurima in nostram tellurem redundare. Ad temporum interualla, siue quibus vita hominum socialis sibi non constat, rite constituenda, ea plurimum confert; longae noctis taedia pellit; iter in terra marique facientibus prodest; fluxum atque refluxum maris, ne quiete corrumpatur, promouet;

& quis reliqua eius commoda omnia enarret? Dubium enim prorsus nullum est, quin vsus longe adhuc nobiliores praestantioresque habeat, qui nobis noti non sunt: id quod & de reliquis planetis est censendum. Immo ipsae solis lunaeque eclipses vsu suo non destituuntur, si quidem ad temporum rationes accuratius ordinandas, hinc & ad chronologiae ac historiae defectus emendandos, ad longitudinem locorum determinandam, plurimum faciunt; *conf. IOAN. RAYI existentia & sapientia Dei manifestata in operibus creationis, pag. m. 69.* Haec omnia, quae hactenus diximus, tam euidencia sunt, vt nihil plane atheis relictum existimem, quod excipere queant. Nonnulli tamen, vt aliquid dixisse videantur, aequatoris & eclipticae situm in coelo perstringunt, eum parum commodum esse, contendentes, eo quod angulo sese mutuo intersecent duo isti circuli, viginti trium graduum amplitudinem circiter complectente. Hinc enim euenire necesse est, vt pars media telluris nimio aestu aduratur, duae extremae ob nimium frigus fere inhabitabiles reddantur. Et hoc quidem est, quod iam pridem ex mente Epicuri in systemate hocce huius vniuersi desiderauit TITVS LVCRETIVS CARVS:

Inde

*Inde duas porro prope partes feruidus
ardor,*

Affiduusque geli casus mortalibus aufert:

de rerum natura libr. V. pag. m. 154. edit. OBERTI GIFANII. Sed hosce homines experientia refellit; quae ea loca habitari docet, quae veteres pro inhabitabilibus habuere. Situs praeterea hicce telluris ratione solis ita comparatus est, vt commodior nullus fingi queat, cui gratissimas vtilissimasque vicissitudines, quibus quatuor anni tempora sibi inuicem succedunt, variationem insuper illam, quae in diuersa dierum longitudine deprehenditur, debemus. Legenda, quae eleganter hanc in rem disserit RICHARDVS BENTLEIVS, in *stultitia & irrationabilitate atheismi*, pag. 401. seqq.

§. V.

E coelo si in terram descendamus, nec minora, nec pauciora, sapientiae diuinae se se nobis offerunt argumenta. Ipsa enim tellus nostra in omnibus ita adaptata & instructa est, vt commodius pro tot hominibus & animantibus, quae alere ac sustentare debebat, habitaculum nullo modo excogitari queat; * ne quid de ingentibus, quos ad hominum stuporem

rem 'quotidie profert, thesauris aliquid dicam.** Ipsa vero animantia, vt multitudine innumera sunt, ita corpora quoad omnes singulasque partes aptissime constructa habent, prout loci, in quo degere debebant, alimenti, quo nutriendi erant, conseruationisque, qua integram speciem, qua singula indiuidua, ratio postulabat.***

■ In telluris nostrae consideratione primum quatuor vulgo sic dicta elementa merito in censum veniunt; *ignis, aqua, aër, & terra.* Reliqua omnia si hominibus suppeterent, *igne* vero destituerentur, non tantum misera maxime vita eorum futura, sed multis etiam frigore pereundum esset. Qui ignis porro commoda intelligere cupit, is saltem cogitet, quid ad metalla rite tractanda conferat; quot & quam necessaria ad agriculturam, rem domesticam, & militarem, ad artium quoque variarum progressum & incrementum, inde conficiantur instrumenta; quem in nobilissimis praestantissimisque medicamentis, ad hominum sanitatem conseruandam aut reparandam, praebat vsum; quam eo in cibus coquendis carere nulla ratione queamus. Quam vero vtilis & necessarius ignis est, tam facile excitari aliquo potest;

potest; materiae quoque, vt lignorum atque arborum, tanta est abundantia, vt tot hominum, tot gentium necessitatibus sufficiat. Qua in re vel maxime prouida Numinis cura elucescit, quod rerum ad hominum vitam sustentandam necessariarum tantam in tellure nostra copiam extare voluerit, vt earum non temere defectus vllus metuendus esset. De igne quod diximus, idem & de *aqua* censendum. De vsu eius in vita quotidiana, lotionibus, balneis, ciborum praeparatione, nihil dicam, cum hic omnibus satis notus sit. Pretium eius illi, ni fallor, quam rectissime intelligunt, qui eius penuria laborant, quamuis tanta copia itidem suppeditetur, & tam apte per fluuios & riuos distribuatur, vt homines animantiaque innumera quotidie ea sitim restringere queant. Non vero hominibus tantum pecudibusque, si aqua non esset, pereundum esset, sed plantis quoque arboribusque & herbis omnibus terra destitueretur, quae aquae cum primis incrementum & conseruationem debent. Eo magis autem ad haec omnia aqua est necessaria, quod ipsamet principia quaedam seu particulas, ex quibus corpora componuntur, continet; vnde nonnulli veterum in eam ingressi sunt sententiam, aquam primum rerum omnium esse principium. Piscibus

insuper innumeris & animalibus aëquatilibus propriam velut sedem praebet ; quibus omnibus destitueremus , si fluuiis atque mari tellus nostra non esset instructa. Eo magis vero athei stultitiam suam produnt, dum, hoc maxime in nostro orbe reprehendunt, quod tantum eius spatium oceano sit tributum, quod ab hominibus, vt putant, inhabitari posset ; & hinc concludunt, tellurem hanc hominum causa non esse conditam. Naturam rerum hinc culpant LVCRETIVS , quod magnam orbis partem teneant

vastaeque paludes

Et mare, quod late terrarum distinet oras, loc. cit. pag. m. 154. Metuere scilicet videntur censores operum diuinorum ineptissimi, ne orbis habitabilis hominibus nimis angustus fiat, vnde & maria in regiones & prouincias mutari, cupiunt. Sed inanem prorsus istum metum esse, facile intelligere possent, si modo secum reputarent, nunquam hodie tot homines nasci, vt non totidem fere morte abripiantur, immo interdum, si morbi epidemici aut clades bellicae, quae frequentissimae sunt, accedant, longe plures. At cui bono, inquirunt, vastissimus oceanus tantum occupat spatium, in quo plurimae nobilissimaeque regiones locum inuenire potuissent? Sed merito
illis

illis reponimus, cur vero plures regiones hominibus concedendae essent, cum hactenus nondum omnes incolas habeant? Dum autem sine causa gravissima tantum oceano spatium attributum putant, nihil aliud agunt, quam ut profundissimam physicae doctrinae ignorantiam prodant. Ut enim alia, quae inde ad homines redundant, commoda, & ingentes piscium exercitus, qui in oceano sedes suas habent, taceam, nemo, nisi rudis omnium rerum, nescit, quanta vi vaporum opus sit, quibus in nubes, rorem, pluuiam condensatis, terra irrigetur, atque ad producendos varii generis fructus foecunda reddatur. Quod si insuper illorum amplecti sententiam velimus, qui, fontes, fluuiosque ex hisce vaporibus oriri contendunt, eo magis patebit, de nimia oceani magnitudine nullas nobis esse conquerendi causas. Quamquam eodem res redeat, si fluuiorum fontiumque origo ex mari per meatus subterraneos deriuetur. Cum enim & hac ratione mare fontibus omnibus atque fluuiis sufficere debeat, qui velut per circulationem quandam aquam ex eo accipiunt, & illi reddunt, & praeter haec magna vis vaporum in nubes condensetur, nemini profecto maris amplitudo minus necessaria videbitur. Immo praestantissimis doctrinae naturalis scrutatoribus obseruatum est, si
mare

mare tam amplum non esset, ob vaporum defectum, incommoda plurima in tellure nostra oritura. Diuinae autem sapientiae in eo quoque deprehendere vestigium licet, quod venti plerumque ab oceano ad terram ferantur, ut vapores in loca, ubi eorum usus est, deuehantur. Sed nec illud praetermittendum, quod, cum mare falsum sit, & ob varias rationes esse debeat, aquae tamen inde proficiscentes deposito sale dulcescant. Haec vero omnia sapientissime ita constituta quis neget? Addenda, quae hac de re disserit IOANNES RAYVS, in *existentia & sapientia Dei manifestata in operibus creationis*, pag. 82. seqq. De aëre ut multa dicamus, necesse non est. Ad respirationem enim eum necessarium esse, quotidie experimur. Neque hominibus tantum, animantibusque terrestribus, sed ipsis etiam, ut nonnullis obseruatum, necessarius est piscibus. Eius autem consideratio simul ad *metecora* nos ducit, quae tot naturae admiranda nobis exhibent, ut vel sola ad atheum conuincendum sufficiant. Integri libri res esset, si quis *ventorum* (ut horum tantum mentionem faciam) explicare utilitatem vellet. Hi nubes ab vno loco in alium transferunt, ut eo commodius terram irrigare queant, hi maria ne corrumpantur, mouent, vapores noxios dispellunt, aërem

aëremque purum & salubrem reddunt ; hi motu suo plantarum arborumque incrementum promouent ; hi in regionibus calidioribus frigore quodam amoeno aërem temperant, hominesque & animantia, ne aestu enecentur, reficiunt ; hi nauigationi, qua remotissimae inter se coniunguntur gentes, quae ipsa coelestis simul per orbem vniuersum propagatur veritas, inseruiunt. Ad fulmina equidem & tonitrua quod attinet, TITVS LVCRETIVS CARVS in eo totus est, vt euincat, vel horum exemplo patere, talia fortuito casu, sineque Numinis directione contingere. Innocentes enim non minus, quam nocentes ea ferire, ait ; templa deorum aequae ac alias aedes, immo loca prorsus delerta :

Cur etiam loca sola petunt, frustraue laborant ?

loc. cit. lib. VI. pag. m. 206. Idem etiam de pluuiis obiici solet, iis non tantum loca fertilia, aut ea, quae ab hominibus coluntur, sed sterilia etiam, deserta, immo rupes & ingentia saxa, irrigari. Verum, vt fulmina ac tonitrua non minus, quam pluuias, ad terrae fertilitatem, fructusque varios producendos, & eorum incrementum promouendum facere, nemo dubitauerit ; ita & secundum certas naturae leges talia dispensari,

fari, eos, qui in naturali doctrina non plane hospites sunt, non fugit. Illae ipsae leges, cum a Deo constitutae atque sancitae sint, quod secundum eas contingit, tantum abest, ut casu fortuito euenire censeriqueat, ut potius hoc ipso summam & infinitam supremi Numinis sapientiam arguant. Nec tamen specialis eius directio ab hisce abest, quoties homines fulmine icti pereunt. Improbi enim si sint, scelerum suorum iustissimas hac ratione poenas luunt. Sin vero probi & honesti, Deo quidem itidem causae sanctissimae, nobis tamen parum cognitae atque perspectae, esse possunt, cur eos hac ratione vitam cum morte permutare velit. *Terra* denique ipsa basin & fundamentum praebet, cui pulcherrima Numinis opera sunt superstructa. Haecce hominum animantiumque commodissima sedes est, quae omnibus etiam alimenta, hominibus insuper vestimenta, & quicquid non tantum ad necessitatem, sed & ad ornatum ac elegantiam pertinet, incredibili copia suppeditat. Superficies insuper telluris collibus, vallibus, campis, & montibus distincta, non tantum oculis iucundum spectaculum praebet, sed variis hominum v'sibus eam aptiorem reddit. Hic rursus equidem, quod carpant, sibi inuenisse visi sunt athei.

Ex

Ex horum namque mente LVCRETIVS conqueritur:

*Inde auidam partem, montes, silvasque
ferarum*

Possedere, tenent rupes, vastaeque paludes.

loc. cit. lib. V. pag. m. 204. Sed ipsi morosi censores nescire videntur, quid sibi velint. Montes enim umbram subinde gratam non minus, quam necessariam praebere, interdum abundare metallis, quandoque vitibus plantandis inseruire, subinde & certis animalibus praebere sedem, quod & de rupibus obseruandum, plantas quoque atque herbas proferre, quae in vallibus aut planitie non crescunt, nemo est, qui ignoret. Et quis de siluarum vsu dubitet? quae non tantum ligna praebent, tum igni alendo, tum aedificiis extruendis inseritura, sed eiusmodi feris abundant, quae hominibus in cibum cedunt, quibus si & noxiae quaedam accedunt, quaeue hominibus metuendae sunt, id rerum ordō, ac pulchritudo huius vniuersi ita postulauit; nec tamen damnum inferre hominibus possent, nisi horum culpa hoc contingeret, vt in sequentibus demonstrabitur. Addenda tamen, quae hac de re differit RICHARDVS BENTLEIVS, *loc. cit.*

pag.

pag. 420. item SAMVEL PARKERVS, *dissert. II. de Deo, sect. XXIV. pag. 177.*

** Ingentes illi, quos terra subministrat, thesauri, partim in visceribus eius latitant, hominum industria inde eruendi, partim in superficie eius conspiciuntur. Ad priorem classem praeter lapides pretiosos, metallorum pertinent varia genera, de quorum multiplici usu nemo dubitabit, nisi qui rudis est eorum omnium, quae quotidie inter homines geruntur. Licet vero etiam ad vitia alenda, & mala quaeuis perpetranda adhibeantur, id tamen cum hominum culpa fiat, conditoris sapientiam & benignitatem, quae in iis elucescit, obnubilare nequit. Ad posteriorem classem vegetabilia, herbarum, plantarum, arborum, florum, fructuum varia genera pertinent, in quibus num varietatem, an amoenitatem, an usum egregium in alendis, adiuuandis, delectandis & reficiendis hominibus, magis admirari debeamus, dubii merito ancipitesque haeremus. Legenda, quae de plantis disserit HENRICVS MORVS, in *antidoto aduersus atheismum cap. V. VI. VII.* ubi ostendit, quo pacto ex earum pulchritudine, signatura & utilitate, existentia ac prouidentia Dei demonstrari queat. Nos missis reliquis de *frumento saltem* aliquid addemus, quod
inter

inter plantas omnes haud dubio principatum tenet. Primo namque structura admirabilis in eo occurrit, culmo ad iustam magnitudinem excrescente, tubulisque variis instructo, quibus succus nutritivus ad grana defertur, tum internodiis quibusdam distincto, ut eo commodius sustentetur. Grana porro ipsa aptissime loculis inclusa spicis continentur, & contra auicularum aut insectorum insultus aristis muniuntur. *Omniun satorum fructus*, inquit PLINIUS, *spicis continentur, ut tritici, bordei, muniturque vallo aristarum quadruplici, aut includitur siliquis, ut leguminum, aut vasculis, ut sesamae ac papaveris.* *hisor. natur. libr. XVIII. cap. VII. pag. 424.* Cum vero pani praecipue conficiendo inseruiat, praestantissimum sane, aptissimum, atque saluberrimum alimentum hominibus praebet. Eumque in finem vberimum eius proventum Deus esse voluit, quod & de tritico iam observavit PLINIUS: *Tritico nihil est fertilius; hoc ei natura tribuit* (rectius dixisset, Deus, ceu naturae auctor) *quoniam eo maxime alit hominem, utpote cum e modio, si sit aptum solum, quale in Byzacio, Africae campo, centeni quinquageni modii redduntur. Misit ex eo loco Diuo Augusto procurator eius ex vno grano (vix credibile dictu) quadringenta paucis minus germina, extantque de ea re epistulae.*

Cc

lae.

lae. Misit & Neroni similiter CCCXL. stipulas ex uno grano, loc. cit. cap. X. pag. 439.
 Magnum praeterea diuinae bonitatis est argumentum, quod non modo in regionibus temperatis frumentum nasci voluerit, sed etiam calidissimis, vt Africa, ac frigidissimis, vt Russia, Suecia; vti recte etiam obseruatum GERHARDO IOANNI VOSSIO, de *origin. & progressu idololatriae libr. V. cap. X. pag. 617.*

*** Plurima sane in animalibus occurrunt, quae vt admiratione digna sunt, ita existentiam providentiamque Numinis euidentissime demonstrant. In structura corporum primo generatim obseruandum, eam ita comparatam esse, vt quoduis animal alimentum illi conueniens assumere, comminuere, digerere queat, vt hinc in chylum, porroque in sanguinem mutatum, per sanguinis circulationem, reiectis superfluis, ad corporis nutritionem & incrementum, speciei quoque propagationem, rite dispensetur. Cumque terrestria animalia, praesertim quadrupedia, victum in terra quaerere debeant, sapientissimus naturae artifex ea ita formauit, vt caput in terram pronum haberent. Eundem in finem quatuor pedibus ea instructa videmus, cum totidem assis essent necessarii ad motum naturae eorum

rum conuenientem. Si tribus tantum instructa fuissent, non potuissent ita commode incedere. Plures autem iis superuacanei fuissent; conf. HENRICVS MORVS, *antidot. aduers. atheism. libr. II. cap. X. pag. m. 79.* Homo contra cum erectus incedere deberet, tota corporis structura eo comparata est. Immo ob nimiam inaequalitatem longitudinis brachiorum atque crurum, ad primum incessum plane ineptus est. De sensuum organis, auribus speciatim & oculis, naturae animalium prorsus accommodatis, multa dici possent. Sed de oculis saltem obseruo, animalia non pauca *septimo musculo*, quaedam etiam *membrana nictitante*, seu *periophthalmio* instructa esse, cum homo utrisque careat. Nimirum musculus ille suspensorius, non poterat non insigni vsui esse animalibus gramine vescentibus, ac victum humi conquirentibus, cum alias absque molestia & lassitudine oculos tamdiu deorsum pendulos tenere vix valeant; quod homini non aequè necessarium erat, quippe cui non temere caput tamdiu primum demittendum est. Nictitantem vero membranam, ranis, auibus, quadrupedumque nonnullis datam, viri quidam harum rerum peritissimi coniiciunt, vt ipsius ope talium animantium, sentes, vrticas, frondes arborum, algasque acutas frequen-

quenter nimis peruadentium cornea, ab externis iniuriis fit tutior, membranae hoc quasi specillo, oculum illaesum conseruante, nec tamen interim ob sui pelluciditatem visionem in totum impediens; quo quidem oculorum munimento homini, ob diuersam victus rationem, opus non fuisse nemo non intelligit. Talpis praeterea oculi adeo puffilli obtrigere, vt minoris aciculae capitulum mole non multum superent; quippe qui animali, in tenebrosissis terrae cauernis vt plurimum degenti, adeoque lucis vsura parum egenti, sufficiebant; cum lepori contra, animalculo meticuloso, & iugiter pericula prospectanti, oculos tam eminenti cornea naturae auctor concessit, vt non minus fere, quae pone tergum, quam quae ante se fiant, cernere possit. Quam apte vero structura corporum in animalibus, tum eorum naturae, tum & loco, in quo degere, seque mouere debent, respondeat, vel maxime tum *volatilium*, tum *aquatilium* exemplo patet. Ad *volatilia* enim quod attinet, non tantum loco pedum anteriorum alis duabus Deus ea instruxit, sed musculos etiam, qui alarum motui inseruiunt, formauit, qui ratione extensionis pariter ac roboris motui huic pares essent. Superior praeterea pars alarum conuexa, inferior concaua est; quod ad aërem verberandum, corporisque susten-

sustentandum pondus plurimum confert. Corporis structura naui haud est absimilis; caput vero, eum reliquo comparatum, plerumque pusillum, & in figuram quandam acutam per rostrum desinens, quod ad secundum aërem, transitumque faciliorem reddendum, prorsus necessarium erat. Corporum enim latiorum motui, magnum aër impedimentum adfert. Ipsum praeterea corpus, magnitudinis habita ratione, longe leuius est, quam animalium terrestrium, & pennis insuper leuissimis instructum, ut adeo accedente alarum expansione, facile tantam aëris columnam occupet, cui altera columna cedat; & hinc faeli negotio eiusmodi corpus suspensum in aëre teneri potest. Pulmones insuper, si corporum proportionem spectes, longe maiores sunt in auibus, quam reliquis animantibus; immo & a superiori pariter ac inferiori parte aërem admittunt; vnde corpora earum multo leuiora reddi necesse est, quod ad volatum prorsus est necessarium. Patet hinc, si equus aut taurus vel maxime alis, magnitudinē corporis eius respondentibus, instructus esset, eum tamen volare non posse; quia corporis structura reliqua non respondet. Caudam vero in auibus idem esse, quod gubernaculum in nauibus, iam pridem viris doctis obseruatum est. Hinc de miluis

PLINIVS scribit : *Iidem videntur artem gubernandi docuisse caudae flexibus ; in coelo monstrante natura, quid opus esset in profundo ; histor. natur. lib. X. cap. X.* Pennarum etiam, quibus ad volandum opus est, structura admirabilis est, & huic instituto prorsus accommodata. Harum enim pili ita inter se sunt complexi, vt per tenuia sua interstitia aëri com meatum quidem, sed difficulter praebeant, vnde resistentia quaedam oritur, quae ad volatum itidem est necessaria. Eadem pennarum structura efficit, vt madefactae, cito tamen iterum exsiccantur, vt expandi facile & iterum complicari queant, nec per vim aëris aut venti temere rumpantur, quod facile contingere posset, si alae ex continua quadam membrana compositae essent. Haec vero omnia sapientissime ita a naturae auctore constituta esse, quis neget ? De *aquatilibus* similia obseruari possent. Nec enim profecto casu fortuito contingere potuit, vt branchiae in piscibus pulmonum vicem sustinerent, parique venarum & arteriarum copia, ad sanguinem aqua refrigerandum, quemadmodum per pulmones in aliis animantibus refrigeratur, repletae essent. Quis vero vesicam aëre refertam, quae in illorum corporibus conspicitur, sine consilio iis concessam assereret, cum, sine ea si essent, non pos-

possent corpus tenere in aequilibrio, aut natare, sed statim fundum maris aut fluuiorum peterent? Sed mitto reliqua, de animantium *nutritione* generatim obseruans, pro eius diuersitate, diuersa quoque iis concessa esse organa. Terrestria vt & aquatilia dentibus instructa sunt; diuersae quamuis figurae atque structurae, pro alimentorum, quibus pasci debent, diuersitate. Volatilia contra, ea praesertim, quae granis vescuntur, ventriculum etiam longe aliter constructum habent, quam animantia, quae cibum dentibus comminuunt. Primo enim glandulosus quidam bulbus sese offert, qui infundibili instar est, in quo grana aliquantisper asseruantur, & admixto liquore comminutioni praeparantur. Ista vero comminutione beneficio duorum musculorum peracta, alimenta in pylorum seu ventriculi fundum concidunt, vbi ab admixtis quiescunt; quem in finem pylori etiam sedes elata est, & descensus ex eo mollior, ne frumentum ex ventriculo excidat, priusquam comminutum sit, quemadmodum & septum aliquod intercedit, ne attrita cum integris commisceantur; vti iam a me obseruatum *element. philos. theoret. part. II. cap. I. §. XVII.* Ad *conseruationem* singulorum animalium pertinet, quod quaedam armis velut instructa sunt, quibus

contra aliorum insultus ad sui defensionem
 vtantur, eorum vero, quae eiusmodi armis
 destituuntur, securitati Deus pro incredibili
 sua sapientia, alia ratione consuluit. Nec
 arma modo quibusdam animalibus conces-
 sit, sed instinctum quoque iis vtendi illis in-
 didit. Notum est illud HORATII:

*Dente lupus, cornu taurus petit, vnde nisi
 intus*

Monstratum.

NON minus & illud LVCRETII notum:

*Sentit enim vim quidque suam, qua pos-
 sit abuti,*

*Cornua nata prius vitulo, quam frontibus
 extant,*

Illis iratus petit, atque insensus inurget.

Quae vero & armis eiusmodi & robore de-
 stituuntur, vt meticulousiora sunt, ita eorum
 corpora ita constructa sunt, vt imminens
 quam citissime sentire periculum, & fugae
 celeritate eidem se subducere queant. Vel
 leporum hoc patet exemplo, de quorum
 oculis vt antea iam obseruauimus, eos ita
 comparatos, vt fere pone tergum non mi-
 nus, quam quae ante se fiant, cernere pos-
 sint, ita & aures oblongas, concauas & fa-
 cile mobiles illis obtigisse, constat, vt sonum
 quem-

quemuis e longinquo venientem eo citius perciperent, & periculum imminens declinarent. Musculorum etiam quorundam, immo ipsorum pedum, quorum posteriores longiores sunt anterioribus, structuram fugae celeritati egregie inservire, viris harum rerum peritis pridem observatum est. Huc & solertia & naturalis velut quorundam animalium, ut vulpium, calliditas spectat, qua & armorum & roboris defectum suppleat. Ea autem, quibus haec omnia denegata sunt, ut oves, utilitate sua ita se hominibus commendant, ut hi illorum curam libenter suscipiant, & non tantum alimenta subministrent, sed & contra aliorum animalium insultus defendant. Ad totius denique *speciei conservationem* sobolis pertinet procreatio, quae innumera itidem profusque mirabilia sapientiae atque providentiae divinae documenta suppeditat. Quaedam animalia *vivipara* esse constat, quaedam *ovipera*. Non temere id ita constitutum esse, facile intelliget, qui consideraverit, quorundam animalium, ut volatilium, naturae & indoli magis esse conveniens, ut ova pariant, quam ut vivos foetus in lucem edant. Praeterquam enim, quod hoc conservationi & multiplicationi eorum inserviat, si pullos in utero tam diu gestare deberent, donec omnia corporis membra

rite essent formata, hoc volatum eorum esset impediturum. Cumque terrestria animalia, quamprimum in lucem edita sunt, lacte materno alantur, volatilium contra corpora ita constructa sunt, ut per internam eorum dispositionem liquor aliquis iis subministratur, donec sensim gravis alimentisque solidioribus adsuescant. Volucres, quae pullis suis cibum adferunt, eum inter omnes ita distribuunt, ut nullum praetermittant, etsi omnes simul cibo, cum adfertur, ore aperto inhiant. Quae pluribus maioribusque periculis avium pulli in nidis suis expositi sunt; eo citius crescunt, & ad eam perfectionem perueniunt, ut sibi ipsis prospicere, suaeque consulere securitati queant. Nec praetermittenda apta inter masculos & femellas, si numerum spectes, proportio, quam in omnibus animalibus conspici licet. Si enim ex materiae necessitate aut casu fortuito cuncta evenirent, facile fieri posset, ut per multos annos, aut aliquot etiam secula, tantum mares, aut tantum femellae producerentur, quod speciei istius interitum post se tracturum esset. Iam vero cum id nunquam contingat, sed masculorum numerus quodammodo respondeat numero femellarum, ut hac ratione quaelibet species conservetur, quis non Numinis agnoscat atque miretur

miretur sapientiam? Nec sine animaduersione praetermittendum, animalia pleraque tempus, quod fouendis alendisque pullis maxime accommodatum est, quam accuratissime obseruare. Tempore enim verno ea foetus suos edere videas, quod gramina mollia producendo, gratoque tepore, fouendis iis, alendisque, longe est aptissimum. Quis vero non obstupescat, cum considerat, secumque expendit, quanto artificio volucres nidos suos construant? quam caute & circumspecte loca tutiora feligant? quanta in his omnibus solertia elucescat? Recte nonnullis obseruatum, quosdam tam apte, tam concinne extructos nidos, vt vix ab hominibus eiusmodi quid fieri, certe aptius nihil excogitari queat. Vt autem mirificus aliquis instinctus animalium in pullis alendis nutriendisque, ita non minor in iis contra quasuis iniurias defendendis, sese exerit. Hinc minores etiam bestias, cum primis gallinas, suae velut imbecillitatis immemores, acriter in eos insurgere videas, a quibus vel minimum pullis suis imminet periculum, vel qui propius saltem ad eos accedunt. Nec in perfectioribus saltem animalibus, sed & imperfectioribus, immo ipsis insectis, talia obseruare licet. Quis enim papiliones ova sua arboribus non tantum affigere, sed &

lanu-

lanugine quadam vestire & inuoluerè docuit, vt non tantum eo tutius delitescant, sed prodeuntes etiam verno tempore erucæ, in ipsis arboribus, tenerrima folia protrudentibus, alimentum inueniant? Sed figere hic pedem rerum multitudo iubet. Non enim omnia persequi vacat. Quid vero ad hæc omnia athei? Instinctum forte naturæ obiicient? Vnde vero hicce instinctus, qui profecto sine consilio & summa sapientia esse nequit?

§. VI.

Cum primis vero ipsa hominis consideratio argumenta nobis luculentissima præbet, quibus & existentia & sapientia Numinis euidentissime probari potest. Corporis nimirum, singulorumque membrorum eam structuram, dispositionem, proportionem deprehendimus, vt nihil aptius, aut concinnius, aut ad vsum, quem quodlibet membrum præstare debet, aut ad finem, ob quem hominem conditum ex naturæ eius contemplatione facile condiscimus, accommodatius excogitari queat.*

* Amplis-

* Amplissimus hic se nobis offerret dicendi, variasque obseruationes proferendi, campus. Sed cum instituti nostri nobis habenda sit ratio, & ab aliis iam hocce argumentum copiose pertractatum sit, praecipua saltem summis, quod aiunt, digitis, attingemus. Generatim si corpus hominis consideremus, primo *statura* eius *erecta* sese nobis offert, quae homini ita propria est, vt ea ab aliis animantibus omnibus distinguatur. Hanc vero ei obtigisse, vt eo liberius coelum contemplari, & hinc tum eius, tum huius vniuersi conditorem agnoscere posset, iam ethnicis fuit obseruatum. Audire hac de re TVLLIVM iuuat, qui ad hanc, inquit, *providentiam naturae tam diligentem, tamque sollertem adiungi multa possunt, e quibus intelligatur, quantae res hominibus a Deo, quamque eximiae tributae sint: qui primum eos humo excitatos, celsos & erectos constituit, vt deorum cognitionem, coelum intuentes, capere possent. Sunt enim e terra homines non vt incolae, atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque coelestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet; de natur. deor. libr. II. cap. LVI.* Oculorum equidem in aliis animantibus is positus est, vt coelum iidem intueri possint; sed homines ipsa
statura

statura erecta, eos specialiori quadam ratione ad coelum contemplandum, animumque a rebus caducis & terrestribus abstrahendum, conditos esse, admonet. Nec tamen negauerim, erectae istius staturae alios quoque fines aliosque vsus esse posse; scilicet vt caput eo commodius sustinere queant, quod ob maiorem cerebri copiam grauius est, corporis obseruata proportione, quam in reliquis animantibus; item, vt commodius ad omnes partes circumspicere, periculaque, si quae forte immineant, euitare queant, & quae reliqua sunt eiusdem generis. Alterum, quod generatim in humani corporis structura admiratione dignum, maxima *vultuum* in singulis hominibus est *varietas*, quae tanta est, vt in multitudine ista innumera hominum raro admodum vel duo inueniantur, qui sibi, qua vultum, prorsus sint similes. Idque eo magis mirandum, quod partes, ex quibus vultus componitur, non adeo multae, & vnus insuper generis sint, & nisi experientia hoc doceret, incredibile videretur, tantam inde prodire posse varietatem. Obseruatum id iam PLINIO est, qui cum de sermonis & linguarum varietate verba fecisset, addit: *Iam in facie vultuque nostro cum sint decem aut paulo plura membra, nullas duas in tot millibus hominum indiscretas effigies existere, quod*
ars

ars nulla in paucis numero praeſtet affectando; hiſtor. natur. libr. VII. cap. I. pag. 394. Neque exiſtimandum, temere aut ſine conſilio ſapientiffimo tantam vultuum in hominibus varietatem exitiſſe. Ad vitae ſocialis incommoda grauiffima euitanda hoc prorsus neceſſarium erat. Quae enim, quaefo, rerum omnium oritura eſſet confuſio, ſi homines hac ratione a ſe inuicem non poſſent dignoſci? In pactis, conuentionibus, contractibus, nemo certus eſſe poſſet, quocum ſibi eſſet negotium. Mox enim vnus negare poſſet, ſecum actum eſſe, mox alter, quocum actum non erat, hoc adfirmare. Nul- lum puniri temere crimen, quantumuis atrox, poſſet, cum nemo, quis illud commiſiſſet, certus eſſe poſſet. Principes rerumque dominos tollere e medio, alioſque in illorum ſubſtituere locum, niſi vultuum prohiberet varietas, facillimum admodum foret. Quid de fraudibus, de adulteriis, quid de falſorum teſtium ſubornatione dicam? quae omnia & alia eiufdem generis euitari, niſi vultuum varietas obſtaret, nulla ratione poſſent. Poſſem & de *varietate vocum*, itemque de *ſcripturae varietate*, quae non minor fere eſt, quam vultuum varietas, aliquid addere, ſed hiſce immorari diutius non licet. In generali vero iſta humani corporis conſideratione *perfectio* eius ſe porro

porro nobis offert, dum nullum prorsus, quod ad hominis aut decus aut conseruationem pertinet, membrum deficit, nullum quoque redundat, vt eo carere queat. Ipsi pili, etsi inter naturae excrementa referantur, partim ad ornamentum, partim ad corporis conseruationem, dum in capite ad frigus inde arcendum, in superciliis ad oculorum munimentum faciunt, comparati sunt. Aptissimus etiam membrorum situs hic in censum venit. Eleganter, vt multa alia, ita hoc quoque obseruatum CICE-
 RONI: *Sensus autem, interpretes ac nuntii rerum, in capite, tanquam in arce, mirifice ad vsus necessarios & facti & collocati sunt. Nam oculi tanquam speculatores altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes funguntur suo munere. Et aures, cum sonum percipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatae sunt. Itemque nares, eo quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt: & quod cibi & potionis iudicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris secutae sunt. Iam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera deberet, habitat in ea parte oris, qua esculentis & potulentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore aequabiliter fusus est, vt omnes ictus, omnesque nimios frigoris & caloris appulsus sentire*

sentire possimus. Atque ut in aedificiis architecti auertunt ab oculis & naribus dominorum ea, quae profuentia necessario tetri essent aliquid habitura, sic natura res similes procul amandauit a sensibus; de natura deor. libr. II. cap. LVI. Addi his & alia possent, munimenta scilicet praecipuarum humani corporis partium, cerebri, cordis, pulmonum, quibus earum securitati prouida Numinis cura quam accuratissime prospexit; quorundam membrorum, ut oculorum, aurium, narium, manuum pluralitas, ut si casu quodam vnus usus intersciperetur, alterum non deesset; summa in structura, numero, ordine, proportionem membrorum constantia, & quae his sunt similia; quae cum hominibus maximam partem cum brutis sint communia, & alias quoque obuia, copiosius ea edisserere ab instituti nostri ratione alienum putamus. Multo uero minus omnium atque singulorum membrorum structuram, situm, usum explicare licet, quippe quod non vnus esset voluminis. In hisce autem licet humani corporis structura in quibusdam conueniat cum structura corporis brutorum, in nonnullis tamen discrepat; quorum illud documento est, voluisse Deum ad eundem effectum eadem quoque adhibere media; hoc uero, cum ad alium eumque nobiliorem finem homo

conditus esset, membra quoque, quae eo facerent, eique propria essent, cum illi voluisse concedere; quorum utrumque summæ sapientiae est argumentum. Utque posterioris vel vnicum exemplum adferam, vel manum, eiusque structuram mirabilem, & ad opera præstantissima conficienda longe aptissimam, considerare iuuabit. Paucis, sed more suo, hoc est, eleganter, quicquid hac de re dici potest, complectitur CICERO: *Quam vero aptas, quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit! Digitorum enim contractio facilis, facilisque porrectio propter molles commissuras, & artus, nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tiliarum, apta manus est, ad motionem digitorum. Atque hæc oblectationis, illa necessitatis, cultus dico agrorum, extructionesque tectorum, tegumenta corporum vel texta vel suta, omnemque fabricam aeris & ferri: ex quo intelligitur, ad inuenta animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus, omnia nos consecutos, ut tecti, ut vestiti, ut salvi esse possimus; vrbes, muros, domicilia, delubra haberemus, de natur. deor. libr. II. cap. LX.* Copiosius vero & ex instituto, quo pacto ex manus structura, Dei existentia probari queat, peculiari dissertatione ostendit CHRI-

STIA-

STIANVS DONATI, philosophus olim Wittebergensis clarissimus. Eadem vero etiam ratione ex oculi structura, Dei existentiam peculiari dissertatione demonstrauit IOANNES CHRISTOPHORVS STVRMIVS, quae extat in *philosophia eius eclectica, tom. I.* ex auris structura, IOANNES ANDREAS SCHMIDIVS, theologus Helmstadiensis clarissimus, ex cordis structura, B. GEORG. ALBERTVS HAMBARGERVS, physices & matheseos quondam in nostra academia professor longe dignissimus; alii ex aliis partibus. Vsum praeterea & structuram singularum humani corporis partium, vt praeter GALENVM, de *vsu partium*, anatomici recentiores accurate explicarunt, ita, quo pacto ex iis existentia & sapientia Numinis elucescat, ex instituto demonstrant SAMVEL PARKERVS, de *Deo & prouidentia disp. V. sect. V. seqq.* IOANNES RAIVS, *existent. & sapient. Dei manifestata in creaturis part. II. pag. 290. seqq.* & in compendio FRANCISCVS DE SALIGNAC DE LA MOTHE - FENELON, de *l' exist. de Dieu artic. XXXII. seqq.*

§. VII.

Non minus tamen luculenta sunt, & sua velut luce radiant, quae ex animae consideratione fluunt, argumenta. Ea

Dd 2

enim

enim cum & cognoscendi & volendi facultate sit praedita, hinc & ab omni materia secreta atque remota, eiusque adeo prorsus expers, ei, a quo originem ducit, hoc est, Deo, vniuersi huius conditori longe potentissimo, haec omnia eminentissima quadam ratione conuenire, cumque adeo substantiam a materia plane distinctam, summa non tantum potentia, sed intelligentia etiam, sapientia & libertate, perfectionibusque infinitis praeditam esse, firmiter hinc colligimus.*

- * Si quis, cogitationibus suis ad se ipsum conuersis, mentem suam, & quae in ea, ac per eam, singulis momentis geruntur, paulo attentius consideret, non minora nec pauciora, quae illum in stuporem coniecere queant, quam in coelo & terra, & omnium plantarum, lapidum & animantium corporibus deprehendet. Primo namque facultas rerum innumerarum ideas sibi formandi in ea se nobis offert. Complexum hic, seu compendium aliquod totius orbis, conspici licet. Quicquid coelum, quicquid terra, quicquid mare continet, eorum omnium imagines mens hominis complectitur. Infinita fere sunt, quae auribus, gustu,
- tactu,

tactu, olfactu, percipimus; horum vero omnium ideas atque imagines mens complectitur. Ex rerum porro omnium, quae sensibus externis percipiuntur, comparatione, & ad se inuicem relatione, aliae rursus ideae oriuntur; has omnes mens complectitur. De hisce omnibus cum alii homines multa dicant, scribant, variaque iudicia ferant, haec omnia mens complectitur. Accedunt ad haec omnia facta & res gestae variae, integrarum gentium, hominumque singulorum, instituta, mores, consuetudines; haec omnia mens complectitur. Neque tantum haec omnia, numero infinita mens humana complectitur, aut saltem complecti potest, sed ita etiam complecti potest, ut nulla inde oriatur confusio; immo, ut, si non omnia, certe pleraque, quorum semel impressas ideas habet, quodcumque libuerit, iterum reuocare, sibi que tanquam praesentia sistere; ex comparatione idearum, earundemque ad se inuicem relatione, plane nouas atque abstractas formare; tum has iterum, tum inter se inuicem, tum cum aliis comparare, num conueniant, an sibi repugnent, iudicare, & ita porro rationes subducere queat. In hisce vero omnibus, num idearum multitudinem, an celeritatem incredibilem, qua in vnico temporis momento, locorum in Europa,

Africa, America sitorum, imagines nobis exhibere valemus, an ordinem & confusionis euitationem, magis mirari debeat, vir sapiens anceps merito dubiusque haerebit. Iam si capitis, in quo vim harum operationum maxime experimur, structuram consideres, si cranium aperias, si remoueas meninges, si substantiam illam mollem, quae maximam cranii cavitatem replet, diuidas, separes, nihil plane ibi, quod eiusmodi operationum causa esse queat, reperies. Vnde non potest non sua sponte sequi, aliam quandam in homine esse substantiam, diuersam quidem a corpore, sed arctissimo tamen vineulo cum eo coniunctam, quae tam mirabilium operationum causa sit, & cum loco angustissimo inclusa nobis videatur, vastissimum tamen totius orbis ambitum ineffabili compendio complecti queat. Eandem vero etiam substantiam materiae omnis expertem esse, hinc consequitur. Quo pacto enim substantia materialis capax esse queat eiusmodi operationum, nullo modo concipere licet. In materia namque generatim spectata nihil aliud, quam extensionem, diuisibilitatem, facultatemque recipiendi motum, variasque figuras, deprehendimus. Haec autem omnia quocumque modo consideres, in quamcunque verses partem, quacumque ratio-

ratione disponas, nihil tamen inde, quod cogitationi, nedum tam multis cogitationum modis respondeat, elicies. Quodsi forte existimes, eam speciatim materiam, quæ homini propria est, ad cogitationes formandas aptam esse, fac periculum, & eam paulo attentius considera. Num in sanguine, num in spiritibus animalibus, num in cerebro eiusmodi quid deprehendis? Immo, si haec omnia diuidas, separes, in prima elementa resoluas, nihil tandem aliud, quam vniuersales materiae proprietates, de quibus antea dictum, offendes. Instas, non equidem materiam solam, sed motum materiae superadditum talia efficere. Sed finge motum, quemcunque velis, eumque velocissimum, finge subtilissimas materiae partes, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum moueri, nullam inde perceptionem, nullam cogitationem, nullam rationationem produces. Manifesta haec omnibus sunt, eidentius tamen adhuc ea demonstrat RICHARDVS BENTLEIVS, in *stultitia & irrationabilitate atheismi*, pag. 75. seqq. Quam turpiter autem hic se traducant athei, dum explicare volunt, quo pacto substantia materialis percipere & intelligere queat, vel TITVS LVCRETIVS CARVS omnes suo condocere exemplo potest. Nimirum cum, animam corpus perquam subtile, ro-

tundis particulis minutissimis constans esse, dicat, simul tamen, ex quatuor quasi naturis eam compositam esse, docet, aërea, ignea, flatuosa, & quarta anonyma, qua nihil sit mobilius, nihil tenuius. Sed ipsum hac de re audire iuvat:

*Quarta quoque his igitur quaedam natura
neceſſe eſt,*

*Attribuatur. Ea eſt omnino nominis
expers:*

*Qua neque mobilius quidquam, neque te-
nuius extat.*

de rer. nat. libr. III. pag. m. 80. Et hanc quartam naturam, cuius ipse nomen nescit, sensus & intellectus propriam sedem statuit, hinc & eam deinceps *animae animam* vocat:

*Nam penitus prorsum latet haec natura
subestque:*

*Nec magis hac infra quidquam est in cor-
pore nostro,*

*Atque anima est animae pro porro totius
ipsa;*

loc. cit. pag. 81. Sed, si quaeras, qua demum ratione quarta haec natura intelligat? non alia ratione id fieri LVCRETIVS cum Epicuracis suis censet, quam εἰδῶλων seu simulacrorum subtilium ἐμπύσει, seu ad animam

animam adpulsu ; qua de re ita porro loquitur :

*Corporis haec quoniam penetrant per rara
cientque*

*Tenuem animi naturam intus sensumque
laceffunt,*

loc. cit. lib. IV. pag. 131. Quae quidem εἰδῶλα Epicurus apud DIOGENEM LAERTIVM, *lib. X. sect. XLVI.* τύπες vocat, LVCRETIVS non tantum *simulacra*, sed & *spectra*, CICERO *imagines*, QVINTILIANVS *figuras*. Quod si porro quaeras, qua ratione fiat, vt mens statim, quod vult, cogitare queat, respondent, vbique omnifaria adesse simulacra, ex quibus ea tantum mentem adficiant, ad quae cum attentione quadam se conuerterit ; reliqua praetermitti ; quod pluribus LVCRETIVS, *loc. cit. pag. m. 132.* explicat. Haec vero cum ineptissima esse nemo non intelligat, simul manifestum est, ab iis, qui explicare volunt, quo pacto substantia materialis cogitare queat, nihil, nisi quod ineptum sit, proferri posse. In altera mentis nostrae facultate, quam *voluntatem* dicimus, libertas praecipue se offert, cum imperio quodam, tum in reliquas mentis facultates, tum in ipsum corpus coniuncta. Libertatem autem intelligimus a necessitate, & quidem eam, quam homo in

naturalibus habet. De spiritualibus enim nobis nunc sermo non est. Haec vero in eo consistit, quod in rebus plurimis se ad agendum vel non agendum, vel hoc aut illo modo agendum, itemque ad eligendum illud, ad aliud respuendum, prout illi visum, & prout libet, se determinare queat. Potestas vero seu imperium, vt alii vocant, quod in intellectum habet, non in eo quidem consistit, vt efficere queat, vt res aliter cognoscat, quam eas cognoscit, hoc tamen facile & vel nutu quodam ab intellectu impetrat, vt mox has, mox alias ideas sibi exhibeat, alias mox dimittat, mox reuocet alias, aliis iterum considerandis, cumque aliis comparandis, diutius inhaereat; qua quidem ratione saepissime contingit, vt res cognitae longe aliter se nobis, quam antea, exhibeant, vt vera esse credamus, quae antea falsa & erronea visa, & erronea & falsa, quae antea pro veris habuimus; vt nunc ceu honesta vel decora placeant, quae antea ceu turpia & foeda damnauimus, & vice versa. Quodsi nunc repetassus, quanta rerum diuinarum, humanarum, naturalium pariter ac moralium sit multitudo, quas homo vasto intellectus ambitu complectitur, quousque etiam limites imperii, quod voluntati tribuimus, porrigantur, facile intelligitur. Sed in corporis etiam membra
quaedam

quaedam imperium obtinet, v. g. linguam, manus, pedes, vt ea pro lubitu mouere, aut motum vel determinare varia ratione, vel etiam sistere queat; quemadmodum & oculos claudere ac aperire, in hominis positum est potestate. Quo minus autem haecenus vllus philosophorum explicare potuit, quo pacto fieri queat, vt statim & in vnico momento temporis, ad nutum voluntatis spiritus animales mox ad huius, mox ad alterius membri musculos descendant, & motus tam varios efficiant, eo hoc omnium, qui ista vnquam considerarunt, iudicio, est mirabilius. Effectus autem, qui hinc oriuntur, tam varii, tamque admirandi sunt, vt eos omnes enumerare velle, non vnus voluminis res esset. Libertate autem quadam in his omnibus nos gaudere, tam intime nobis ipsis consci sumus, quam certo scimus, nos existere, & non prorsus nihil esse. Nihil amplius, vt huius rei conuincamur, opus est, quam vt cogitationes nostras ad nos ipsos conuertamus, & consideremus, quae quotidie, immo singulis horis in nobis ipsis peraguntur. Accedit, quod omne dubium eximere potest, quod subinde, quae inclinationi ac propensione nostrae repugnant, agamus. Nimirum cum ratio subinde dicat, noxium nobis fore, si inclinationis nostrae ductum sequeremur, tum,

tum, nisi adfectus vehementia obstet, voluntas corporis motus ad ea fugienda vel euitanda, ad quae ceteroquin adpetitus fertur, determinat. Quod profecto facere non posset, si libertate non gauderet. Ridiculi hic iterum sunt Epicuraci, qui cum non omnem voluntati libertatem denegare audeant, per *motus declinationem*, quam atomis tribuunt, & de qua supra dictum, eam explicare annituntur. Qua de re ita
 LVCRETIVS:

*Denique si semper, motus connectitur
 omnis,*

*Ex vetere exoritur semper nouus ordine
 certo,*

*Nec declinando faciunt primordia motus,
 Principium quoddam, quod fati sidera
 rumpat,*

Ex infinito ne causam causa sequatur;

*Libera per terras, vnde haec animantibus
 extat,*

*Per quam progredimur, quo ducit quem-
 que voluptas,*

*Vnde est haec, inquam, fati auulsa vo-
 luntas?*

loc.

loc. cit. pag. 44. Iungenda & quae hac de re differit CICERO, de *fato, cap. X.* Quemadmodum vero motus ille declinationis gratis assumitur, ut in sequentibus ostendemus, ita ad tollendum fatum, aut adstruendam libertatem, nihil facit. Siue enim sursum aut deorsum, siue dextrorsum vel sinistrorsum corpus per impressionem motus ab alio corpore factam moueatur, necessario tamen mouetur. Et quam, quaeso, motus ille conuenientiam habet cum libertate? Quam vero ridiculum & ineptum est, fatum in motu perpendiculari, libertatem autem in motu declinationis constituere velle? BENEDICTVS DE SPINOZA, cum reuera omnem libertatem homini eripiat, & secundum suam hypothesin non eripere nequeat, ut tamen more suo fucum incautis faciat, verbis ambiguis eam videtur concedere. Duo enim ad libertatem requirit; alterum, ut actionum nostrarum cognitionem habeamus, alterum, ut ipsi *velimus* eas facere. Sed *velle* homini fraudulento nihil aliud significat, quam consentire, ut actio fiat, quam impedire nequeas. Hinc toties inculcat, libertatem in eo consistere, quod homines sentiant, & conuicti sint, se mortuum suorum sibi conscios esse, etsi causas, per quas ad istos motus determinati sunt, ignorent. Sed mera haec est illusio, cum

nemo

nemo mortalium eum, qui catenis vinc-tus est, & ad mortem rapitur, ideo liberum dixerit, quia istius rei sibi conscius est, & consentit, hoc est, impedire nequit. Nul-lam autem reuera se homini concedere li- bertatem, ipsemet diserte profitetur: *In mente nulla est absoluta siue libera voluntas, sed mens ad hoc vel illud volendum determi- natur a causa quae etiam ab alia determi- nata est, & haec iterum ab alia, & sic in in- finitum; eth. part. II. prop. XLVIII. p. 85.* Quo ipso cum aliquid asserat, quod omnium hominum sensui & experientiae repugnat, nihil aliud agit, quam vt suam stultitiam prodat. Sed vt ad id, quod caput causae est, accedamus, quo pacto ex hisce mentis nostrae facultatibus; operationibusue, Dei probari existentia queat, quilibet haud diffi- culter intelligit. Ipsae enim illae operatio- nes, siue intellectum siue voluntatem spectes, ita comparatae sunt, vt hominem inter res creatas omnes natura nobis notas, longe nobilissimam praestantissimamque esse de- monstrant. Cumque rerum adspectabilium structura admirabilis, pulchritudo & vsus, omnes in admirationem coniiicit, quanto magis mens nostra coniiiciet, quae res omnes fere totius vniuersi complectitur, & per artes varias eiusmodi opera producere po- test, quae elegantia & artificio cum naturae operibus quodammodo certent, certe non minus,

minus, quam illa, admiratione digna sint. Quid vero de actionibus hominum variis dicam, in quibus vis quaedam admirabilis rationis, summaque prudentia elucescit? Recte CICERO: *Iam vero animam ipsam, mentemque hominis, rationem, consilium, prudentiam, qui non divina cura perfecta esse perspicit, is his ipsis rebus mihi videtur care- re, de natura deor. lib. II. cap. LIX.* Praeterea cum magna & intellectus & voluntatis humanae vis sit, suis tamen circumscripta est limitibus, ut nec maior sit, quam hominis permittebat natura, nec minor, quam eius requirebat conseruatio. Sic etsi intellectus vis non sit infinita, tanta tamen est, ut homo ea omnia, quae ad creatorem huius vniuersi agnoscendum, eiusque laudes concelebrandas, non minus ac ipsius conseruationem, scitu sunt necessaria, cognoscere queat. Et licet hodie rationis lumen, ut veram atque perennem salutem consequi queat, non sufficiat, eodem tamen ad reuelationem, quae abunde hunc defectum supplet, inuestigandam uti potest. Eam, quae sensuum organis peragitur, cognitionem, itidem ita comparatam esse, ut ad hominis conseruationem sufficiat, omnes facile intelligimus. Idem & de imperio, quod voluntati, tum in varias mentis facultates, tum in corpus ipsum competit,

petit obseruare licet. Cum enim & illud certis limitibus circumscriptum sit, nec omnes, sed illi saltem motus corporis eidem sint subiecti, quos a voluntate dirigi hominis natura & conseruatio postulabat, sapientissime haec omnia a Deo, naturae auctore, conditoreque rerum omnium, constituta esse, nemo non intelligit. Iam, si porro homo inquirat, vnde mentem tam insignibus facultatibus praeditam habeat, primo quidem eam non semper fuisse, facile conuincitur, cum certo sciat, tempus fuisse, quo nondum extiterit. Idem & probe sibi conscius est, sine vlla sua opera se in hocce rerum vniuerso extitisse; vnde aliam causam esse oportet, cui & existentiam & vitam suam, & quicquid habet, imputare debeat. Quod cum & pari ratione de aliis hominibus, qui eiusdem sunt naturae, multoque magis de rebus creatis reliquis, vtpote homine longe ignobilioribus constet, non potest non inde sequi, causam quandam vniuersalem horum omnium, eandemque summa potentia & infinita sapientia praeditam, admittendam esse. Cumque mentem nostram materiae omnis expertem, facultate res innumeras cognoscendi, & libertate praeditam esse, nobismet ipsi conscius sumus, haec omnia cum aliis perfectionibus infinitis eminentissima quadam ratione causae illi

illi primae conuenire, firmiter inde colligimus. Ex quibus omnibus tandem sequitur, dari ens aliquod materiae prorsus expers, atque ab ea distinctum & separatum, facultate infinita res omnes cognoscendi, summa sapientia, nec minori potentia praeditum, idemque liberrimum, quod tum rerum reliquarum, tum nostrae mentis causa sit. Idem hocce, de quo hactenus egimus, argumentum, quo pacto ex mentis consideratione existentia Dei probari queat, copiose, sed alia, quam nos, ratione tractat IS. LAQUELOT, de l'existence de Dieu, dissertat. II. cap. VII. seqq. pag. 351. seqq. & in compendio FENELON, de l'existence de Dieu, cap. XLV. seqq. pag. 138. seqq.

§. VIII.

Nec praetermittenda hominum origo, tum intuitu totius humani generis, tum singulorum individuorum spectata. Quo minus enim, qui in utraque conditoris rerum omnium vim ac potentiam agnoscere nolunt, aliquid, quod non ineptum planeque absolum sit, adferre possunt, eo certius euidentiusque pro Numinis comprobanda existentia inde petere licet argumentum.

E c

* Nulla

* Nulla res temere veterum gentilium magis torfix ingenia, quam origo humani generis. De hac enim cum nihil aliud vel cum specie quadam probabilitatis dici queat, quam quod litteris nobis consignatum reliquit diuinus scriptor, Moses, huius vero libros ethnici ignorarent, aut non admitterent, fieri aliter non potuit. quam ut meras ineptias proferrent, quoties ea de re verba facere aggressi sunt. Aetheorum itaque, qui illorum vestigia premunt, summa inde stultitia & imprudentia patet, qui data opera cum coecis hominibus ineptire, quam scripturae, nihil profecto, quod ratio reiicere queat, hac in re tradentis, admittere auctoritatem malunt. Nihil de poetis dicam, aut ex Promethei molli luto formatos esse homines, aut ex Deucalionis Pyrrhaeque duris lapidibus natos, fingentibus. Fuerunt ex ipsis sapientiae professoribus, qui si non magis monstrosas, certe non minus incredibiles de hominum origine protulerunt sententias. Anaximander Milesius, ex aqua terraque calefactis exortos esse, siue pisces, aiebat, siue piscibus simillima animalia; in his homines concreuisse, foetusque ad pubertatem intus retentos, tum demum, ruptis illis, vitos mulieresque, qui se iam alere possent, processisse. Empedocles primo membra singula ex terra quasi prae-

praegnante passim edita, deinde coisse, dicebat, & effecisse solidi hominis materiam, igni simul & humori permixtam. Democrito visum, ex aqua limoque primum homines procreatos; a quo non multum discessit Epicurus, quippe qui limo calefacto vteros nescio quos, radicibus cohaerentes, primum inersuisse existimabar, & infantibus ex se editis ingenitum lactis humorem natura ministrante praebuisse, eosque ita educatos & adultos, genus hominum propagasse. Hasce aliasque philosophorum de hominum origine sententias summatim recensebit, & vnicuique velut fasce complectitur CENSORINUS, de *diuinali*, cap. VI. pag. 26. quem eius locum iam exhibui, in *historia eccles. veter. testament. period. I. sect. I. §. VIII. pag. 77. 78.* vbi plura hac de re dixi, & genuinam philosophorum de ea sententiam ex instituto exposui. Quaecumque autem aut philosophi veteres de prima hominum origine dixerunt, aut athei dicere possunt, ad quatuor praecipue reuocari capita, sententiasque principes possunt. Prima est, homines aequae ac orbem huiusce nostrum semper fuisse, nec ullum unquam habuisse initium. Peripateticos praescunte magistro suo, ita existimasse, constat, quibus nonnulli Pythagoraeos atque Platonicos addunt; quo autem iure id fiat, in

hiflor. eccles. veter. testam. loc. cit. pag. 75.
 exposui. Altera sententia eorum est, qui generis humani originem astris, eorumque influxui, & peculiari conjunctioni ad spectuive tribuunt. Tertia eorum est, qui mechanica quadam ratione, per solis in materiam rite preparatam operationem, homines productos asserunt. Quarta demique illorum, qui post infinitas materiae concussiones vagas & abortus, mero tandem casu contigisse putant, vt corpora nostra in hanc, qua gaudent, figuram, temere & fortuito conflarentur. Quamcumque autem ex hisce eligas sententiam, eam absonam plane ineptamque esse, statim, si modo mentem advertere velis, deprehendes. Ad primam enim quod attinet, exploratissima veritate compertum est, humanum genus per certos gradus auctum esse, atque incrementum cepisse. Gentium variarum origines, historicorum fide dignissimorum testimoniis comprobatae, hac de re nos dubitare non sinunt. Ea vero ratione necessario, si non ad duos, certe ad paucos admodum homines deveniendum erit, a quibus reliqui originem ducant. Contra, si semper homines extiterunt, nullum tempus erit, quo non idem circiter hominum numerus fuerit, qui hodie est, immo multo maior. Cum enim mille annorum spatio pauci homines in
 gentes

gentes validas excrefcere poffint, quid quæ-
 fo non futurum fuiffet, fi ab omni æterni-
 tate homines eodem, quo hodie funt, nu-
 mero extitiffent? Quod obuerti potefl, per
 diluuiã vniuerfalia, vel alia ratione, homines
 ad numerum pauciozem redigi potuiffent, e-
 iusmodi efl, vt probari nequeat; ne dicam,
 quod hac ratione plura, immo innumera
 diluuiã vniuerfalia, & ea quidem femper
 lege admittenda forent, vt quidam homines
 feruati funt, quod profus abfonum efl.
 Quæ fcriptura facra de vnico diluuiõ vni-
 uerfali commemorat, nobis a fecus fentien-
 tibus opponi nequeunt. Si enim hac in re
 fcripturæ auctõritate vti vellent, quæftio-
 merito inftitueretur; cur ergo & in aliis
 eam non admitterent? Immo hoc ipfum
 diluuium longe plura & folidiora contra
 atheos argumenta fuppeditat, vt alibi ofen-
 ditur. Ex imperiorum prætereã omnium
 atque regnõrum origine, artium item æ fci-
 entiarum inuentione, recens mundi exor-
 dium conflat; qua de re in fequentibus plu-
 ra dicemus. Non minoribus difficultatibus
 & altera fententia premitur. Eflto, dari
 quendam aëtherum in corpora fublunaria
 influxum, num ideo ad homines producen-
 dos fufficit? Si viri funt athei, explicent,
 quis ille influxus fit, & qua ratione debeat

Ec 3.

effe

esse comparatus, vt per eum homines, hoc est, non tantum animalia, sed animalia mente & ratione praedita, produci queant. Sin nequeant, agnoscant, quam stolidum sit, ne admittere cogantur, quod illis parum credibile videtur, eiusmodi quid asserere, quod longe est incredibilius, & quod ipsi nulla explicata ratione possunt. Quod si ad coniunctionem peculiarem stellarum ad spectumue se recipiant; dicant, quae so, qualis illa constellatio; qualisue ad spectus esse debeat; rationemque rursus explicent, cur talis & non alia coniunctio, aliusue ad spectus eundem progignere effectum queat? Ab iis, qui tertiam sententiam defendunt, sciscere vellem, qualis illa materia esse debeat, aut quo pacto debeat esse praeparata, vt homo mente & ratione praeditus inde prodire queat? Vt cunq; materia consideretur, quicumq; accedat calor, nihil in ea deprehendo, quod hominem constituere queat. Id quod simul contra quartam sententiam obseruandum. Esto vero, posse materiam inueniri, quae corpori hominis formando sit idonea, quis neruos, venas, arterias, ossa, cutem, & membra omnia tam apte disposuit, vt nihil in homine sit, quod non vsui, cui destinatum, aptissime respondeat? Ceterum, si vnquam terra, non dicam homines, sed animantia bruta pro-

progenit, cur, quæso, hodie ea non producit? Maior forte terræ olim fuit foecunditas? Id quidem dicunt athei, sed non probant. Tantam enim in terra, quæ ratione solis eundem semper situm obtinuit, contigisse mutationem, ut, quæ olim tot animalia, ipsosque homines protulit, hodiæ ne minimum quidem animalculum progignere valeat, nullo exemplo, nulla ratione probari potest. Sunt hinc inde regiones tanta coeli solique clementia & fertilitate beatæ, ut ad summam foecunditatem iis nihil desit; nec tamen vnquam vel fando auditum fuit, vllum animal ex terra progenitum fuisse. Quæ de Aegypto nonnulli commemorant, cum Nili aquæ, postquam inundatione sua terræ fertilitatem conciliarunt, iterum in alueum fluminis recedunt, in limo animalcula varia & quædam etiam imperfecta & semiuiua reperiri, iam pridem viri docti exploserunt. Sane reptilia, quæ in aquis degere solent, aqua recedente, in limo reperiri, nemo miratus fuerit. Partes etiam seu membra quædam, postquam reliquum corpus putruit, ut ibi reperiantur, facile fieri potest. Sed quis inde colligat, animalia ex terra gigni? Quis vero vnquam vidit, oues, bouesque & similia animalia ex terra ibi prodiisse? aut si olim prodierunt, cur hodie

non amplius prodeunt? Immo tantum abest, ut vllum animal hac ratione ex terra gigni queat, ut potius euentissimis experimentis hodie comprobatum sit, nullum, ne minimum quidem, insectorum esse genus, quod non ex femine quodam generetur. Meritoque adeo viri docti generationem, quam vocant, æquiuocam, ex orbe proscripserunt. Cum ergo quicquid athei de prima hominum origine dicunt, absolum sit, atque prorsus ineptum, nihil aliud superest, quam ut concludamus, Deum humani generis esse conditorem, verissimamque esse, quæ Moses, diuinus scriptor, hac de re litteris consignauit. Iungenda, quæ accurate hac de re disserit RICHARDVS BENTLEIVS, in *Stultitia & irrationalit. atheismi pag. 130. seqq.* & ante eum SAMVEL PARKERVS, de *Deo & provident. disput. V. sect. I. pag. 429. seqq.* Postquam autem Deus homines primos creauit, facultatem illis simul, æque ac reliquis animalibus, per generationem genus suum propagandi indidit. Atque hinc singulorum hominum origo constat, in qua siue conceptionem primam, siue animæ productionem eiusque cum corpore coniunctionem, siue corporis singulorumque membrorum in utero materno formationem, siue foetus nutritionem, siue natiuitatem, siue variam

natu-

naturæ ad foetum conseruandum, eiusque incrementum & natiuitatem promouendam adparatum spectes, totidem naturæ miracula stupenda prorsus, & vim captumque hominis superantia, deprehendimus. Qui hæc omnia ex mechanicis principiis explicare voluerunt, experiundo didicerunt, magno se molimine nihil egisse. Hinc alii vim plasticam, aut simile quid in subsidium vocarunt, etsi ipsi, quid vis illa plastica sit, dicere non potuerint. Vnde vero demum vis ista plastica originem trahit? Ex sola sane materia deriuari nequit. Nihil ergo aliud profecto superest, quam vt fateamur, Deum ipsum hæc ita sapientissime constituisse, vt ex ipsa ista origine nostra, quem vitæ nostræ omniumque bonorum, quæ in nos collata sunt, auctorem agnoscere deberemus ac venerari, condisceremus. Sed plura hac de re addere non licet.

§. IX.

Vltima denique classis, historica argumenta continet, quibus itidem Numinis existentia comprobari potest. Ex monumentis enim historicorum certissimis, nullumque dubium admittentibus,

Ee 5

&

& regnorum rerumque publicarum, ipsarum itidem gentium atque populorum, artium praeterea & scientiarum, & eorum omnium, quae ad vitae huius usum aut commoda inuenta sunt & excogitata, origines atque incrementa constant; ita quidem, ut, quae ethnici scriptores de hisce omnibus litteris consignata reliquerunt, si summam rei spectes, prorsus consentiant iis, quae memoriae prodidit diuinus scriptor Moses. Hinc vero colligitur, non tantum initium habuisse huncce mundum, nec vilo modo aeternum dici posse, sed ea quoque ratione habuisse initium, qua Moses nos hoc condocuit, hoc est, a Deo esse creatum.*

- * Regna omnia, ut ab iis incipiamus, atque imperia, resque publicas, tum, quae hodie sunt, tum, quae olim floruerunt, initium aliquod habere, omnes vno ore fatentur. Nec quenquam atheorum eo usque impudentiae progressum existimo, ut hoc negare auserit. Conueniunt & in eo scriptores veteres, fuisse tempus aliquod, quo nulla adhuc regna, nullaeque fuerint respublicae; in eo saltem in diuersa abeuntes, quod nonnulli

nulli statum istum humani generis, cum
 nondum imperia essent, ut longe felicissimum nobis sistant, ut OVIDIUS, *metamorph. libr. I.* alii, ut longe miserrimum corruptissimumque, ut SALLUSTIUS, de *bello Catilin. cap. VI.* Quod unde ortum sit, facile conicere licet, cum haud dubio istis scriptoribus aliquid ex antiqua traditione, de statu integritatis, & lapsu humani generis, innotuerit. Quare & alii utrumque coniungunt, & statum hominum initio beatum, mox corruptum fuisse perhibent; unde necessitas iis imposita fuerit, condendi res publicas. Ita C. CORNELIUS TACITUS: *Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine poena & coercitionibus agebant: neque praemiis opus erat, cum honesta suoapte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui aequalitas & pro modestia ac pudore ambitio & vis incedebat, prouenere dominationes, multosque apud populos aeternum mansere; annal. libr. III. cap. XXVI.* Ex hisce itaque veterum monumentis, hac in re consentientibus, facile colligas, homines primum per familias dispersos vixisse; tum in societates minores coaluisse, ex quibus inter se iunctis regna maiora atque imperia extiterint. Quod ut documento euentissimo

limo

simo est, genus humanum sensim incremen-
 ta sumfisse, ita accurate cum iis, quae scri-
 ptura sacra hac de re commemorat, conue-
 nit. Inter maiora ista amplioraque impe-
 ria nonnulli, assyriacum primum fuisse, au-
 tumant. Qua de re IVSTINVM audire
 iuuat: *Fines imperii tueri magis, quam pro-
 ferre, mos erat; intra suam cuique patriam
 regna finiebantur. Primus omnium Ninus
 rex Assyriorum veterem & quasi autum
 gentium morem noua imperii cupiditate mu-
 tauit. Hic primus intulit bella finitimis, &
 rudes adhuc ad resistendum populos, terminos
 usque Libyae, perdomuit; histor. lib. I. cap. I.*
 Explosa equidem hodie satis est ista CRE-
 SIAE de antiquitate & amplitudine regni
 assyriaci fabula, cui IVSTINI narratio in-
 nititur, nec sine ratione, vt a me demon-
 stratum, in *histor. eccles. vet. testam. ad pe-
 riod. II. sect. II. §. XVIII.* Interim si vel
 maxime admitteretur, satis tamen vel inde
 constaret, imperia orbis maiora sensim ex-
 orta, nec vllum, quod diluuii tempus exce-
 dat, adduci posse; quod nobis quidem suf-
 ficit. Vt vero regnorum & rerum publica-
 rum non maior est antiquitas, quam histo-
 ria Mosaica nos credere iubet, ita nec
legum, quibus salus & conseruatio ciuita-
 tum innititur. Fuisse tempus, quo homi-
 nes sine legibus vixerunt, ipsi scriptores
 ethnici

ethnici fatentur. *Populus nullis legibus tenebatur; inquit IVSTINVS, l. c. arbitria principum pro legibus erant.* Hinc nonnullis obseruatum, HOMERVM nusquam vti legum nomine, quod nullis tum legibus Graeciae populi uterentur. Simples admodum praeterea atque rudes erant antiquorum populorum leges, successu temporis perfectiendae magis & expoliendae. Vnde & recentioris iurisprudentiae longe alia facies, quam priscae istius, cum leges in pueritia velut aut adolescentia constitutae essent. Testem huius rei iterum laudare licet TACITVM: *Quidam statim, aut postquam regum pertaesum, leges maluerunt. Hae primo rudibus hominum animis simplices erant, maximeque fama celebravit Cratesium, quas Minos; Spartanorum, quas Lycurgus: ac mox Atheniensibus quas Solon perscripsit. Nobis Romulus, ut libitum, imperitauerat; deinde Numa religionibus & diuino iure populum deuinxit, repertaque quaedam in Tullo & Anco: sed praecipuus Seruius Tullius sanctorum legum fuit, quibus etiam reges obtemperarunt; annal. libr. III. cap. XXVI.* Postquam distincta etiam uentis dominia introducta sunt, homines commercii carere non potuerunt. Ex vero antiquissimis temporibus sola permutatio incepta constat. Quanta vero dein-

deinceps ad nostram vsque aetatem incrementa sumserint, neminem fugit. Ponderum atque mensurarum equidem iam in scriptis Mosajcis mentio iniicitur. Ante tempora, de quibus Moses loquitur, ea non fuisse, vel inde constat, quod deinceps apud alias demum gentes sint introducta, vnde de illorum inuentore veteres fuere solliciti, aliis quidem Phidoni Archiuo, aliis Palamedii hanc laudem tribuentibus, vt apud **PLINIVM**, *histor. natur. lib. VII. cap. LVI. pag. m. 478.* videre licet. De pecuniae origine, seu primo inuentore, nihil certi constare, vel ex **POLYDORO VIRGILIO** condiscimus, de *inuentorib. rerum libr. II. cap. XX.* In eo tamen omnes consentiunt, fuisse tempus, quo eius vsus nondum introductus fuit. De medicae artis necessitate tot morborum genera nos dubitare non sinunt. Fuisse autem tempus, quo nondum inuenta esset, neminem fugit, quemadmodum & quae eius origo & incrementa fuerint, satis notum est. Certe, eum Babylonii, quod **HERODOTVS** refert, *lib. I. cap. CXCVII.* aegrotos in forum producerent, vta praetereuntibus discerent, num simili morbo laborassent, & quoniam ad eum pellendum vsi essent remedio, exiguam admodum medicae artis noticiam fuisse, nemo negauerit. Cumque de Aegyptiis idem refert **STRABO**,

lib.

libr. III. & XVI. gentes antiquissimas artis maxime necessariae vsu destitutas videmus; quod nulla ratione fieri potuisset, si homines semper extitissent. Iam quid de philosophia dicam? Cum eadem semper fuerint Graccorum ingenia, idem etiam regionis, quam incoluerunt, situs, ut cum aliis gentibus commercia iis intercedere potuerint, ante septem tamen, quos vocant, sapientum aetatem, philosophiae nulla apud eos inueniuntur vestigia. Ab olympiade autem xxxv, qua natus est Thales Milesius, vsque ad olympiadem cxxvii, qua obiit Epicurus, adeoque cccclxx annorum spatio, philosophiae studium tanta incrementa sumisit, ut a fastigio prope abesset. Hoc veto cur citius factum non sit, si Graecia semper incolas habuit, dici profecto nequit. Et idem quoque de aliis gentibus, apud quas philosophiae studium quodammodo floruit, dicendum. Origo eius & incrementum aperte repugnat, quo minus semper id ita se habuisse, credere queamus. De mathesi singulisque eius partibus itidem longe est notissimum, vnam post aliam inuentam, magisque excultam esse, ut pluribus GERARDVS IOANNES VOSSIUS exponit, de *scientiis mathematicis*. Sed historiarum quoque studium, cui veteres deditos fuisse constat, & ad quod natura velut ducimur, idem

idem euincit. Varronem, antiquitatis inter Romanos peritissimum virum, omne tempus, quod a prima rerum origine ad ipsius aetatem vsque effluxisset, in ἀθλον, μυθικόν & ιστορικόν distribuisse, nouimus. Primum scilicet interuallum ab hominum principio ad cataclysmum priorem pertinere, docebat, idque propter ignorantiam vocari ἀθλον; secundum, a cataclysmo priori ad olympiadem primam, quod, quia in eo multa fabulosa referantur, μυθικόν nominetur; tertium denique, a prima olympiade ad ipsius aetatem, quod ιστορικόν dicitur, quia res in eo gestae veris historiis contineantur, vt auctor est CENSORINVS, de die natali cap. XXI. pag. m. 154. Immo cum eo tempore, quo natus est mundi seruator, quoque apostoli vixerunt, plurimam iam inter Graecos atque Latinos essent historici, quibus nec ingenium, nec industria, nec monumenta varia decissent, quibus in tempora a se remotissima penetrare possent, nemo tamen illorum quidquam memoriae prodidit, quod Moſis de rerum omnium origine, deque humani generis fati, & atrium inuentione & incrementis, narrationi, opponi queat. Nec vllum est dubium, cum deinceps controuersiae inter gentiliū philosophos, & ecclesiae christianae doctores, magnis animorum motibus agitantur, quin illi

illi omni studio monumenta veterum excus-
 ferint, ex quibus, quae Moyses de hominum &
 mundi origine, philosophorum scitis e dia-
 metro opposita, scripserat, refellere possent;
 nec tamen quidquam eos aut inuocasse, aut
 protulisse, nouimus. Legenda, quae hanc in
 rem disserit IS. LAQUELOT, de l'existence de
 Dieu. dissert. I. cap. III. pag. 24. seqq. Nec
 populorum hic praetermittendae origi-
 nes. Nonnulli namque, se *αὐτόχθονας*,
 hos esse, eodem in loco, quem incolabant,
 natos, ferebant, uti Athenienses, de quibus
 IUSTINVS: quippe non aduenae, neque pas-
 sim collecta populi colluuiem originem urbi de-
 dit; sed eodem innati solo, quod incolunt; &
 quae illis sedes eadem origo est; *hystor. lib. II.*
cap. VI. alii autem, se aliarum populorum
 colonias esse, profitebantur, suaeque adeo
 sibi conscii erant originis. Illos aliquando
 antiquitate his praestitisse, negandum non
 est; hoc ipso tamen, quod se aborigines
 vel *αὐτόχθονας* esse credebant, suam sal-
 tem prodebant ignorantiam, seque nescire,
 indicabant, unde originem ducerent. Nec
 enim hoc ipso negabant, se originem ha-
 bere, aut gentem suam semper fuisse, af-
 firmabant; multo minus tantam sibi vindi-
 cabant, aut vindicare poterant antiquita-
 tem, quae originem humani generis, aut
 eius post diluuium restorationem, anteuer-

teret. Scio sane, Aegyptios rerum suarum
 origines longe supra diluuium, immo ipsa
 mundi initia, secundum calculum Mosaicum
 spectari, extendisse. Hocque dynastiae illae
 Aegyptiorum, quae tantum negotii eruditis
 viris facilluere, pertinent. Sed haec omnia
 inter putidissima stolidissimaque gentis va-
 nissimae commenta referenda esse, solide
 hodie viri docti demonstrarunt. Certe Ae-
 gyptios rerum suarum paulo antiquorum
 certam historiam litterarum monumentis
 consignatam non habuisse, luculentor pro-
 bat HERMANNVS CONRINGIVS, in *aduersa-
 riis chronolog. cap. XVI. pag. 188.* Idem de
 immensis Chaldaeorum supputationibus
 censendum. Auctor est CICERO, *Babylonia-
 nios narrare, se CCCCLXXX millia annorum
 habere monumentis (litterarum) comprehen-
 sa, & illa posuisse in periclitandis experimen-
 disque pueris, quicumque essent nati, sed si-
 mul addit, eos mentiri, recteque condemnari
 aut stultitiae, aut vanitatis, aut impudentiae,
 libr. I. de diuinat. cap. XIX. & libr. II. cap.
 XLVI.* Dictum etiam de hisce omnibus,
 in *histor. eccles. vet. testam. ad period. I. sect. I.
 §. XI pag. 84. seqq.* vbi & falso iactatam
 Chinesium antiquitatem explosi. De ipso-
 rum autem populorum non adeo antiqua ori-
 gine, artium quoque atque scientiarum origi-
 nes atque incrementa testantur; de quibus
 antea

antea quaedam diximus; quamvis plurima breuitatis studio praetermiserim, de quibus consulendus PLINIUS, *hystor. natur. lib. VII. cap. LVI. pag. 475. seqq.* TATIANVS quoque dum in eo est, vt ostendat, Graecos plurima a barbaris accepisse, varios rerum artiumque inuentores commemorat, *orat. ad Graecos p. 3. seqq.* Atheniensium speciatim inuenta recenset IUSTINVS, *hystor. lib. II. cap. VI.* & CICERO, *pro Flacco cap. XXXVI.* De reliquis legendus POLYDORVS VIRGILIVS, *de inuentoribus rerum.* Haec vero omnia, quae de gentium, populorum, artium atque scientiarum origine & inuentione diximus, validissimum contra mundi aeternitatem praebere argumentum, ex ipsis iam ethnicis agnouit MACROBIVS. *Nam quis facile, inquit, mundum semper fuisse, consentiat, cum & ipsa hystoriarum fides, multarum rerum cultura emendationemque, vel ipsam inuentionem recentem esse, fateatur? Cumque rudes primum homines, & inouria syluestri non multum a ferarum asperitate dissimiles meminere, vel fabuletur antiquitas; tradatque, nec hunc eis, quo nunc utimur, victum fuisse, sed glande prius & baccis alitos, sero sperasse de sulcis alimoniam? Cumque ita exordium rerum, & ipsius humanae nationis opinemur, vt aurea primum secula fuisse credamus, & inde natura per metalla viliora degenerans,*

ferro secula postrema foedauerit? Ac ne totum videamur de fabulis mutuari, quis non hinc existimet, mundum quandoque coepisse, nec longam retro eius aetatem, cum abhinc ultra duo retro annorum millia, de excellenti rerum gestarum memoria, nec graeca quidem extet historia? Nam supra Ninum, a quo Semiramis secundum quosdam creditur procreata, nihil praeclarum in libros relatum est. Si enim ab initio, immo ante initium fuit mundus, ut philosophi volunt, cur per innumerabilem seriem seculorum non fuerat cultus, quo nunc utimur, inuentus? non litterarum usus, quo sola memoriae fulcitur aeternitas? Cur denique multarum rerum experientia ad aliquas gentes recenti aetate peruenit? Ut ecce Galli vitem, vel cultam oleae, Roma iam adolescente, didicerunt. Aliae vero gentes adhuc multa nesciunt, quae nobis inuenta placuerunt. Haec omnia videntur aeternitati rerum repugnare, dum opinari nos faciunt, certo mundi principio paulatim singula quaeque coepisse; in somnium Scip. lib. II. cap. X. pag. m. 150. Respondere equidem ad hasce rationes MAGROBIVS, & ipse aeternitatis mundi assertor, annitur. Summa eo redit, res humanas ex parte maxima saepe occidere, manente mundo, & rursus oriri, vel elauione vitissim, vel exustione rede-

redeunte, loc. cit. pag. 151. Quod rationibus quibusdam, sed oppido ridiculis, probare annitur. Respicit namque haud dubio Stoicorum, & aliorum quorundam, de magnis mundi vicissitudinibus, quas per eluiones & exustiones, statis temporibus ab omni aeternitate subiisset, & porro subiturus esset, sententiam, quam & CICERO hisce verbis exprimit: *Propter eluiones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non aeternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus, in somn. Scipion. pag. m. 1409.* Quanquam MACROBIUS hasce eluiones & exustiones, pro Platonis sensu, vt nonnulli obseruant, ita accipiat, vt per eas totum genus hominum perire, neget. *Nunquam tamen, inquit, siue eluio, siue exustio, omnes terras, aut omne hominum genus vel omnino opperit, vel penitus exurit.* Legenda, quae de magnis illis mundi vicissitudinibus ex veterum, Stoicorum maxime, sententia differit IVSTVS LIPSIUS, *physiol. Stoicor. lib. II. dissertat. XXI. pag. 105. seqq.* cum primis autem B. IAC. THOMASIVS, *de exust. mundi Stoica, thes. XI. pag. 12. seqq.* Cum vero aeterna illa mundorum per istas vicissitudines successio omni prorsus fundamento destituatur, inter somnia veterum philosophorum &

impia deliramenta iure meritoque refertur. Interim eluiones quasdam particulares, similesque casus, contingere posse, non abnuo: per eos autem vt vix vnquam vna quaedam prouincia ita deuastata fuit, vt omnes eius incolae perierint, ita multo minus hac ratione fieri potest, vt totius, quod antea extitit, humani generis, rerumque gestarum omnium, omniumque artium & scientiarum ita oblitteretur memoria, vt haec omnia post eiusmodi eluionem aut casum similem, enata demum, primamque accepisse originem, censeari queant. Integrae cuiusdam prouinciae deuastatio intuitu totius orbis non aliter consideranda, quam domus cuiusdam aut vrbis deuastatio intuitu prouinciae. Quis vero existimauerit, per domus aut vrbis cuiusdam conflagrationem, eam toti prouinciae induci vastitatem posse, vt omnium simul artium, scientiarum, rerumque antea ibi gestarum memoria deleatur? Per istud temporis interualum, quo orbem fuisse ex scriptura sacra nouimus, vrbes varias, prouincias, atque regna, variis casibus funestis & calamitatibus inuoluta fuisse nouimus. At ea simul ratione omnium eorum, quae ante calamitatem istam in istis regnis aut prouincijs fuerunt, simul periisse memoriam, nullo exemplo conuocari potest. Nihil ergo hic
 obti-

obtinebunt athei, nisi diluuium aliquod vniuersale statuunt. At quomodo hoc statuent, vt non sua ipsimet caedant vinea? Primo namque certum est, eiusmodi diluuium vniuersale, quo totus orbis noster submergatur, sine miraculo contingere non posse; quod res ipsa docet, & luculenter demonstrat RICHARDVS BENTLEIVS, in *Sul- titia & irrationabilitate atheismi pag. 37*. Deinde, si contigit, aut omnes simul homines perierunt, aut quidam seruari sunt. Prius si dicas, vnde ergo post diluuium homines? Posterius, quo pacto quaeso seruari sunt? Quicquid dicant, in quamcunque se vertant partem athei, nihil dicent, quod ineptum non sit; nisi iterum ea assumant, quae scriptura de arca Noachi commemorat. At haec ita comparata sunt, vt, nisi mirabilis & manifestissima Numinis prouidentia accessisset, nunquam hac ratione seruatus fuisset, aut seruari potuisset Noachus. Accedit, quod aeternitatis mundi assertoribus plura eiusmodi diluua admittenda, vel potius fingenda, essent; quod quam absonum sit, iam ad §. praeced. ostendimus. Si dicas, reuera tamen per belli calamitates aliasque causas, artes quasdam deperditas esse; quasdam enim veteres habuisse, quae nobis notae non sint, vt vel ex GUIDONIS PANCIOLOLI libro de *rebus deperditis* pateat

teat; id quidem de artibus quibusdam superfluis, & ad vitam minus necessariis, facile concesserim; eas autem, quibus in vita carere non possumus, amitti ea ratione, aut proflus obscurari posse, nemo nisi rerum omnium ignarus, crediderit; conf. & IACOBVS ABBADIE, de *veritate & certitudine christiana religionis*, sect. I. cap. IX. §. XII. seqq.

CAP. VI.

FVNDAMENTORVM ATHE-
ISMI EVERSIO,

VBI ET

AD PRAECIPVA ATHEORVM ARGV-
MENTA RESPONDETVR.

Σύνοψις.

Scepticus atheis- *speciatim Aristoteli-*
mus evertitur, *cus, §. III.*
§. I. *Stoicus, §. IV.*
itemque dogmaticus. Episuraeus & Strato-
generatim specta- *nicus, §. V.*
us, §. II.

& de-

Et demique Spinozianus, §. VI.

Respondetur ad argumenta atheorum, Et primo quidem ad ea, quae ab ipsa Dei conceptu desumunt, §. VII.

tum ad ea, quae scientia, Et immuta-

bilitas Dei, perpetuam intellecta, iis, suppeditat, §. VIII.

Sententiam de Deo, eiusque existentia, inter praepudicatas minime referri posse opiniones, demonstratur, §. IX.

§. I.

CVM non tantum plurima extra nos ipsos sint, quorum existentia & essentia & proprietates per certa indicia nobis innotescunt, interque ea ipse Deus referendus sit; cumque praeterea in nobis certa facultas sit, res spirituales & a materia separatas, interque eas ipsum Deum certo cognoscendi, atque ipsa quemlibet de hisce omnibus experientia eidentissime conuincat; maximopere illos falli, sequitur, qui, uti nec rerum aliarum, ita nec ipsius Dei certam dari cognitionem, sibi persuadent. Atque hinc *atheismus scepticus* sua sponte corruit. *

Ff 5

* De

* De atheismo sceptico dictum, *cap. II. §. IV. & X.* Nunc paucis saltem fundamenta scepticorum praecipua euertenda erunt. Generatim autem ex principiis, quae ipsimet concedunt, & sua natura simul evidentissima sunt, erroris conuinci possunt. Dum enim de omnibus se dubitare profitentur, non possunt abnuere, quin existant. Qui enim, se dubitare dicit, hoc ipso fatetur, quod existat. Si enim non existeret, non posset dubitare. Praeterea, qui dubitat, necesse est, fateatur, aliquid animo suo obuersari, de quo dubitat. Qui enim animo cogitationibusque suis nihil agit, ille etiam nec dubitat. At hoc ipsum, quod animo eius, qui dubitat, obuersatur, siue notionem, siue ideam, siue speciem dixeris, siue alio nomine appellitaueris, supponit aliquid, cuius sit notio, siue actu hoc existat, siue existere possit. In quacumque itaque se vertat partem scepticus, confiteatur, necesse est, existere aliquid, vel existere posse, de quo dubitat, deque eo, quod existat, vel existere possit, cum non posse dubitare. Nemo praeterea negare potest, quasdam notiones ita esse comparatas, ut a nobis ipsis non procedant, ut, cum eiusmodi quid exhibent, quod remouere potius, quam arcessere velimus. Hae vero notiones, cum non possint
non

non rei alicuius notiones esse, nec a nobis ipsis procedant, eas rem extra nos designare necesse est: adeoque rursus de rerum quarundam extra nos positarum existentia nos nulla ratione dubitare sinunt. Rerum extra nos positarum diuersitas eadem ratione demonstrari potest. Qui enim dubitat, rerum quandam diuersitatem non admittere nequit. Qui dubitat, calidumne aliquid sit, an frigidum, concedat, necesse est, quod calidum est, non esse frigidum, & vice versa. Sic & qui ambigit, malumne aliquid sit, an bonum, fateatur, necesse est, quod malum est, non esse bonum, & quod bonum est, non esse malum. Certe, dum dubitamus, res diuersas & a se distinctas inter se conferimus atque comparamus, atque hoc ipso, eas diuersas esse, profiteamur. Possem vltcrius ex innato omnibus sciendi desiderio, vano ytique atque irrito, si nulla daretur certa rerum cognitio, itemque ex mentis humane indole atque constitutione, certis perspicuisque plene acquiescentis, incertis dubiisque per se assensum suum demegantis, aliisque rationibus demonstrare, ineptum prorsus stolidumque esse scepticismum, nisi superuacaneum hoc existimarem, & alii iam in hisce omnibus luculenter edisserendis, studium operamque suam collocassent. Id potius adhuc obseruo, argumenta,
quibus

quibus sceptici euincere allaborant, incerta omnia esse, ad tria reuocari posse capita. Vel enim ab *obiecto nostrae cognitionis*, seu rebus cognoscendis, vel a *facultatibus*, quibus homo praeditus est, *cognoscentibus*, vel a *methodo inueniendi verum*, deprompta sunt; ex quibus tamen, quae ad duo priora pertinent, praecipue in censum veniunt. Ad obiectum quod attinet, res cognoscendas, incertas, fallaces, abstrusas, inuolutas esse, nec villo indicio nobis allucere, clamitant, vt adeo nec de existentia, nec de essentia, nec de proprietatibus earum certi quid sciri queat. Idque cum generatim, de rebus omnibus, quae humanae cognitionis obiectum constituunt, asserunt, speciatim tamen de Deo, rebusque diuinis, adfirmant. Deinde ad alterum quod attinet, mentis humanae imbecillitatem, labilitatem, defectus varios, mirum in modum exaggerant, & sensuum fallaciam atque errores urgent. Tandem & in variis, quae extant, methodis inueniendi verum, multa desiderant, nullam hactenus excogitatum, contendentes, quae ita comparata sit, vt hominem tuto & sine erroris periculo ad finem exoptatum, veritatis scilicet certam cognitionem, perducere queat. Verum, si, quam friuola & lubrica haec omnia sint, ostenderimus, scepticismus, & qui
 ei

ei innititur, atheismus, sua sponte corruet. Falsum nimirum profus est, quod primo loco de obiecto cognitionis dicunt, res omnes incertas, fallaces, abstrusas & ita inuolutas esse, vt nullo indicio nobis innotescant. Vtut enim non negauerim, quaedam hinc inde in variis scientiarum generibus occurrere, quae non profus euidentia sint, aut obscuritate quadam laborent: de omnibus tamen generatim rebus, qui hoc adfirmat, is data opera, stolidoque conatu, contra ipsam experientiam mihi pugnare videtur. Solent a nonnullis obiecta cognitionis nostrae ad tria reuocari capita: cum homo, qui aliquid cognoscit, aut *se ipsum*, aut *Deum*, aut *res alias*, maxime *corpora* extra se posita cognoscat. Vt quis sui ipsius existentiam, itemque proprietates animae & corporis essentielles cognoscat, nihil aliud requiritur, quam vt saltem cogitationes ad se ipsum, & ad sensus suos externos, conuertat; tumque ea facile deprehendet, de quibus nemo nisi ratione omni destitutus, dubitare potest. Ad Deum quod attinet, licet nemo eius essentiam perfecte comprehendere queat, cum, quod infinitum est, finiti intellectus limites longissime transcendat; indicia tamen, ex quibus & existentia, & summa eius perfectio, euidenter cognoscatur, non deesse, vel ex hactenus dictis nemini

nemini obsecutum esse potest. Quae enim
 hodie notitia Dei, tum insita, tum acquisita,
 diximus, euidenter demonstrant, non vna
 ratione mortalibus innotescere, quae de
 Deo eiusque summa perfectione scire, eo-
 rum interest. Idque adeo manifestum est,
 ut nec ipsi tandem reclamare sceptici au-
 deant. Πάντες μὲν ἀνθρώποι, inquit ex eo-
 rum mente; SEXTVS EMPIRICVS, πάντων ἔχου-
 σιν ἐννοίαν, ἢ ἀδύνατον δὲ. *Omnes homines
 Deorum habent notionem, sed non eodem
 modo; aduers. mathematicos lib. VIII.* Non
 minus & reliquarum rerum extra nos posi-
 tarum clara sunt indicia, de quibus ut ali-
 quid dicamus, superuacaneum foret, nec
 instituti nostri aut permittit, aut requirit
 ratio. Frustra vero etiam facultates, quae
 in homine sunt, cognoscentes, a scepticis
 sollicitantur. Quantumvis enim humani
 intellectus in multis non sit neganda imbe-
 cillitas infirmitasque, ea tamen neutiquam
 tanta est, ut non ea homo cognoscere pos-
 sit, quae ad ipsius conseruationem sunt ne-
 cessaria. Varia eaque euidentissima hoc
 docent philosophorum, mathematicorum
 cum primis, principia, in quibus falli ali-
 quem posse, ob summam eorum euidentiam
 prorsus est ἀδύνατον. Parique euidentia
 cum cognoscamus, & Deum existere, &
 quicquid perfectionis cogitari potest, ad
 essen-

essentiam eius pertinere, frustra humani intellectus in hisce accusatur imbecillitas. De imaginatione, sensibusque externis, idem probari posset, si id huius loci esset. De methodis denique inuestigandi & inueniendi verum quod dicunt, lubentes fatemur, non omnes vno eodemque habendas loco. Nec tamen ideo omnes reiiciendae, aut ex incommodis, quibus haec aut illa methodus laborat, inferendum, nullam profus dari, qua verum inueniri queat. Eos enim, qui ita rationes subducerent, ipsa iterum refelleret experientia. Hoc sane constat, eos, qui praeiudicatis opinionibus procul facessere iussis, adfectibusque in ordinem redactis, ingeniosam rei cuiusque cognoscendae instituunt analysin, eamque deinceps constanter promouent, usque dum distinctam rei, quam cognoscere cupiunt, notitiam consequantur, veritatem certissime cognoscere posse. Nec ignotum est, quo pacto veritas in rebus naturalibus cognita atque perspecta, ad reuelationem agnoscendam nos manu ducere queat; qua de re alibi ex instituto. Plura contra scepticos dabunt PETRVS GASSENDVS, *tom. I. opp. de Logicae sine cap. III.* SAMVEL PARKERVS, *de Deo & providentia disput. VI. pag. 489 seqq.* PETRVS DE VILLEMANDY, *in scepticismo de bellato, cumprinuis cap. VII. seqq.* Iun-
gen-

genda, quae dixi in *dissertat. de scepticismo moralis*, quae extat, in *analectis historiae philosophicae*, §. XVIII.

§. II.

Materiam porro quocunque modo consideres, nihil in ea deprehendes, quod existentiam eius necessariam euincat. Immo nihil obstare, facile perspicies, quo minus & non existat. Idque eo magis, quod materia minime pro ente perfectissimo haberi queat, cui tantum necessaria existentia conuenit. Et ita generale *atheismi dogmatici* fundamentum prostermitur.*

* Etsi varia dentur atheismi dogmatici genera, in eo tamen omnes atheos, certum systema sequentes, conuenire necesse est, materiam semper fuisse, & ad eius essentiam pertinere existentiam necessariam. Si enim materia non necessario existit, tempus esse potuit, quo omnino non extitit. Si ergo aliquando non extitit, quae ergo eius origo? & unde hicce mundus? Obmutescendum ergo hic est atheis, quicumque fuerint, siue Aristotelis, siue Epicuri, siue Spinozae systema sequantur, aut asserendum, materiam semper

semper extitisse, immo necessario existere. Hinc supra iam ad *cap. II. §. X.* hoc generale omnis atheismi dogmatici fundamentum esse, obseruauimus; quod si euertatur, omnia illorum corruere systemata necesse est. Praecipue itaque nobis demonstrandum est, ad essentiam materiae non pertinere existentiam necessariam; tum enim facile, eam semper non extitisse, comprobari potest. Necessario autem materiam non existere, primo inde liquet, quod in eius conceptu nihil deprehendam, quod existentiam necessariam inferat. Sane, quicquid existit, dum existit, non potest non existere. Inde vero non sequitur, quod id, quod nunc existit, etiam semper extiterit, & quod nunquam perituum sit. Et ita etiam, cum materia se res habet. Nulla prorsus ratio afferri potest, cur ea, quae nunc existit, semper existere debuerit, aut cur non existere nequeat. Existentia ergo eius non est necessaria. Praeterea si omnes materiae proprietates, extensionem, diuisibilitatem, facultatem recipiendi motum consideres, nihil, quod existentiam necessariam in iis inferat, deprehendes. Cur enim, quaeso, ens eiusmodi, in quo extensionem, diuisibilitatem, & alia eiusmodi obseruo, necessario existeret? Quid obstat, quo minus concipiam, eiusmodi ens non esse, vel

G g

non

non fuisse, vel in posterum non fore? Sane ad conceptum entis perfectissimi, omnibusque numeris absoluti, pertinet existentia necessaria. Sed tantum abest, ut materiam pro ente omnium perfectissimo consummatissimoque habere debeam, ut maximas contra grauissimasque, in ea deprehendam imperfectiones. Est enim materia in se spectata, ens mortuum, mere passivum, vita & motu destitutum, nisi motum ab alio accipiat. Quod licet per se manifestum sit, in sequentibus tamen ex instituto demonstrabitur. Cumque nobis vel ex mentis nostrae inspectione constet, dari substantias, intellectu, voluntate, facultateque mouendi corpora praeditas, eiusmodi quid autem in materia non deprehendam, sequitur, materiam eiusmodi substantiis longe esse ignobilioris imperfectiorisque. Immo & ad sensationes quod attinet, eas formaliter ipsi materiae non inesse, sed ex varia saltem materiae dispositione, figura, motu, in mente nostra excitari, pridem philosophis quibusdam est obseruatum. Quis ergo materiam pro ente omnium perfectissimo venditare auderet? Quare & existentia necessaria frustra ei tribuitur. Si dicas, si vel maxime materia non existat necessario, sufficit tamen, quod semper extiterit; hoc quidem gratis asseritur. Quod si enim hoc negem,

vnde

Vnde probabis? Immo non extitisse, inde
 euinco, quod mundus hiecc non semper
 fuerit, vt *cap. praeced. §. XI.* luculenter
 euicimus. Quodsi materia ab omni aeter-
 nitate atque per infinita iam secula fuit, aut,
 & mundum ab omni aeternitate fuisse, con-
 cedendum, aut ratio danda, cur in certo
 temporis spatio demum extiterit. Poste-
 rius cum atheus facere nequeat, nisi ad ve-
 terum philosophorum de exustionibus & di-
 luuiis ineptias iterum delabi velit, prius ei
 est asserendum, quod aequè absurdum est.
 Ad rationem praecipuam, qua gentilium
 philosophi inducti, materiae aeternitatem &
 existentiam necessariam asseruerunt, quod
ex nihilo nihil fiat, supra iam ad *cap. II. §. X.*
 responsum, atque ostensum, de causa mate-
 riali hoc equidem procedere, minime autem
 de causa efficienti infinitae virtutis. Haec
 enim quo minus ex nihilo aliquid facere
 queat, nihil profecto obstat, etsi modum
 ratio capere nequeat. Iungenda his, quae
 contra necessariam materiae existentiam
 disputat IAC. ABBADIE, de *veritat. & cer-
 titud. christian. relig. sect. I. cap. VI. §. IV.*
seqq. pag. 49. seqq.

§. III.

Materia ergo cum neutiquam ne-
 cessario existat, nec semper extiterit,

Gg 2

multo

multo minus mundum, prouti nunc est, semper fuisse, dici potest. Eos sane, qui id sibi persuaserunt, in grauissimo versari errore, facile demonstrari potest. Pessimae etiam iidem causae suae consulunt, dum per formas & qualitates, naturae phoenomena explicare annituntur. Praeterquam enim, quod haec philosophandi ratio, in se spectata, absona sit, & vniuersi fere consensu hodie reiiciatur, cum sententia, quae mundi aeternitatem statuit, eiusque creatorem reiicit, nullo modo conciliari potest. Et ita *Aristotelici atheismi* fundamenta collabascunt.*

- Cum mundi aeternitas ad *cap. praeced. §. IX.* rationibus euentissimis iam destructa sit, eas vt hic repetamus, necesse non est. Quare id saltem obseruamus, gentiliū istos philosophos, quibus mundi ex fortuito atomorum conuersu ortus, nimis absurdus videbatur, & principium illud, ex nihilo nihil fit, perperam intelligebant, simulque vim potentiamque infinitam creatoris aut ignorabant, aut non admittebant, in hanc de aeternitate mundi ingressos sententiam, quam minoribus incommodis premi putabant, quam illorum, qui mundum ex atomorum

morum concursu fortuito ortum asserabant, et si & ipsi rationibus in contrarium, non aliter, quam per inanes absurdissimasque de emanationibus aut exustionibus huius uniuersi, hypotheses, obuiam ire poterant. Atque hinc facile rationes, quibus pugnabant, & quid ad eas respondendum sit, intelligere licet. Haud infima haec est, si naturae auctor conditorque statuatur, non posse dici, quis ille sit, unde venerit, quando, aut qua ratione mundum extruxerit? & quae alia sunt eiusdem generis. Audire hac de re LVCIANVM iuuabit. Cum enim dixisset, *variā esse de mundo sententiam, siquidem aliis non genitus, nec interiturus esse videatur; alii autem & opificem eius & fabricandi modum ausi sint dicere,* (quibus verbis christianos eum perstringere, nonnulli putant, sed Platonicos potius ea ferire, ex sequentibus liquet) tum de hisce subiicit: *ὅς καὶ μάλις ἐθαύμαζον, θεὸν μὲν τινα τεχνίτην τῶν ὅλων ἐφιστάντας, & προσιδέντας δὲ ἕτε ὅθεν ἦκων, ἕτε ὅπως ἐσῶς, ἕκασα ἐτεκταίνετο· καίτοι πρόγε τῆς τῆ παντὸς γενέσεως, ἀδύνατον καὶ χρόνον καὶ τόπον ἐπινοεῖν.* Quos quidem cum primis admirabar: quod, cum Deum quendam rerum omnium opificem constituisent, non etiam illud adderent, vel unde is esset profectus, neque, ubi consisteret, cum

singula fabricaretur. Nam ante uniuersum ortum non possis vel tempus vel locum imaginari; in Icaro-menippo tom. II. opp. pag. m. 191. Eundem fere in modum VELLEIVS contra Platoniam mundi creationem apud CICERONEM disserit: Quibus enim oculis animi intueri potuit vester Plato, fabricam illam tanti operis, qua construi a Deo atque aedificari mundum fasit? quae molitio? quae ferramenta? qui vestes? quae machinae? qui ministri tanti muneris fuerunt? quemadmodum autem obedire & parere voluntati architecti aër, ignis, aqua, terra, potuerunt? Vnde vero ortae illae quinque formae, ex quibus reliqua formantur, apte cadentes ad animum efficiendum pariendosque sensus? de natura deor. lib. I. cap. VIII. Pari ratione & ARISTOTELES Anaxagoram irridet, quod mente non aliter ac machina ad mundum formandum vtatur, metaphys. libr. I. cap. IV. PLVTARCHVS Platoniam mundi formationem impugnaturus, quaerit, num Deus iam extiterit, cum corpora se mouere inciperent? Cumque negari nequeat, cum ab omni aeternitate extitisse, num dormierit, an vigilauerit, an neutrum fecerit? porro quaerit. Neutrum fecisse, cum dici nequeat, vti nec, quod dormierit, cum ab omni aeternitate dormire, idem sit, ac mortuum esse, vltius progreditur, & num ad

sum-

summam beatitudinem aliquid ei defuerit, aut non defuerit? interrogat. Si defuit, inquit, non fuit Deus. Si non defuit, cur mundum creauit? de *placitis philosophor. lib. I. c. VII.* Proxime huc accedit illorum obiectio, qui, quid Deus, antequam mundum conderet, egerit? & cur non pridem antea, vel ab omni aeternitate eundem condiderit? quaerunt; & quae reliqua sunt eiusdem generis. Haec vero omnia quam friuola, ludicra & plane puerilia sunt, nemo non intelligit. Vnico vero ictu cuncta prosterni possunt, si ens aliquod summe perfectum, infinitae potentiae, omnis materiae expers, & liberrime cuncta agens, supponatur. Neque tantum nihil obstat, quo minus eiusmodi ens perfectissimum, & a materia omni secretum, supponi queat, sed rationes quamplurimae, reuera ens eiusmodi esse, euidentissime demonstrant atque euincunt. Cumque non alia suppetat ratio, ex dubiis omnibus, quae circa rerum naturam se offerunt, eluctandi, id admittendum esse, nemo, nisi caecus proflus atque rationis expers fuerit, abnuerit. Et ita facile ad rationes antea propositas, respondere licet. Si namque quaeras, quis auctor conditorque huius uniuersi sit? Deus est, seu ens illud perfectissimum, potentissimum, liberrimumque, quod antea descripsimus. Vnde venit? Semper fuit. Quo in

loco fuit? Ubique adest. Qua ratione mundum fecit? quibus instrumentis, quibus ministris usus est? Nullis. Ens enim, quod infinitae perfectionis & potentiae est, unico nutu omnia ex nihilo producere potest, nec instrumentis aut ministris indiget. Cur autem non pridem antea, aut ab omni aeternitate mundum condidit? Quia sic placuit. Est enim, ut antea diximus, ens liberrimum. Beatusne fuit, antequam mundum conderet? Fuit. Cur ergo mundum condidit? Ut gloriam & sapientiam suam manifestaret. Quid ante mundum conditum egit? Hoc scire nostra non refert; unde nihil aliud agunt, quam ut stultitiam suam prodant, qui hac de re quaerunt. Qui vero ad mundi aeternitatem probandam, Deum necessitate quadam ad eum condendum inductum, putant, hoc ipso, se nescire, quid Deus sit, significant. Non minus enim ens liberrimum est, quam perfectissimum. Falsumque est, quod Deus omnia necessario agat. Ita enim libertate destitueretur. Immutabilitas vero voluntatis divinae ita capienda, ne per eam summa eius libertas evertatur. Iam quod ad *qualitates & formas substantiales* attinet, per quas Aristotelici systematis defensores rerum naturalium phaenomena explicare annuntur, primo ex ipsa materiae accuratiori consideratione patet,

patet, qualitates illas formasque substantiales
 vanas esse atque inanes. Praeter extensio-
 nem enim ac diuisibilitatem, potentiamque
 motum & figuras varias recipiendi, in ma-
 teria nihil deprehendimus. Nullae itaque
 partes materiae in se spectatae, aut calidae,
 aut frigidae, aut siccae, aut humidae, erunt,
 sed, si quid eiusmodi sentimus, id pro men-
 tis nostrae quadam passione aut affectione,
 ex diuersa particularum, ex quibus materia
 constat, figura, situ, motu, orta, est haben-
 dum. Obstat praeterea huic sententiae de-
 cantatum illud philosophorum veterum, &
 in Aristotelica quoque philosophia receptum,
 principium? *ex nihilo nihil fit.* Cum enim
 in materia nihil profus, quod formis il-
 lis substantialibus, qualitatibusue simile
 fit, deprehendatur, fateatur necesse est,
 qui eas defendere annititur, formas illas
 substantiales ex nihilo oriri. Qualem-
 cunque enim entitatem habeant, causa ta-
 men quaedam eis assignanda erit. Si di-
 cant, qui sententiae istius patrocinium susci-
 piunt, non esse formas istas in subiecto suo,
 sed ex eo tamen educti, actiones, quae non
creatio, sed *eductio* vocanda sit, omnium se
 exponent ludibrio, cum nemo mortalium,
 quid sibi velint, intelligere queat. Nihil
 itaque aliud superest, quam vt aut fatean-
 tur, se nescire, quid dicant, aut creationem

Gg §

admit-

admittant. Quo ipso simul patet, ad rerum naturalium phoenomena explicanda hocce systema longe esse ineptissimum, nisi creatio admittatur. Quemadmodum vero nec reliquae formae aut qualitates, seu entitates reales, ex materia educi possunt, ita multo minus, quo pacto anima hominis hac ratione originem suam accipiat, concipi potest. Cum enim in materia nec sensus, nec cogitatio, nec appetitus, nec libertas sit, num fieri possit, vt sine creatione ex materia substantia a materia, prorsus distincta, sentiendi, cogitandi, adpetendi facultate, libertateque praedita existat? Coecus sit, rationeque omni destitutus, qui hoc sibi persuadeat. Immo nec motus rationem per hanc hypothesein reddi posse, nonnullis obseruatum. Licet enim vel maxime dicant, ex materia generari formas & qualitates, & in eam corrumpi, semper tamen remanet quaestio, cum generatio & corruptio sine motu fieri nequeat, vnde iste motus? quaeue eius causa sit efficiens? cum materia se ipsam nec mouere, nec mutare queat. Sed plura non addo, cum iam pridem formae istae substantiales & qualitates ex orbe philosophico proscriptae sint. Rationes in compendio exhibet IOANNES BAPTISTA DV HAMEL, de *consensu vet. & nouae philosophias*, lib. I. cap. VII. §. VII. pag. 157. seqq.

§. IV.

Qui Deum pro *forma mundi*, aut *assistente*, aut omnino *informante*, habent, adeoque necessario nexu cum materia coniunctum contendunt, & fati ineluctabilis legibus subiiciunt, vt omni eum libertate priuant, ita pugnancia secum afferunt, Deum statuentes, qui non sit Deus, seu ens perfectissima, quod summa imperfectione laboret. Quod cum longe absurdissimum sit, *Stoicus atheismus* hinc sua sponte corrui.

* De Stoico atheismo supra *cap. I. §. VIII. & cap. II. §. IX. & X.* diximus. Prouti cum Spinozismo conuenit, in quem eum tandem abire, ibidem obseruauimus, iisdem reici & impugnari rationibus potest, quibus deinceps contra Spinozam pugnabimus. Prout autem a Spinozismo utcumque discernitur, rationes, quibus nititur, ad duo reuocari capita possunt; alterum, Deum nexu insolubili cum materia coniunctum esse, immo ipsam animam mundi constituere; alterum, totum hoc vniuersum, ipsamque adeo Deum, inuitabilis fati legibus durissimis esse obnoxium. Vtrumque tam absurdum

furdum est, vt absurdius nihil cogitari queat.
 Etenim si Deus cum materia necessario nexu
 confunctus est, ita quidem, vt ipsam mundi
 animam constituat; sequetur, eius essentiam
 per omnia corpora diffusam esse, vt non
 tantum in singulis hominibus, sed & brutis
 animantibus, pars quaedam essentiae diuinæ
 reperiatur. Haud nescio, id omnino ad-
 misisse atque asseruisse Stoicos; sed hoc
 ipso ostenderunt, se ad ineptissima quæuis
 absurdissimaque edimittenda & asserenda pa-
 ratos esse. Deum nimirum se agnoscere,
 & colere videri volebant, sed talem Deum,
 cuius pars in canibus, felibus, auibus, ali-
 isque animantibus deprehenderetur. Quam
 vero absonum sit, essentiam diuinam ita in
 particulas discerpere, iam ipse vidit CICERO,
 in Pythagora (cui eandem sententiam tri-
 buit) idem reprehendens: *Nam Pythago-
 ras, inquit, qui censuit, (Deum) animum esse
 pex naturam rerum omnium intentum & com-
 meantem, ex quo nostri animi carperentur,
 non vidit distractione humanorum animorum,
 discerpi & lacerari Deum; & cum miseri
 animi essent, quod plerisque contingeret, tum
 Dei partem esse miseram;* de natur. deor.
 libr. I. cap. XI. At non adeo ista mirabi-
 tur, qui secum cogitauerit, Stoicos non
 alium, quam materialem Deum agnouisse.
 Diversimode equidem de Deo loquuntur.
 Inter-

Interdum totum compositum, quod ex materia & spiritu, seu anima mundi, constat, *Deum* vocant. Subinde namque ipsum mundum, aut naturam, hocce nomine insigniunt. Interdum vero animam mundi separatim spectantes, eam *Deum*, item *spiritum*, *animam*, *mentem*, *rationem* adpellant. At spiritus nomine eos neutiquam substantiam materiae expertem, sed corpus aliquod subtilissimum intelligere, supra iam ostendimus. Nec Deum eos materiae expertem credidisse, vel inde patet, quod cum mox pro igne, mox pro aethere, habuerint.

CICERO de Zenone, Stoicorum principe, verba faciens, *atque hic eadem*, inquit, *alio loco aethera Deum dixit esse, si intelligi potest nihil sentiens Deus, qui nunquam nobis occurrit, neque in precibus, neque in optatis, neque in votis; de nat. deor. lib. I. cap. XIV.*

Quo sensu & capiendum, quod DIOGENES LAERTIVS docet, ab Antipatro Tyrio, τὸ ἡγεμονικὸν τῆς κόσμου, seu *partem principalem mundi esse τὸν αἰθέρα aetheraem*, in Zenone, seu *libro VII. sect. CXXXIX.* Rursus idem, de quo ante diximus, Zeno, auctore iterum CICERONE, *naturam* (hoc est Deum) ita definit, vt eam dicat *ignem esse artificiosum ad gignendum progredientem via; de natur. deor. lib. II. cap. XXII.* Idque ipse IVSTVS LIPSIVS, magnus Stoicorum defensor & admirator, negare nequit, quippe qui,

qui, dum eadem CICERONIS & familia DIOGENIS LAERTII verba recitasset, addit: *Quare ignem?* quia Stoici vim & vitam omnem mundi atque ipsam adeo Deum in igne ponebant, immo Deum esse. Sed ignem non quemcunque, non huncce nostrum corruptorem & corruptibilem, sed artificiosum, id est, artificem atque opificem, condentem ratione & velut arte, vegetantem ac seruantem; *physiolog. Stoicor. libr. I. dissertat. VI. pag. 12. seqq.* Quo pacto tum haec, quod Deum mox aetherem, mox ignem vocant, tum reliqua, quae de eo enuntiant, ἀούσατα proflus atque ἀούρατα, inter se, conciliari queant, videant, qui Stoicorum in se patrocinium suscipiunt. Nobis sufficit, quod inde pateat; non aliud, quam materiale rerum omnium principium eos admisisse. Idque & inde manifestum est, quod animam hominis, quam Dei particulam esse existimant, materialem esse credant, ut supra obseruatum. Haec vero omnia quam inepta, quamue indigna iis sint, qui philosophi videri volunt, nemo non intelligit. Rerum omnium, quas in hocce vniuerso videmus, natura atque indoles necessario causam quandam, summa sapientia, potentia & libertate praeditam, requirit. Hanc qui non admittit, & nihilotenus effectuum, qui in natura occurrunt, rationem reddere an-

niti-

nititur, nihil aliud agit, quam ut mentis imbecillitatem prodat. Quis vero de isto Stoicorum principio, necessario non tantum vinculo cum materia coniuncto, sed & ipso materiali, sibi istud persuadeat? Materiam cogitationis, adeoque nec cognitionis, multo minus sapientiae ac libertatis, capacem non esse, saepius iam monuimus. Quae itaque effectuum, qui oculis nostris quotidie obuersantur, causa? Nec est, quod ququam moueat, Stoicos docere, mundum initium habuisse, habiturumque finem, itemque subinde de *δημιουργῶ* seu conditore quodam mundi, loqui. Initium enim finemque mundi ita capiebant, ut infinitam mundorum successionem admitterent, mundoque per exustionem destructo, *σπερματικῆς λόγῃς*, quos vocabant, remanere, ex quibus nouus nasceretur. Et de ista mundi ex-rationibus feminalibus generatione, etiam creatio mundi ex istorum mente est accipienda. Luculenter hoc exprimit **DIOGENES LAERTIVS**, de Deo ex Stoicorum mente ita loquens: *ὅς δὴ ἀφθαρτός ἐστι καὶ ἀγέννητος, δημιουργὸς ὧν τῆς διακοσμῆσεως, κατὰ χρόνων ποίας περιόδου, ἀναλίσκων εἰς ἑαυτὸν τὴν ἅπασαν ἔσταν, καὶ πάλιν ἐξ ἑαυτῶ γεννῶν, qui ἔ incorruptibilis ἔ ingenuus sit, opifex tanti operis ἔ ornamenti, per temporum certos circuitus in se*

se ipsam omnem substantiam consumerit, & eam rursus ex se ipso gignens; in Zenone sive lib. VII. sect. CXXXVII. Haec vero omnia ita comparata sunt, ut & gratis a Stoicis assumantur, & sua futilitate corruant. Per λόγον enim σπερματικόν aut Deum, aut aliud quid, intelligunt. Si Deum ipsum, (quae omnino illorum est sententia) nesciunt, quid dicant, cum hoc ipso ens, quod perfectissimum simulque imperfectissimum sit, admittere, hoc est, pugnantia secum loqui cogantur. Sin aliud quid? quaestio rursus, quidnam illud sit, & qua ratione vitam, motum & reliqua, quae in rebus creatis conspicimus, in hominibus vero etiam cogitationem, cognitionem, sapientiam, libertatem efficere queat, exurgit, cum haec omnia summam, infinitam, liberrimamque potentiam supponant. Cuncta vero tandem apud Stoicos ad fatum aliquod redeunt, cuius ineuitabili necessitati omnia, ipse etiam Deus, obnoxia sint. Eos omnia omnino, ipsumque adeo etiam Deum, fati legibus subiecisse, variis testimoniis comprobare possem, sed sufficiat vnicum illud

M. AVRELII ANTONINI: Πάντα ἀλλήλοις ἐπιπλέκεται, καὶ ἡ σύνδεσις ἰεραὶ, καὶ χροδόντι ἐδὲν ἀλλότριον ἄλλο ἄλλω' συγκατατέτακται γὰρ καὶ συγκοσμεῖ τὸν αὐτὸν κόσμον. Κόσμος τὲ γὰρ εἰς διὰ πάντων, καὶ

καὶ θεὸς εἰς διὰ πάντων, καὶ ἑστὶ μία καὶ νόμος εἰς λόγος κοινὸς πάντων τῶν νοε-
 ρῶν ζώων καὶ ἀλθῆςα μία. *Omnia sunt
 inter se complexa sacro nodo, neque quid-
 quam ab altero est alienum: ordine enim
 omnia certo disposita, unum eundemque mun-
 dum exornant. Mundus ex omnibus constat
 unus, unusque per omnia diffusus est Deus,
 una natura, una lex, una ratio communis
 omnibus ratione praeditis animantibus, una
 veritas; de se ipso ad se ipsum. libr. XII.*

§. VII. Hic fati immutabilem & indecli-
 nabilem necessitatem *sacri nodi* nomine, re-
 ferendo se ad nodum *Herculis*, vel *Iouis*
catenam, *Homero* memoratam, designat.
 Res vero indicaturus, quae sacro hoc nodo
colligatae inter se atque connexae sint,
 adeoque ineluctabili fati necessitati ob-
 noxiae, Deum, ceterasque mundi partes, no-
 minat. Observatum id mihi iam in *differ-
 tat. III. de errorib. Stoicor. in philosophia
 morali §. VII. in analect. hist. philos. p. 178.*
 ubi & plura hac de re dixi. Iam vero, si
 quaeras, quidnam itaque istud fatum sit? nihil
 aliud responderi potest, quam ipsosmet hoc
 non posse explicare Stoicos, adeoque, dum
 semper fatum crepant, eos tamen reuera,
 quid dicant, quidue ea voce sibi velint, ne-
 scire. Si enim vel maxime respondeas, est
 ineluctabilis necessitas, est inevitabilis ordo,

Hh

nisi

nisi causam simul adferas, vnde necessitas illa, vnde euitabilis ordo proueniat, nihil capio, nihil intelligo; vocemque saltem audio, cuius sonus aurem verberat, sed, quae in mente, quod capere queam, nihil producit. Ipsi etiam hac in re adeo sibi non constabant Stoici, vt quidam fatum a Deo distinguerent; alii autem, fatum & Deum, vnum idemque esse, traderent. DIOGENES LAERTIVS inter illorum dogmata hoc quoque refert: *έν τε είναι θεόν, καί νῦν, καί εἰμαρμένην καί Δία, πολλαῖς τε ἐτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι* Vnum quoque Deum esse, & mentem & fatum & Iouem, multisque aliis appellari nominibus; *libr. VII. sect. CXXXVI.* Quod & CICERO confirmat, de Chrysippo verba faciens: *Idemque etiam legis perpetuae & aeternae vim, quae quasi lux vitae & magistra officiorum sit, Iouem dicit esse, eandemque fatalem necessitatem appellat, sempiternam rerum futurarum veritatem; de nat. deor. lib. I. cap. XV.* Plura non addo, cum haec, quae diximus, ad profligandas Stoici atheismi ineptias sufficiant.

§. V.

Non minus vero illi mentis summam imbecillitatem produnt, qui mundum

dum huncce ex fortuito atomorum concursu coaluisse, sibi persuadent. Praeterea enim, quod frustra atomorum seu materiae aeternitatem supponant, motus quoque, quem atomis tribuunt, causam rationemque expedire nequeant, summa illa, quae & in toto hocce vniuerso, & in singulis rebus creatis, artificis, infinita potentia praediti, conspicitur sapientia, non permittit, vt aliquis, nisi mente omni & ratione destitutus, fortuito atomorum concursui ista tribuere queat.* Materiam vero vita quadam naturali & vi plastica instructam fingere, nihil aliud est, quam commenta commentis cumulare, & talia asserere, quae neququam secum consistere possunt.** Quae omnia qui paulo accuratius secum expenderit, facile, quam lubrica & *Epicuræi & Stratonici atheismi* fundamenta sint, intelliget.

* Primum Epicuræi atheismi fundamentum est, atomos semper extitisse. Hoc vero cum ex fundamento generali atheismi dogmatici, de aeternitate & existentia necessariae materiae, fluat, quod iam ad §. II. huius

Hh 2

capitis

capitis ex instituto destruximus, vt hic aliquid addamus, necesse non est. Alterum est, quod materiae motum tribuunt. Sed vnde hicce motus? Si Deum materiae pariter & motus auctorem, conditoremque, admittere nolis, nihil aliud superest, quam vt dicas, motum materiae esse essentialem. At hoc quam absurdum sit, itidem supra iam demonstratum ad *cap. V. §. III.* Rationibus saltem ibi iam allatis & hanc addo: si motus materiae essentialis esset, a libere agentibus varie produci & destrui non posset. Quod qui per hypothesein de eadem motus quantitate, quae perpetuo in hocce mundo conseruetur, elidere cupiunt, commenta saltem atque fabulas nobis narrant. Epicurus equidem viam hinc se expediendi sibi inuenisse visus est, dum pondus atomis tribuit, cuius vi deorsum in infinito inani ferantur. At hoc perinde est, ac si nullam motus causam reddidisset. Cum enim pondus, quod atomis tribuit, quacunque demum ratione consideretur, grauitatem, adeoque qualitatem quandam, qua deorsum corpora tendunt, denotet, quaestio rursus, vnde eam habeant? recurrit. Ad quam si respondere velit, aut causam quandam indicet, aut ignorantiam fateatur, necesse est. Ne quid de eo dicam, quod absurdum prorsus sit, in spatio infinito plagam

gam sibi superiorem vel inferiorem concipere, quod iam ipse TULLIUS monuit *libr. I. de finibus cap. VI.* Et haec quidem ad destruendum, penitusque euertendum, Epicuri systema sufficere possent. Vt tamen eo magis adhuc, quam infirmis lubricisque fundamentis innitatur, pateat, reliqua etiam profequi, & paucis perstringere iuuabit. Cum ipsemet Epicurus videret, per motum atomorum perpendiculararem eas in corpuscula & moleculas maiores coalescere non posse, alium insuper motum, quem *declinationis* vocat, excogitavit; vti supra ad *cap. III. § IX.* nobis obseruatum. Sed vnde motus hicce declinationis proueniat, quæ eius causa sit, non explicuit. Si quidlibet fingere liceat, haud difficile fuerit, ex quolibet facere quidlibet. Quod vt in poëtis forte toleraueris, philosopho tamen indignum esse, nemo non intelligit. Agnouit hoc itidem CICERO, *loc. cit.* contra confictum illum motum declinationis disputans. Quodsi & hoc Epicuro concedatur, dari eiusmodi motum declinationis (quamuis nullo modo concedendum sit) nec sic tamen, quod cupit, obtinebit. Etenim si proportio vacui infiniti ad atomorum quantitatem consideretur, euidenter demonstrari potest, particulas seu atomos tantis a se inuicem remotas esse intervallis, vt nunquam

quam se mutuo contingere & in corpuscula maiora coalescere potuerint; quod luculenter ostendit RICHARDVS BENTLEIVS, in *stultitia & irrationabil. atheismi*, pag. 341. *seqq.* Sunt equidem, qui existimant, dilui difficultates omnes, quibus Epicuri systema premitur, posse, si cum recentioribus quibusdam, *motus attractionis* statuatur. Verum, si vel maxime *motus* eiusmodi *attractionis* admittatur, ille tamen non erit proprius aut essentialis materiae, sed ab arbitrio eius dependebit, qui naturae leges sancivit. Materia enim in se spectata mere passiva est, &, vti nec alium quemcunque, ita nec motum attractionis efficere potest. Multo minus motus regularis, fixus, vniformis, certis, iisque constantissimis legibus circumscriptus, qualis motus attractionis ex mente illorum est, qui eum supponunt, a sola materia, absque omnia alia causa efficiendi proficisci potest. Mitto reliqua, quae contra motum attractionis a viris doctis disputata sunt, speciatim a RICHARDO BENTLEIO, *loc. cit. pag. 253. & 359.* Cuncta vero tandem in Epicuraeorum schola eo redeunt, posito motu qualicunque, casu fortuito, per atomorum concursum, combinationem, nexus varios, totum hocce vniversum, & omnia in eo corpora, magna pariter ac parua, exorta esse. Hoc vero vti

ex

ex solo atomorum motu, si vel maxime is concedatur, nulla ratione fieri potuit, ita ordo concinnus, qui in hocce vniuerso conspicitur, & admirabilis, pulcherrimaque, & ad certum finem sapientissime accommodata, corporum singulorum structura, quam *capite praecedenti* pluribus explicauimus, casui fortuito nullo modo tribui potest. Enimvero, si quis Iliada Homeri, & Virgilio libros Aeneidos, ex litterarum fortuita quadam combinatione originem accepisse, sibi aliisque persuadere vellet, hunc insanum esse, atque ratione destitutum, omnes vna voce pronuntiaturi essent. Quis enim crederet, tot voces, tot versus, sensum aptissimum fundentes, & iusto ordine atque nexu concinno integrum poëmaticis corpus exhibentes, ita casu fortuito coire potuisse? *Hic ego non mirer, recte inquit CICERO, esse quenquam, qui sibi persuadeat, corpora quaedam solida atque indiuidua, vi & grauitate ferri, mundumque effici ornatissimum & pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? Hoc qui existimat, fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles vnus & viginti formae litterarum, vel aureae, vel qualeslibet aliquo coniiciantur, posse ex his in terram excussis, annales Ennii, vt deinceps legi possint, effici; quod nescio, an in vno quidem versu possit tantum valere*

fortuna ; de natura deorum libr. II. cap.

XXXVII. Pari ratione, si quis concentum suauissimum instrumentorum musicorum audiret, aut statuam vel picturam summo artificio confectam, conspiceret, sibi que aut aliis persuadere vellet, fortuito contigisse casu, vt tam apte, tamque concinne diuersi isti sonus ad harmoniam suauissimam efficiendam inter se consentirent, aut statuam istam vel picturam longe pulcherrimam sua sponte sine vlla artificis manu extitisse, nonne is omnium, ratione vel modice vventium, ludibrio se exponeret? Legenda, quae plenius hac de re disserit FRANCISCVS DE SALLIGNAC DE LA MOTHE FENELON; de *l'existence de Dieu §. V. seqq. p. 9. seqq.* Cum primis vero obseruandum, quod semper vna eademque ratione, ordineque perpetuo & constanti fit, id non posse dici, quod fiat casu fortuito. Nihil enim magis casui fortuito, quam constans certusque ordo, repugnat. Iam vero quis vel leuiter coelestium siderum motum, generationesque plantarum, arborum, animalium, hominum, & reliqua naturae phaenomena considerans, non agnoscat, ordinem in hisce omnibus constantissimum, legesque fixas & immotas deprehendi? quae vti summam & infinitam sapientiam arguunt, ita cum casu fortuito consistere prorsus nequeunt. Ceterum, et si

Epi-

Epicuræi subinde de casu fortuito loquantur, eique rerum huius mundi ortum tribuant, simul tamen innuunt, per atomorum coniunctionem, combinationemque variam, mechanica quadam ratione, mundum huncce & omnia in eo corpora extitisse. Quæ in re consentientem quodammodo secum habent RENATVM CARTESIVM, eosque, qui eius philosophandi rationem sequuntur. Hi namque licet materiam in particulas minutissimas a Deo diuisam, certumque motum ei impressum fateantur, reliqua omnia tamen mechanica quadam ratione extitisse, contendunt, vt Deo nihil aliud, quam creatio materiae, eiusque in partes diuisio, motus productio, & ad certas leges ordinatio, relinquatur. Quæ res, quin atheis longe sit gratissima, dubitari nequit. Cum enim materiam in partes diuisam, motumque, (etsi perperam, vt supra demonstratum) supponant, si mechanica quadam ratione, absque supremo directore cuncta quæ in orbe hocce videmus, existere potuerunt, iam habent, quod volunt. Immo recentiores isti mechanismi defensores vltèrius progressi sunt, quam ipsi Epicuræi veteres. Hi enim nunquam asseruerunt, ex motu & coniunctione varia particularum non potuisse non eum, quem

Hh 5

vide-

videmus, mundum cum singulis corporibus oriri, sed post varios eosque saepissime irritos materiae conatus, & combinationes atomorum ineptas, & frustraneas, tandem in infinito temporis spatio eam plurimorum corpusculorum coniunctionem casu fortuito contigisse, ex qua mundus hicce ortus sit. Recentiores contra mechanismi assertores eam sibi rationem inuenisse visi sunt, qua posito materiae motu, non potuerit non mundus hicce cum omnibus, quae in eo conspiciuntur, corporibus, oriri. Qua in re tamen quantopere fallantur, res ipsa docet, cum per solas leges mechanicas phaenomenorum naturalium nullo modo reddere rationes queant; quod in compendio ostendit IOANNES RAYVS, in *existētia & sapientia Dei manifestata in operibus creationis part. I. pag. 33. seqq.* Iungenda &, quae contra Cartesium disputat SAM. PARKERVS, de *Deo & providentia, disputat. III. sect. XXI. pag. 307. seqq.* Sed ad Epicurum vt redeamus, quam lubrico atque infirmo fundamento atheismi eius systema nitatur, vel inde patet, quod ad naturae phaenomena explicanda talia subinde assumere cogatur, quibus suamet ipse principia euertit. Sic dum fortuito atomorum concursui animalium ortum tribuere aufus

ausus non est, eo potissimum inductus argumento, quod alias ex quolibet fieri possit quidlibet, ea ex feminibus in vteris terrenis antea formatis, enata fuisse, statuit; vide T. LVCRETIVS CARVS, *lib. II. vers. 699.* Sed vnde femina ista? Aut discrimen aliquod inter femina & reliqua corpora intercedit, aut non intercedit. Si non intercedit, cur femina statuit? aut cur non ex quolibet corpore quidlibet aliud oriri potest? Si intercedit, in quonam istud consistit, & vnde oritur? Pari ratione, cum cognitionem per εἰδῶλον ἔμπρωσιν fieri statuatur, necesse est, fateatur, omnem animae cogitationem mera passione, adeoque sensatione quadam, absolui. Haec vero cum erroris & falsi iudicii expertus sit, Epicurus, vt hinc se expediatur, errorem ex animi opinatu oriri posse, dixit, qui aliquid ei, quod a simulacris repraesentatum erat, addat. Qua in re rursus aperte sibi contradicit, allerendo, cogitationem simulacrorum ἔμπρωσιν contingere, adeoque animam mere passivae se habere, & nihilominus gaudere facultate, opinatu suo simulacrorum repraesentationi aliquid addendi, hoc est, simul aliquid agere. Explicaturus praeterea, qua ratione fiat, vt, quod volumus, cogitemus? a conuersione mentis id pendere putat, quae

pro

pro arbitrio huc & illuc se flectat. Quo ipso reuera voluntati facultatem se ipsam mouendi tribuit, quod cum eius materialitate nullo modo consistere potest. Mitto reliqua, in quibus Epicurus, & qui ex eius schola prodierunt, non possunt non pugnantia secum asserere. Id saltem addo, cum *πρώτων ψεύδος* atheismi Epicuraci sit, praeter inane & atomos nihil esse, adeoque nullos dari spiritus, ipsam mentis nostrae considerationem, ad huncce atheismum penitus conficiendum, efficacissimum argumentum suppeditare. Qua de re cum iam *cap. praeced. §. VII.* ex instituto dictum sit, ea vt hic repetamus, necesse non est.

** Ex iis, quae supra ad *cap. I. §. XVI. & cap. IX. §. IX.* diximus, constat, systema Stratonis in quibusdam cum Epicuraco conuenire, in quibusdam ab eo differre. Quod itaque ad ea attinet, in quibus vterque consentit, materiam in particulas infinitas discerptam semper extitisse, & ex istarum particularum concursu fortuito totum hocce vniuersum ortum esse, quo loco habenda sint, iam ex dictis constat; cum, quae contra Epicurum disputauimus, etiam contra Stratonem valeant. Superfunt itaque, quae Stratoni propria sunt, quorum praecipuum fundamentum in eo consistit, vitam quan-

quandam plasticam materiae esse essentialem. Hac enim ratione, qui Stratoniam hancce philosophandi rationem sequuntur, se difficultates, quibus Epicuræi premuntur, superare, & non tantum vitæ sensusque in animalibus, sed & motus qualemcunque rationem reddere posse existimant. Verum si omnia paulo accuratius consideremus, vulgatum illud: incidit in scyllam, qui vult vitare charybdin, & hic obtinere videbimus. Primo enim gratis hoc sibi sumunt, materiae vitam plasticam essentialem esse. Hoc probandum prius, & rationibus luculentis vincendum erat, quam totius philosophiæ ædificium eidem superstrueretur. Deinde, supra iam monuimus, utcumque materia consideretur, nihil aliud, quam extensionem, diuisibilitatem, facultatemque recipiendi motum & figuras varias, in ea deprehendi. Vitam vero plasticam in materia, in se spectata, nemo inueniet. Immo cum ne motus quidem materiae essentialis sit, uti supra luculenter demonstrauius, quis sibi persuadeat, eam vitæ quadam & virtute plastica instructam esse? Quodsi vel maxime concedamus (quod tamen sine summa absurditate concedi nequit) materiam eiusmodi vitæ plastica gaudere, hanc tamen a sensu animali & cogitatione reflexa diuersam

fam esse, nec ipsi, vt puto, Stratonicae hypo-
 theseos defensores abnuent. Vnde rur-
 sus quaestio oritur, vnde itaque in animan-
 tibus sensus? & in hominibus cogitatio re-
 flexa? Si dicant, vitam illam, vimque pla-
 sticam diuersimode pro organorum diuersi-
 tate sese exerere, ignorantiam suam stul-
 titiamque prodent, cum per modificatio-
 nem per organa factam nihil, quod cum
 materia nullum plane nexum habet, pro-
 duci queat. Praeterea, qui vitam plasticam
 materiae tribuunt, eam facultate admira-
 bili naturae motus dirigendi, & talia effi-
 ciendi, quae summam sapientiam arguunt,
 instructam fateantur, necesse est; quae
 facultas quo pacto sine cognitione reflexa
 esse queat, nisi eiusmodi quid a sapientis-
 simo rerum omnium conditore constitu-
 tum dicatur, nemo mortalium cogitatione
 assequi poterit. Accedit & illud, quod
 nemo aut explicare, aut mente comprehen-
 dere queat, quo pacto ex innumeris, ato-
 mis, quae vita sua propria & sibi peculiari
 singulae sint instructae, tales possint existere
 substantiae, quales sunt homines & ani-
 mantia reliqua. In quolibet enim homine,
 & in quolibet animante, immo in quolibet
 hominis membro & corporis parte, conci-
 piendae essent particulae, quarum quaelibet
 per

per se vita propria, sensuque & cognitione, praedita esset. Hoc vero perinde esset, ac si quis integrum exercitum animo concipere vellet, cuius, etsi ex plurimis hominibus constantis, vna tamen vita, vnus sensus, vna cognitio esset. Non sum nescius, morali quadam ratione per pacta, perque consensum, homines inter se vniri posse; qualis voluntatum vnio in exercitu, republica, ecclesia, aliisque societatibus conspicitur; sed moralis ista vnio diuersitatem sensus, intellectus, cognitionis, non tollit, quae in vna quadam substantia physica, vnico intellectu, sensu vnico, vnicaue voluntate praedita, locum habere nequit. Mitto reliqua, quae contra hanc sententiam adferri possent, & ab aliis iam allata sunt, speciatim a TITO LVCRETIO CARO, ex instituto contra Stratoniam hancce hypothesin disputante, de *rerum natura lib. II. pag. 63. seqq.*

§. VI.

Substantiam materialem, quae simul cogitet, statuere, deque Deo, ceu ente omnium perfectissimo talia asserere, quae summam imperfectionem inuoluunt, vti contradictorium, prorsusque ineptum est, ita non minus absouum, vnquam tantum
statuere

statuere substantiam, cum & ratio & sensus, & experientia, plures a se inuicem distinctas, separatasque dari substantias, quemuis, nisi rerum omnium prorsus ignarus sit, condoceant. Idque ad destruendum, euertendumque penitus *Spinozismum*, sufficit.*

- * *Spinozismum*, cuius summam *cap. I. §. XXVI.* exhibuimus, non tantum fundamento omni destitui, sed *ἀλογον* prorsus atque absonum esse, vel inde liquet, quod contradictionibus perpetuis & ineptissimis laboret. Deum enim se admittere, cum Spinoza videri velit, & vnicam tamen simul statuatur substantiam, necesse est, ut Deum extensum quid, hoc est, ens simplicissimum, simul compositum, & ex partibus innumeris atque infinitis conflatum esse, fateatur. Id vero eiusmodi est, ut nemo mortalium mente comprehendere valeat. Quodsi negent, extensum seu materiam ex partibus innumeris, quarum quaelibet substantiam peculiarem constituat, compositam esse, tum ausu impudentissimo, quae longe sunt eidentissima, impugnabunt. Cum enim secundum tritum illum philosophorum canonem, distincta inter se sint, quae diuersa praedicata admittunt, ita, ut de

de altero dici nequeat, quod de altero asseritur, manifestum est, distinctas a se inuicem atque plane diuersas dari substantias, cum, quod de lapide asseritur, de cane aut boue dici nequeat. Nec est, quod modificationes suas hic nobis opponant. Ratio enim euidentissime docet, modificationes seu modalitates, vt alii vocant, quae secum consistere nequeant, diuersa etiam requirere subiecta. Sed hac de re deinceps. Praeterea, cum omnes, qui ideam quandam Dei habent, fateantur, ad eam requiri, vt sit immutabilis, nec ipsi Spinozistae negare queant, si Deus admittendus sit, cum immutabilem fore; absolum iterum est, materiam ipsam pro Deo habere, quae infinitis mutationibus est obnoxia. Cumque per varias materiae mutationes, generationes omnes atque corruptiones fiant, sequetur, Deum ipsum mox hominem, mox bouem, mox canem, mox ranam, mox aliud quid fieri; & quoties animalia eiusmodi occiduntur, moriuntur, destruuntur, Deum ipsum occidi, mori, destitui; immo omnia mortis & suppliciorum genera, quibus homines perimuntur, in Deum ipsum cadere. Quod eiusmodi est, vt non tantum ipsi gentilium poetae vnquam absurdus aliquid de Deo non dixerint, sed nec homini febricitanti ineptius quid in mentem venire queat. Sed

Ii

nondum

non absurdorum finis est. Cum enim iuxta Spinozistas mens hominum sit modificatio essentiae diuinae, dicendum fuerit, non hominem, sed Deum cogitare; adeoque cum homines saepius contraria secumque pugnantia cogitent, sequetur, Deum ipsum nunquam non secum pugnare, & mox hoc, mox aliud quod priori repugnet, cogitare. Nec est, quod dicant, de ipsa modificatione, non autem de subiecto, vel essentia, hoc esse intelligendum. Hoc enim perinde esset, ac si quis diceret, non hominem, sed cogitationem cogitare, non hominem, sed sermonem eius loqui; quod puerile prorsus est, atque absurdum. Execrabile vero insuper atque blasphemum est, si quis ad cogitationes, dicta & facta improba, & lege diuina prohibita, ea transferat. Nullum enim erit tam execrabile facinus, nullus tam nefandus sermo, nulla tam blasphema cogitatio, cuius non ipse Deus auctor censendus sit. Nec enim homo, sed Deus ipse iuxta istam Spinozae philosophiam illa perpetrabit, loquetur, cogitabit. Sunt haec eiusmodi, vt non tantum horrenda sint, sed vt ipsis atheis non possint non longe videri absurdissima: Quantumuis enim hi Deum esse negent, nemo tamen temere ex illis erit, qui non fateatur, si Deus sit, eum longe esse perfectis-

fectissimum, adeoque contradictorium esse, Deum asserere, qui tot tantisque imbecillitatibus & imperfectionibus sit obnoxius. Legenda, quae hanc in rem differit PETRVS BAELIVS, *dictionar. histor. crit. voc. Spinoza, pag. 2777*. Sed misis hisce & reliquis eiusdem generis, id cumprimis obseruandum putamus, perperam omnino dici, cogitationem pariter ac extensionem, modificationes esse vnius eiusdemque substantiae. Hinc enim sequitur, substantiam materialem quatalem, etiam cogitare posse, quod tamen prorsus est *ἀδύνατον*. Cum enim in materia nihil aliud, quam extensionem, diuisibilitatem, facultatemque motum, & varias figuras recipiendi, concipere queamus, in hisce omnibus nihil profecto deprehenditur, quod cum cogitatione conuenientiam quandam habeat. Cogitare vero est, non tantum res varias percipere, earumque ideas sibi formare, sed ideas quoque hasce inter se comparare, componere, diuidere, ratiocinari; neque tantum res fere innumeras, interque eas materia omni ac corpore destitutas, cognoscimus, sed eas nos cognoscere nouimus, quod actum mentis reflexum vocare solent. Quocumque itaque nunc modo materiam consideres, in quamcunque eam vertas partem, quacumque etiam ratione particulas eius disponas, quamcunque

eis tribuas figuram, nihil eiusmodi, quod
 cogitationem exprimat, inde resultabit.
 Quo pacto hac ratione varia corporum
 genera oriri queant, facile concipio: at
 quatenam particularum aut figura aut
 dispositio esse debeat, vt incredibili ce-
 leritate, mox iustitiae, mox temperan-
 tiae, mox sapientiae ideam exhibeant,
 vtque efficiant, vt non tantum haec co-
 gnoscant, sed sciam quoque, me ea cogno-
 scere, vt de hisce similibusue iudicare, ratio-
 cinari queam, id nullo modo, nullaque ratio-
 ne comprehendere valeo. Ergo id, quod
 ea ratione cogitat, diuersum quid, pror-
 susque distinctum a materia esse oportet.
 Nec est, quod obicias, ipsam & spiritus
 & corporis essentiam nobis incognitam
 esse, cum, quicquid de spiritu aut corpore
 nouimus, attributa saltem seu proprietates
 vtriusque sint; e. gr. cogitatio & exten-
 sio; vnde sequatur, non posse certo dici,
 cogitationem repugnare materiae. Scien-
 dum namque, etsi corporis aequae ac spi-
 ritus essentia nobis per se cognita non sit, ex
 ipsis tamen attributis vtriusque, seu pro-
 prietatibus, euidenter cognosci posse, quid
 naturae & materiae & spiritus conueniat,
 quidue ei repugnet. Cum ergo constet, at-
 tributum seu proprietatem praecipuam spi-
 ritus esse, cogitare, si cogitationem cum
 exten-

extensione ceu praecipuo materiae attributo conferam, evidentissime cognosco, spiritum seu substantiam cogitantem qua talem, non posse esse substantiam extensam, & vice versa, rem extensam seu corpus quatale, non posse esse substantiam cogitantem, vel, quod eodem redit, materiam non posse cogitare. Intelligenda hinc atque recte explicanda, quae hac de re in *elem. philosoph. theoret. seu phys. eccl. tom. II. part. VI. cap. I. §. VIII.* scripsi: *Essentia & spirituum & corporum nobis est incognita. De utrisque nihil nisi proprietates quasdam & operationes cognoscimus. Ergo temerarium est, si quis dicat, naturae materiali repugnare, si cogitet. De re enim nobis incognita quid ei repugnet, aut non repugnet, nullo modo asserere possumus. Multo itaque minus inferre licet, spiritus cogitant, ergo sunt immateriales. Ex his, quae praecedunt, patet, modo ibi in eo esse, ut sententiam Cartesii, eiusque sectatorum, qui essentiam spiritus in cogitatione constituunt, refellam. Id verba haecce: multi contra ex recentioribus, intimam spirituum naturam se penitus perspexisse, fidenter satis arbitrati sunt, cum dixerunt, ipsam spiritus essentiam consistere in cogitatione, satis testantur. Hanc vero ideo admitti sententiam posse nego, quod cogitatio sit proprietas spiritus, extensio autem*

proprietas corporis : ipsa autem & spiritus & corporis essentia nobis sit incognita. Et ex hocce fundamento porro assero, *temerarium esse, si quis dicat, naturae materiali repugnare, si cogitet, scilicet, si quis ex ipsa materiae essentia, quae non satis nobis cognita est, hoc demonstrare velit.* De attributis vero, seu proprietatibus materiae, hic sermo non est. Ex iis enim firmiter & evidentissime colligi posse, cogitationem materiae repugnare, neutiquam nego, & antea demonstratum est. Hanc vero ibi mentem meam esse, subiuncta ratio aperte docet : *De re enim nobis incognita (hoc est, cuius essentia nobis incognita est) quid ei (intuitu essentiae) repugnet aut non repugnet, nullo modo asserere possumus. Multo itaque minus inferre licet (ex hypothese scilicet illa Cartesii, qua essentiam spiritus in cogitatione constituit) spiritus cogitant, ergo sunt immateriales.* Hinc vero etiam patet, quo pacto ex cogitatione, & immaterialitas & immortalitas animae humanae probari queat. Nimirum, si ipsa animae essentia in cogitatione ponatur, argumentum non rite procedet, cum essentiae rerum nobis sint incognitae, & ita rursus intelligendum, quod in *elem. philos. theoret, part. I. cap. V. §. XXVIII. & XXIX.* docui, ex cogitatione, (si scilicet animae essentia in cogita-

gita-

gitatione ponatur,) hoc est, a priori, adeoque stricte loquendo, animae immaterialitatem demonstrari non posse; quo ipso tamen non negatur, si cogitatio tanquam attributum animae humanae spectetur, euidenter inde, & immaterialitatem & immortalitatem euinci posse. Dubium equidem ex anima brutorum moueri potest; quam nisi immaterialem dicere velis, (quod tamen a paucissimis forte concedetur,) admittendum videtur, materiae cogitationem quandam non prorsus repugnare. Verum quemadmodum inter cognitionem istam sensualem brutorum, eorundemque appetitum, & cogitationes, quae hominibus propriae sunt, & rationem absoluunt, maximum intercedit discrimen, (quod probe obseruari velim, vt recte iterum intelligantur, quae in *elem. philosoph. theoret. part. II. cap. I. §. X.* extant) ita fatius tandem est, vt libere profiteamur, ignorare nos naturam animae brutorum, quam admittere aliquid, quod prorsus *ἀδύνατον* est, materiam scilicet cogitare. Ita vt ad fulcra, quibus Spinozismus innititur, subruenda accedamus, priusquam ea, quae illi quodammodo propria sunt, attingamus, sine animaduersione praetermittendum non est, quod *cap. I. §. XXV.* obseruauimus, PETRUM BAEIIVM allerere, principia quaedam Spinozae cum atheis reliquis communia ita

comparata esse, vt folius rationis ductu refutari nequeant. Hoc quam falsum sit, vel tribus ostendendum est verbis. Primum ex hisce principiis est, *materiam esse aeternam, & a Deo differre*. Enimvero, hic perperam & sine omni ratione supponitur, materiam aeternam esse. Aeternitatem enim atque existentiam necessariam in conceptu materiae non includi, nemo non intelligit, & luculenter iam antea §. II. huius capituli, demonstratum est. Falsum praeterea est, si vel maxime aeternitas materiae supponatur, non posse probari, eam differre a Deo. In conceptu enim materiae, ceu entis longe imperfectissimi, nihil continetur, quod cum Deo, ente omnium perfectissimo, conuenientiam quandam habeat. Alterum principium est: *materiam non productam ex nihilo*. At nec hocce rationi inexpugnabile esse, patet ex iis, quae itidem supra disputauimus, dum §. II. huius capituli ostendimus, materiam nequiquam necessario semper extitisse, & §. III. mundum hunc non fuisse aeternum, sed habuisse initium. Inde vero & sequitur, materiam habuisse initium; cum sola ratio causam solidam adferre nequeat, cur mundus semper non extiterit, si materia semper & ab omni aeternitate extitit. Quod vero ad decantatum illud principium attinet, *ex nihilo nihil fit*, cui asser-

tum

tum suum PETRVS BAEIVS superstruit, id de causa equidem materiali, neutiquam autem efficiente infinita potentia praedita procedere, itidem iam docuimus. Sane si spiritus infinita potentia praeditus supponatur, ratio ipsa luculenter agnoscit, nihil obstare, quo minus ex nihilo aliquid producere queat. De tertio denique principio, *spiritum infinitum & summe liberum non producere potuisse tale opus, quale hic mundus est, in quo bona mixta sunt malis,* in sequentibus dicemus, cum providentiam divinam ab impiorum hominum obiectio- nibus vindicabimus. Ad propria itaque Spinozismi fundamenta quod attinet, ea, si paulo accuratius considerentur, in mera & prorsus quidem puerilia sophismata abeunt. Omnia eo redeunt, *unicam tantum dari substantiam,* adeoque Deum ab hocce uniuerso diuersum non esse. Hoc autem ut euinceret, hanc posuit propositionem: *Ad naturam substantiae pertinet existere.* Quod tamen, si uniuersaliter capiatur, longe est falsissimum. Omnis enim substantia vel spiritus est, vel materia. Materiam neutiquam necessario existere, quilibet facile intelligit, cum in eius conceptu nihil, quod existentiam necessariam arguat, deprehendatur; quod pluribus etiam supra est euictum. Sed & si spiritum, hoc est,

substantiam materiae expertem, intellectu & voluntate praeditam, generatim considerem, in hocce conceptu existentiam necessariam deprehendere nequeo. Sin particulariter propositio capiatur, de certa quadam substantia, seu spiritu infinitis perfectionibus praedito, quem Deum vocamus, verissima quidem erit, sed simul contra ipsum Spinozam militabit. Cum vero ipsemet videret, eam neutiquam extra dubitationem positam esse, sequenti eam probare voluit: *vna substantia non potest produci ab alia substantia.* At & haecce propositio, si vniuersaliter capiatur, longe est falsissima. Evidenter enim ratio cognoscit, nihil ob stare, quo minus substantia infinitis perfectionibus praedita aliam producere substantiam, aut etiam ex nihilo aliquid efficere queat. Particulariter si accipiatur, de substantia infinitis perfectionibus praedita, hoc est, Deo ipso, verissima quidem est, cum omnino substantia infinita ab alia produci nequeat; sed tum rursus ipsi Spinozae obstat. Spinoza equidem eam propositionem rursus alia, & quidem sequenti probare annititur: *in rerum natura non possunt dari duae aut plures substantiae eiusdem naturae seu attributi*, hoc est, vt ipse interpretatur, commune aliquid inter se habentes. Quod iterum longe est falsissimum, immo

inamo summam ignorantiam suam aut malitiam prodidit Spinoza. Namque vel pueris ex quinque vocibus Porphyrii notum est discrimen, quod inter *speciem & indiuiduum* intercedit; indiuiduaque re ipsa inter se differre, etsi ratione essentiae specificae inter se conueniant. Quare, si principium hoc ita concipiatur: *in rerum natura non possunt dari duae aut plures substantiae eiusdem (numero) naturae*, recte se habet, sed nihil prodest Spinozae. Quodsi vero ita concipiatur: *in rerum natura non possunt dari duae aut plures substantiae eiusdem (specie) naturae*, longe est falsissimum. Res ipsa docet, lapides, arbores, plantas, animalia, homines, numerice spectatos, reuera a se inuicem differre, adeoque plures substantias constituere, etsi ratione essentiae suae, specificae vel generice consideratae, inter se conueniant. Indiuidua autem ista pro meris modificationibus vnus eiusdemque substantiae habere velle, mera est illusio. Praeterquam enim, quod praedicata, quae de iis enuntiantur, diuersa etiam indicent subiecta, vt antea iam obseruauimus, si ponamus, duos homines, aut integros exercitus, inter se pugnantes; quis, nisi rationis omnis expers, diceret, non diuersas substantias, sed diuersas saltem modificationes inter se pugnare; aut si quis alapam ab
 alio

alio accipiat, isque sibi aliisque persuadere
 veller, non ab alia substantia, sed saltem ab
 eiusdem substantiae modificatione se ala-
 pam accepisse, nonne omnium ludibrio se
 exponeret? Quod porro Spinoza demon-
 strationis loco subiungit: *duas aut plures*
res distinctas distinguere inter se, vel ex diuer-
sitate attributorum substantiarum, vel ex
diuersitate earundem affectionum, nihil mi-
 nus, quam id, quod cupit, probat. Datur
 enim distinctio tertia, realis scilicet quae-
 dam inter omnes substantias indiuiduas,
 iisdem plurium substantiarum, specificè con-
 sideratarum, attributis & affectionibus gau-
 dentes. Eiusdem commatis & reliqua sunt,
 quibus probare conatur, vnam substantiam
 non posse produci ab alia. *Duae, inquit,*
substantiae diuersa attributa habentes, nihil
inter se commune habent. Quidni vero?
 Nonne duo homines, qui numerice confi-
 derati, duas diuersas substantias constituunt,
 essentiam humanam specificè consideratam,
 communem habent? At prouocat ad de-
 finitionem substantiae: *Per substantiam,*
inquit, intelligo id, quod in se est, & per se
concepitur, hoc est, cuius conceptus non indi-
get conceptu alterius rei, a quo formari
possit. Quae si vel maxime recte se haberet
 definitio, nihil tamen ad rem faceret. Sub-
 stantias enim in indiuiduo spectatas per se
con-

concipere possum, adeo vt ad conceptum, quem de Petro habeo, non requiratur conceptus Pauli, nec tamen inde sequitur, Petrum non posse habere quidquam commune cum Paulo. Sed vltcrius, vt euincat, vnam substantiam, ab alia produci non posse, ita rationes subducit: *quae res nihil commune inter se habent, earum vna alterius causa esse non potest*; idque potro ita probat: *quae per se inuicem non possunt intelligi, eorum vnum alterius causa esse non potest. Atqui substantiae nihil commune inter se habentes per se inuicem intelligi non possunt, &c.* Quae miserae iterum sunt sophisticationes. Perperam namque supponit, non dari substantias plures, quae aliquid commune inter se habeant. Praeterea nihil obstat, quo minus vna substantia alterius, a qua infinitis modis distat, causa esse queat. Nullam enim rationem, cur ens infinitae perfectionis aliquid ex nihilo producere nequeat, reddi posse, aliquoties iam obseruauimus. In probatione itidem & maior & minor claudicat. Maior quidem, quia substantiarum relatiue equidem spectatarum cognitio ita comparata est, vt vna sine altera intelligi nequeat; at, si absolute spectentur, falsissimum iterum est, quod, quae per se inuicem non possunt intelligi, eorum vnum alterius causa esse nequeat.

Minor

Minor itidem aperte falsa est, cum in ea iterum supponatur, quod supra iam reieci-
 mus, nullas dari substantias, quae aliquid
 commune inter se habeant, seu, quod per-
 inde est, substantias diuersas non posse inter
 se aliquid commune habere, adeoque si
 substantiae diuersae dentur, eas nihil inter
 se habere commune. Falsum praeterea est,
 substantias, quarum vna causa, altera ef-
 fectus est, per se inuicem intelligi non pos-
 se; saltem in quantum ad cognitionem
 causae pertinet cognitio effectus, & vice
 versa. Sed; haec sufficiant, quae specimi-
 nis instar sint, ex quo cognoscatur, quam
 lubrico & infirmo fundamento Spinozis-
 mus innitatur. Si placet, iungantur, quae
 iam olim hac de re dixi in *dissert. de Spino-
 zismo ante Spinozam* §. XXIV. in *analect.
 histor. philosoph. pag. 354. seqq.* & in *element.
 philos. theoret. part. VI. cap. V.*

§. VII.

Fundamentis atheismi destructis
 atque euersis, ad obiectiones eorum, qui-
 bus veritatem manifestissimam oppu-
 gnant, respondere haud difficile fuerit.
 Quando enim ex eo, quod Deus incom-
 prehensibilis, itemque infinitae essentiae,
 poten-

potentiae, durationis, dicitur, eum prorsus cognosci non posse, indeque porro, quicquid cognosci nequit, non ens esse, inferunt, vocibus puerorum modo ludunt, seque, quid incomprehensibile, quidue infinitum sit, nescire, aut scire nolle ostendunt. Omnem vero facultatem Deum cognoscendi dum homini abiudicant, se ipsos hominum nomine indignos demonstrant, qui intellectus omnis expertes solis sensibus omnia metiuntur.*

- * Inter argumenta, quibus athei Numinis existentiam impugnant, primum merito locum tenent, quae ab ipso Dei conceptu desumunt. Nullum namque nos Dei conceptum, nullam ideam habere, clamitant; indeque porro inferunt, eum esse non-ens; cum pro non-ente habendum sit, cuius nullam ideam habemus, nullumue conceptum. Ut autem probent, nos nullam Dei ideam, nullumue conceptum habere, ad incomprehensibilitatem praecipue eius atque infinitatem, qua essentiam, qua potentiam, qua durationem, prouocant. Hoc ipso enim dum ipsimet fateamur, Deum esse incomprehensibilem, concedere quoque,
- nos

nos nullam eius ideam, nullumue habere conceptum. Idemque ex infinitate eius sequi. Qui enim Deum infinitum dicat, eum nihil aliud dicere, quam se, quid Deus sit, nescire. Ad haec autem, vt ordine respondeamus, primo quidem obseruamus, axioma illud, *cuiuscunque nullam habemus ideam, nullumue conceptum, id est non ens,* tum demum locum inuenire, si nullum plane rei cuiusdam habeamus, aut habere queamus conceptum, aut is talis sit, qui apertam contradictionem inuoluat. At nullum plane nos de Deo habere conceptum, nullamue ideam, adeo falsum est, vt ipsa experientia istos homines refellat. Non tantum christiani, & Iudaei, & Muhammedani, sed ethnici omnes, veteres pariter ac recentiores hoc ipso, dum omnes de Deo loquuntur, fatentur, se quandam de eo habere ideam. Et cur non haberent, cum nemo tam stupidus, tamque expertus omnis mentis sit, vt non substantiam materiae expertem, necessario existentem, summa sapientia, summa potentia, summa libertate praeditam, mente concipere queat. Nulla hic contradictio, nulla pugna, nec aliud quid, quod prohibeat, quo minus eiusmodi entis summe perfecti ideam animo sistam. At incomprehensibilem, inquis, Deum esse, ipsimet fatentur, qui pro eius existentia pugnant;

pugnant; ergo nullam eius ideam habent. Ita nimirum ignorantiam suam isti homines produnt, dum nesciunt, quo sensu Deus incomprehensibilis dicatur. Qui enim, eum comprehendi posse, negant, non hoc sibi volunt, ac si nulla plane ratione agnosci queat, sed quod humanae mentis nimis angusti limites sint, quam ut Deum cum omnibus suis perfectionibus plene & accurate comprehendere possit. Quis vero hanc ratiocinationem ferret: cuiuscunque rei non datur plenus, perfectus & adaequatus conceptus, illius nullus datur conceptus, illa est non ens? Certe nihil aliud agunt athei, dum ita rationes subducunt, quam ut se ipsos traducant turpiter. Tantum itaque abest, ut hac ratione existentia Dei impugnari queat, ut potius invertere argumentum liceat. Si enim illud, cuius nullum conceptum habeo, est non ens, vice versa ens reuera existens erit, cuius conceptum habeo. Praeterea hoc ipso, quo aliquid nobis, quorum intellectus adeo arctis limitibus circumscriptus est, incomprehensibile est, sequitur, dari aliquid, quod infinitis perfectionibus gaudet. Si enim omnia finito & limitato intellectu nostro comprehendere possemus, nihil daretur, quod infinitis perfectionibus esset praeditum. Copiosius hoc deducit PETRVS POIRET, de

Deo, anima & malo, lib. III. cap. VI. Quod de infinitate athei obiiciunt, praecipue THOMAS HOBBSIVS vrget, quem hac de re audire iuuabit. *Quicquid, inquit, imaginamur, finitum est. Nulla ergo est idea, neque conceptus, qui oriri potest a voce hac infinitum. Animus humanus imaginem infinitae magnitudinis capere non potest; neque concipere infinitam velocitatem, infinitam vim, infinitum tempus aut infinitam potentiam. Quando dicimus, rem aliquam esse infinitam, hoc tantum significamus, non posse nos illius rei terminos & limites concipere; neque aliud concipere, praeter nostram impotentiam propriam. Itaque nomen Dei non usurpatur, ut illum concipiamus (est enim incomprehensibilis, & magnitudo potentiaque eius inconceptibilis) sed ut honoremus; Leuiath. cap. III. pag. 12.* Quibus verbis etsi reuerentiam quandam Deo se exhibere videri velit, reuera tamen id agit, ut ostendat, in idea Dei eiusque attributorum nihil realitatis esse, siue, ut clarius dicam, voces, quibus ideam Dei eiusque attributa exprimimus, nomina esse reuera nihil significantia. Hanc mentem HOBBSII esse, non dubitabit, qui operae pretium esse duxerit, conferre, quae in libro, de ciue, cap. XV. §. XIV. hac de re differit, quamuis ibi aperte secum pugnantia adferat. Multis enim verbis postquam docuit,

cuit,

cuit, Deum concipi non posse, quando Deo visionem & ceteros sensuum actus, vel scientiam & intellectum attribuimus, nihil aliud hoc in nobis esse dicit, quam *suscitatum a rebus externis organa prementibus animi tumultum*. Consentiant &, quae *physic. part. IV. cap. XXVI. pag. 204.* hac de re habet, quae supra iam adduximus, *cap. I. §. XXVII.* Haec vero omnia quam inania sint, facili negotio demonstrari potest. Nimirum entis infiniti eiusque attributorum conceptus, duo inuoluit, quorum alterum *positivum*, alterum *negativum* quid exhibet. Primo namque summam quandam concipimus perfectionem; tum vero fatemur, tantam esse hanc perfectionem, cuius limites terminosque non valeamus assequi. Falsissimum itaque est, quod HOBESIVS dicit, voce *infiniti* tantum nos significare, non posse nos illius rei terminos concipere. Perperam namque, quod positivum est, in conceptu entis infiniti omittit, & ei, quod negativum est, tantum inhaeret. Conceptum plenum, perfectum & adaequatum rei infinitae nos non habere, lubentes fatemur. Sed nec hoc necesse est, cum conceptus aliqualis & inadaequatus ad hoc, quod cupimus, suincendum sufficiat. Eiusmodi vero rei infinitae conceptum dari, adeo verum est, ut ipsa atheorum

etiã confessione comprobari queat. Cum enim ipsimet decantatum illud, *ex nihilo nihil fit*, principii loco adsumant, necesse est, vt fateantur, aut materiam, aut aliud aliquid, semper extitisse. Habes ergo ens *infinittae durationis*, seu aeternum. Si ergo Hobbesii ratiocinatio procederet, ens illud aeternum, siue *infinittae durationis*, esset *non-ens*, quia *infinittam durationem* mente concipere nequeo. Ergo ex non-ente sua sponte facta sunt omnia. Quod tam absurdum est, vt nec stolidissimus atheorum hoc sit admissurus. Cum vero Hobbesius non tantum *aeternitatem* seu *infinittam durationem*, sed & *infinittam potentiam* seu *omnipotentiam*, inter voces nihil significantes referat, cum primis saltem obseruandum, per *omnipotentiam* eam entis *infiniti* nos *intelligere perfectionem*, quae omnia, quae *possibilia* sunt, seu nullam inuoluunt *contradictionem*, efficere potest. Eiusmodi vero *omnipotentiae* cur nullam habere queamus ideam, nullam iterum *rationem* video. Quid enim *potentia* sit *possibilia efficiendi*, omnes clare perspiciunt. *Omnipotentiam* autem seu *potentiam* *infinittam* dum vocamus, *conceptui* *positiuo* *negationem* addimus, fatentes, nos *potentiae* istius seu *perfectionis* *limites* concipere mente non posse. Atque haec cum satis manifesta sint, id sal-

tem

sem superest, vt disquiramus, an facultas Deum cognoscendi in homine detur? Sunt namque ex atheis, qui hoc diserte negant, non aliam, quam quae sensibus fit, cognitionem, homini tribuentes, qua adeo Deus, qui spiritus fit, cognosci nequeat. Verba iterum pro reliquis faciat THOMAS HOBBSIVS: *Et quoniam, quicquid (vt dixi supra) concipimus, perceptum est ante in sensatione, nulla inesse homini potest imaginatio rei, quae non sit percipienda sensibus. Nemo itaque concipere aliquid potest, nisi vt in loco & finita aliqua magnitudine praeditum, & diuisibile in partes; neque aliquid esse totum in vno loco & totum in altero, tempore eodem; neque duas vel plures res eodem tempore esse posse in eodem loco. Nihil enim horum fuisse aut esse potuerit in sensatione; sed sunt orationes insignificantes, admissae propter auctoritatem quorundam philosophorum errantium, vel scholasticorum fallentium, loc. cit. pag. 13. Similia & supra cap. I. §. XXVII. iam ex eo attulimus. Quae tamen itidem friuola sunt, & philosopho prorsus indigna. Et si enim, quae sensibus percipimus, variis ideis occasionem praebeant, plurimae tamen in mente nostra sunt ideae, quae a sensibus, saltem immediate & directe, ortae non sunt, nec ab iis pendent. Primo namque non tantum obiecta varia sensibus percipimus,*

Kk 3

sed

sed ea quoque nos percipere nouimus. Qui actus mentis reflexus sensibus profecto tribui nequit. Deinde ex ideis, sensibus hauſtis, varias iterum imagines, componendo, separando, aliaque ratione, formamus, easque diuerſa ratione consideramus; quod longe aliam facultatem, quam quae sensibus propria est, requirit. Denique praeter ideas sensuales, seu per obiecta sensuum excitatas, sunt etiam in mente nostra ideae mere intelligibiles, quarum imaginem in obiectis sensuum frustra quaesueris. Atque ad hasce ideas intelligibiles cum etiam idea Dei & attributorum diuinorum pertineat, sequitur, neutiquam nobis deesse facultatem Deum cognoscendi. Haec vero omnia ita se habere quilibet statim conuincetur, modo ad ea, quae in mente sua facillimo negotio deprehendere potest, attendere velit.

§. VIII.

Eandem aut ignorantiam aut malitiam athei produnt, quando tum ex scientia, tum ex immutabilitate Dei, aliquid elicere volunt, quod impio illorum errori faueat. Dum enim ex eo, quod deficiente obiecto, nulla sit scientia,
colli-

colligunt, ante mundi creationem Deum omni cognitione, omnique scientia destitutum, hoc est, aliquid, quod nihil minus, quam Deus, sit, nobis admittendum esse, pueriliter errant, non cogitantes, quod ante mundum conditum Deus ipsemet suae cognitionis vel scientiae obiectum esse potuerit. Ex immutabilitate autem eius, dum absolutam necessitatem vel libertatis defectum colligunt, pugnam perperam fingunt, ubi optima est concordia, siquidem nihil obstat, quo minus cum immutabilitate summa consistere queat libertas.*

* Attingimus hic argumenta, quae ab essentia & attributis diuinis, ad errorem suum stabilendum desumere athei solent. Haec inter & illud a nonnullis referri solet, quod ex THOMAE HOBESHII, cuius effata huc spectantia *cap. I. §. XXVII.* exhibuimus, aliorumque principio, *non aliam, quam corpoream, dari substantiam*, fluit. Hinc enim ita rationes subducere solent: si Deus esset, aut corporeus esset, aut incorporeus. Non est incorporeus, quia non alia, quam corporea datur substantia; immo iuxta HOBESHII, *substantia incorporea est vox insignifi-*

cans. Si vero corporeus, aut ipsum hocce vniuersum erit, aut pars eius. Vtrumque cum absurdum sit, concludunt, nullum esse Deum. Verum, quid ad hoc respondendum sit, ex hactenus dictis nemini obscurum esse potest. Perperam namque supponitur, nullam dari substantiam incorpoream. Quo pacto vero vel ex ipsa mentis nostrae consideratione, tum generatim spirituum, tum speciatim infiniti spiritus existentia probari queat, *cap. praeced. §. VII.* ostensum est. Missis ergo hisce, ad *cognitionem* seu *scientiam* Dei accedimus, in qua argumentum pro errore suo impio se inuenisse athei sibi visi sunt. Neque tamen de ea cognitione, quae sensuum beneficio peragitur, hic sermo est. In hacce enim, prout mere sensualis est, obiectum aliquod externum, quo excitetur, requiri, haud difficulter largimur, sed eam Deo tribui posse, simul abnuimus. Eos vero, qui non aliam, quem sensualem cognitionem admittunt, turpiter falli, antea iam demonstrauiamus. Interim cum & ea cognitio, quae intellectu tantum peragitur, obiectum aliquod intelligibile requirat, nos vero fateamur, ante mundi creationem praeter Deum ipsum nihil extitisse, concludunt hinc athei, ante mundi creationem nullam fuisse Dei cognitionem, aut reuera nullum fuisse Deum.

Qui

Qui enim Deum absque omniscientia & cognitione fingit, perinde est, ac si nullum admittat. Addunt, cum rerum omnium exemplar sine rebus ipsis non detur, concipi non posse, quo pacto Deus res omnes formare, aut creare potuerit. Et huc quidem illud T. LVCRETII CARI pertinet:

Exemplum porro gignundis rebus, & ipsa

*Notities hominum diuis unde insita pri-
mum,*

*Quid vellent facere, vt scirent, animoque
viderent?*

de rer. nat. libr. V. pag. m. 154. Verum ex hisce facile quis se expediet dubiis, modo ad ea, quae in mente sua deprehendere potest, attendat. Hanc enim considerantes, praeter eam cognitionem, quae ab obiectis externis excitatur, aliam quoque reflexam in ea deprehendimus, quae mens nostra omnium eorum, quae ipsamet agit aut patitur, intime sibi conscia est, & se ipsam omnesque suos motus, facultates, operationes considerat. Pari ergo ratione Deus ceu mens infinita perfectissimaque, priusquam mundum huncce conderet, se ipsum cum infinita sua bonitate, potentia, sapientia, reliquisue perfectionibus, modo perfectissimo, nobisque ineffabili, contem-

Kk 5

pla-

platus est, & ea quidem ratione, vt in ista contemplatione summe quoque beatus esset. Potentiam vero suam infinitam contemplari non potuit, vt non simul ideae rerum omnium, quas efficere posset, ei obuersarentur, vna cum mutuis earum relationibus, pendentibusque inde aeternis, quas vocant, veritatibus. Qua quidem ratione Deus per sui ipsius cognitionem, suaeque potentiae contemplationem, ideas rerum omnium, quas conditurus esset, formauit, quae adeo cum semper in mente eius aeterna extiterint, earum originem ab obiecto aliquo externo, seu extra Deum constituto, repetere non necesse fuerit. Ex *immutabilitate* Dei argumentum erroris & impietatis sumunt, qui cum **BENED. DE SPINOZA** omnem ei libertatem eripientes, cuncta necessario fieri, sibi aliisque persuadent, per decreta & volitiones, adeoque per ipsam providentiam nihil aliud, quam naturae ordinem, qui ex eius aeternis legibus necessario fluit, intelligentes. Si enim decreta libera, volitionesque liberae illi tribuantur, hoc immutabilitati eius, adeoque summae perfectioni repugnare, contendunt. Quae omnia iterum ad fucum faciendum, caliginemque imperitioribus offundendam, comparata esse, nemo non intelligit. Nimirum dum ipsi Deum in materiam

teriam mutant, infinitis mutationibus obnoxiam, dumque in ouibus, canibus, felibus, aliisque animalculis, partem essentiae diuinae se deprehendere arbitrantur, dumque nullum tam horrendum facinus est, quod non ex illorum sententia Deus ipse perpetrat, de perfectione tamen Dei eiusque immutabilitate se esse sollicitos videri volunt, diligenterque cauere, ne quid, quod ei repugnet, statuatur. Nos vero omnino Dei essentiam immutabilem esse, lubentes fatemur, quippe quod summa eius perfectio requirit. Est vero manetque haec eius essentia immutabilis, si vel maxime liberrime aliquid producat, quod mutationibus sit obnoxium. Namque mutatio eius, quod distinctum prorsus a Deo atque diuersum est, in ipsa essentia diuina nullam efficere mutationem potest. Multo itaque minus ipsa creatio mutationem quandam diuinae essentiae infert, cum ea eiusmodi praepotentis Dei actionem significet, qua vnicuique nutu, simplicissimoque volendi actu, primo, praeter substantias immateriales, materiam ex nihilo, & deinde ex materia res omnes aspectabiles, iusto tamen obseruato ordine, produxit. Quae quidem cum extra diuinam essentiam peracta sint, quod in ipsa essentia diuina mutationem quandam effecerint, nulla dici ratione potest.

potest. Quod si vero quis cum Spinoza creationem saltem in modificatione quadam essentiae diuinae constituat, tum sane sine mutatione essentiae diuinae nulla ratione concipi poterit. Id quod & de illorum obseruandum sententia, qui creationem per emanationem quandam ex essentia diuina, explicare aggressi sunt. Nec ipsa volendi libertas essentiae immutabilitati repugnat. Etenim cum ista libertas mentis humanae essentiam non mutet, multo minus in diuina essentia infinitis perfectionibus gaudente, mutationem quandam inferet; cum contra defectus libertatis, seu necessitas, cum summa imperfectione sit coniuncta. Quare & Deus, salua essentiae suae immutabilitate, decreta varia non tantum absoluta, sed & hypothetica seu conditionata facere potuit. Etsi enim hypothetica mutationem quandam secum vehere videantur, cum aliter impleta, aliter non impleta conditione, res eueniat; ista tamen mutatio rursus, si paulo accuratius consideretur, in ipso saltem obiecto est, adeoque Deo nulla ratione tribui potest. Deus vno eoque simplicissimo volendi actu, summaque simul libertate, & decernere aliquid, & decreto suo certum ordinem certamque conditionem adicere potest, qua aut adimpleta, aut non adimpleta, mox hic,

hic, mox alius sequatur effectus. Sed haec alibi edisseruntur vberius, vbi ex instituto de decretis diuinis agitur. Solent praeterea, vt hoc vnicum addamus, athei & ex operibus diuinis argumenta varia depromere, quibus veritatem manifestissimam labefactent. Sed ista deinceps, cum prouidentia diuina ab eorum obiectionibus nobis vindicanda erit, profligabimus.

§. IX.

Quodsi denique obiiciant, sententiam de Deo, eiusque existentia & cultu, inter errores praeiudicatasque opiniones referendam esse, iterum falluntur turpiter, cum nullam istius, quem vocant, erroris causam assignare valeant. Siue enim ex sensuum aut imaginationis deprauatione, siue ex intellectus abusu, siue ex cordis humani prauis propensionibus, siue denique ex educatione, falsa persuasionem, callidisque hominum aliorum artibus errores deducas, tantum abest, vt ex hisce similibusque fontibus, opinionem de Deo ortam esse, demonstrari queat, vt contrarium potius, adeoque sententiam de Deo veritatem esse longe manifestissimam, euentissime inde elucescat. *

* Solenne

* Solenne admodum est atheis, sententiam de Deo, eiusque existentia & cultu, seu religione, inter praeiudicatas hominum opiniones, ab educatione, auctoritate parentum, similibusque fontibus depromptam, referre. Quo ipso cuncta, quae illis opponi possunt, se vnico velut ictu prosternere existimant. Sed magnopere falluntur, cum non tantum nihil contra nos hac ratione efficiant, sed arma quoque suppeditent, quibus illorum impietas validissime impugnari potest. Quod vt ordine ostendamus, causas errorum, falsarumque opinionum in duas dispesci classes posse, obseruandum est; quarum altera *internas*, altera *externas* complectitur. Ad internas quod attinet, vt de iis primo loco dicamus, sensus, imaginationisque deprauatio, falsae ratiocinationes, prauaeque cordis propensiones ad eam pertinent. Et *sensus* quidem si rite dispositi non sint, variis erroribus occasionem praebere posse, notum est. Cum primis etiam hoc contingit, cum sensibus ea diiudicare aggredimur, quae intellectui conueniunt. Qua in re ipsorum atheorum errorem grauissimum statim deprehendere licet; qui, cum sensibus Deum assequi nequeant, eum esse negant; non alias, quam corporeas, dari substantias, perperam sibi persuadentes. Nos vero,
cum

cum asseramus, non sensibus, sed solo intellectu Deum concipi, ex sensuum aut vitio, aut abusu, hanc sententiam ortam esse, nulla ratione dici potest. Idem & de *imaginatione* dicendum. Ex ea, si rite se non habeat, aut limites sibi constitutos transiliat, errores gravissimos oriri, notum est. Ipsique rursus athei, certe nonnulli eorum, praeter alia & ideo in impium, quem defendunt, errorem ingrediuntur, quod uti nec sensibus, ita nec imaginatione, Deum eiusque attributa concipere valeant. Praejudicata enim ista, eaque falsissima opinione laborant, quicquid homines nec sensibus, nec imaginatione assequi valent, id reuera quoque non existere. Nos contra, cum Deum spiritum esse asseramus, simul nec sensibus, nec imaginatione, sed solo intellectu eum concipi posse, asserimus. Vnde non magis ex imaginationis, quam ex sensuum aut depravatione, aut abusu, opinio haecce oriri potuit. Quodsi *intellectus* quodam vitio, aut prava quadam ratiocinatione in eam mortales inductos asseras, ostendendum tibi, quodnam hocce vitium sit, pravaque ista ratiocinatio detegenda. Hoc quamdiu athei facere nequeunt, tamdiu fateantur, necesse est, sententiam istam recte se habere, minimeque esse erroneam. Ad *inclinaciones* autem cordis *propensionesque* quod at-
tinet,

tinet, prouti istae in hominibus sibi relictis, nec diuina gratia collustratis, deprehenduntur, tantum abest, vt homines ad veritatem hanc amplectendam ducant, vt isti potius vel maxime repugnent. Qui enim cupiditatum suarum ductum secuti, in quaeuis vitiorum criminumque se dant genera, nihil molestius ferunt, quam si audiant, dari Deum, qui recte facta remuneraturus, scelera autem criminaque mortalium puniturus sit. Hinc de ipso Epicuro constat, ad negandam Numinis prouidentiam non alia magis re inductum fuisse, quam quod eam cum animi tranquillitate consistere non posse existimaret. Hactenus quidem recte, quia homo flagitiis variis, cupiditatibusque prauis deditus, si Deum, supremum iudicem, eiusque prouidentiam credat, animo tranquillo esse nequit. Quare, si quaestio instituat, num atheorum error, an eorum sententia, qui Deum esse credunt, prauis cordis inclinationibus tribuendus sit, non temere quenquam fore existimo, qui non prius potius, quam posterius affirmandum censuerit. Haec vero omnia si paulo accuratius considerentur, non tantum ex internis illis errorum fontibus nihil, quod doctrinam de existentia Dei labefactet, deriuari potest, sed nouum potius idque firmissimum contra ipsos atheos inde exurgit argu-

argumentum. Si enim infinita praëiudicia quae ex sensuum & imaginationis depravatione, pravisque propensionibus oriuntur, & vndiquaque mentem hominis oppugnant, sententiam de Dei existentia, a prima hominum origine ad nostra usque tempora constanter creditam, nec ex villo errorum fonte deriuandam, labefactare, opprimere, aut obliterare non potuerunt, sequitur, eam minime pro erronea, sed pro veritate potius manifestissima, & diuinitus cordibus hominum infixata atque inscripta, esse habendam. Contigit sane, vt homines falsos quamplurimos atque erroneos, immo absurdissimos de Deo sibi conceptus formarent, quod vel ethnicorum in idololatriam plane ridiculam prolapsorum exemplo patet; idque ex causis errorum, fontibusque antea commemoratis, maximam partem ortum esse, nulli dubitamus. Sed tamen inter omnes hosce corruptae naturae, sensuum, imaginationis, aliarumque causarum insultus, machinationes, aberrationes, vnica illa & praecipua veritas, *Deum esse*, apud plerosque firma, fixa & immota stetit, nullaue ratione concuti atque obscurari penitus potuit. Iam quod ad causas externas errorum & praëiudicatarum opinionum attinet, primo inter eas loco sese nobis offert *educatio*. Mirum non esse, inquit athei, plerosque mortalia

lium opinione de Dei existentia imbutos esse, cum liberi hoc ita acceperint a parentibus & praeceptoribus, deinceps eandem sententiam vltius propagaturi. Referendam itaque hanc sententiam inter praeiudicatas opiniones reliquas, ab educatione ortas, & ita ad plures propagatas. Nos vero non equidem negamus, ad conseruandam atque propagandam hancce veritatem, educationem, institutionemue parentum & praeceptorum aliquid conferre; at huic vnice eam tribuendam, id quidem est, quod profus negamus, & sine insigni absurditate asseri non posse, contendimus. Experientia enim docet, educationem non vna eademque ratione vbique se habere. Immo, quod moribus opinionibusque in rebus fere innumeris, & integrae gentes, & singuli homines a se inuicem differant, id praeter alias causas educationi cumprimis, eiusque diuersitati, imputandum esse, nemo temere inficiatus fuerit. Qui ergo fieri posset, vt communis illa & a toto humano genere recepta sententia, a sola educatione orta esset? Immo cum tanta morum & opinionum diuersitas per educationem inter homines exorta sit, sola autem haec sententia de existentia Dei, illibata permanserit, & ab omnibus gentibus sit adprobata, quis non videt, longe sublimiorem, diuinam scilicet, eius agno-

agnoscendam esse originem? Quærere insuper ex iis, qui a parentibus suis hanc se habuisse opinionem dicunt, iuuat, vnde parentes & horum iterum parentes eam acceperint? Ad quod nisi inepte processum in infinitum admittere velint, non aliter responderi potest, quam extitisse aliquando parentes, qui aliunde, quam a suis parentibus, hanc opinionem acceperint, quod ad evertendam penitus atheorum impietatem sufficit. Dum hac ratione nihil se proficere sentiunt, a statu domestico ad *ciuilem* transeunt, religionem, adeoque & opinionem de existentia & cultu Numinis, inter callidorum hominum commenta politica referentes, ad continendam eo facilius in obsequio plebem comparata. Critiam sententiæ huius inter veteres auctorem *cap. I. §. XII.* commemorauimus, cuius vestigia in atheismo hocce politico adornando prae ceteris NICOLAUS MACHIAVELLVS pressit, de quo *ibid. §. XXIV.* dictum, & recentiori ætate IOANNES TOLANDVS, cum reliquis legumlatoribus ipsum etiam Mosen, publicis eiusmodi impostoribus annumerans, vti itidem *§. XXVII.* obseruatum. Quam vero hæc sine omni prorsus fundamentó dicantur, sequentia docebunt. Primo quidem constat, licet Solon, Lycurgus, Numa, alique legumlatores religionem instituto suo accom-

modauerint, eamque ad obseruantiam legibus suis conciliandam, & continendam in obsequio populum, vtilem iudicauerint, non tamen ipsos religionem excogitasse, aut eius extitisse auctores. Hoc enim nullo idoneo ex historicis monumento comprobari potest. Deinde, etsi de vno alteroue principe certum sit, eum religione, ceu instrumento dominaadi vsum esse; hoc tamen non de omnibus, immo nec de plerisque, sed saltem de paucissimis, dici potest. Ex eo vero, quod vnus alterue non tam religionem excogitauit, quam saltem ad reipublicae commoda ea vsum est, effectus huiusce vniuersalis, seu totius humani generis, in admittendo & colendo Numine, consensus, minime consequi potuit. Praeterea, etsi principes rerumque domini religione quandoque ad finem suum obtinendum vti possint, subinde tamen eandem obstare, quo minus cupitis potiantur, experientia docet. Hinc eos, si aliquando, vt commodis suis consulerent, religionis remouere obstacula voluerunt, maximis grauissimisque se exposuisse periculis, notum est. Qua quidem ratione cum religio imperantium rebus non minus noxia quandoque, quam vtilis esse queat; nemo temere eam in se spectatam pro eiusmodi inuento politico, quod & naturales & conseruationem suam rationibus politicis

liticis vnice debeat, venditauerit. Ad religionem Mosaicam seu Israeliticam spectatum quod attinet, etsi non defuerint, qui Mosen diuinum virum imposturae per turpissimam calumniam redarguentes, in facienda ob rationes politicas religione auctoritatem Numinis obtentui summis, impudentissime contenderint, magnopere tamen eos falli, facillimo negotio demonstrari potest. Certe cum palam & aperte pleraque in conspectu populi Israelitici gesta sint, quibus se diuinitus missum Moses comprobauit, fraudi & imposturae locus esse non potuit. Maxima enim miracula inspectante, vidente, sentiente toto populo Israelitico edidit, adeo vt ipsi Israelitae vocem Dei in monte cum Mose loquentis audierint. Nec est quod, quae Moses ipse hac de re scripsit, in dubium voces, cum Israelitae mendacii ipsum haud dubio redarguissent, nisi aut ipsi vidissent, ea reuera gesta esse, quae narrauit, aut a maioribus suis hoc accepissent. Tantum vero abest, vt hoc fecerint, vt potius summa ista & incredibilis in obseruandis institutis Mosaicis constantia, quam in Iudaeis admiramur, non aliunde deriuanda sit, quam quod iusta successione a maioribus suis acceperint, edita a Mose ista miracula fuisse. Accedit, quod gentium quoque scriptorum testimonio, mira-

cula ista a Mose edita fuisse, comprobari queat, vt vel ex iis, quae ex EVMENIO refert EVSEBIVS, *libr. IX. praeparat. euangel. cap. VIII.* constat. Iungenda, quae hac de re dixi, in *histor. eccles. vet. testam. per. II. sect. I. ad §. I. pag. 517. seqq.* & ad *§. XI. pag. 533. seqq.* Sed nec istud praetermittendum, etsi Moses leges varias, tum ad religionem cultumque Numinis, tum ad statum ciuilem spectantes, Israelitis tradiderit, ipsam tamen religionem non instituit primus, quippe qua Israelitae iam pridem imbuti erant, sed a patriarchis acceptam, iussu Numinis institutis variis, ritibus, ceremoniis, legibus, pro istius temporis ratione, eam auxit & amplificauit. Et haec quidem, quae religioni patriarcharum accedebant, in quibusdam statui reipublicae Israeliticae iussu & voluntate Numinis erant accommodata; non tamen in omnibus, multo minus vnicus hic aut praecipuus Mosaicae religionis erat scopus, quippe qui ad aeternam potius Israelitarum salutem erat comparatus. De christiana vero religione si quis hoc asserere auderet, eam excogitatam hunc in finem, vt dominandi instrumentum esset, nae is se ipsum turpiter traduceret. Praeterquam enim quod nec ipse Christus religionem primum introduxit, aut nouam condidit, sed veterem, aliam
eius

eius saltem constituendo oeconomiam, continuauit; sane qui tum ipsius seruatoris, tum apostolorum conditionem considerauerit, nunquam in animum inducet, vt credat, politicis rationibus hac in re eos locum reliquisse. Est sane religio christiana ita comparata, vt in se spectata, commoda plurima reipublicae ciuilibusque societatibus adferat; sed huncce eius finem praecipuum esse, nemo, nisi eius plane experts sit, asseret; qua de re plura dixi, in *dissertat. de concordia religionis christianae statusque ciuilibus, cap. I.* Cum vero insuper talia doceat, quae prauis cupiditatibus e diametro repugnant, his inductos homines ad eam aut excogitandam aut propagandam, nemo temere sibi persuaserit. Equidem, ex quo hinc inde dominans esse coepit, extitisse subinde homines, qui commodis suis eam accommodauerint, non diffiteor; sed hi, vt hoc ipso demonstrarunt, se indignos nomine christiano esse, ita nihil, quod religioni ipsi eiusque veritati aut praestantiae fraudi esse queat, inde sequitur, multo vero minus eam dominandi causa aut inuentam aut introductam esse, inde colligi poterit. Atque id quidem nunc nobis contra atheos sufficit.

CAP. VII.

REFUTATIO DOGMATVM

CVM

ATHEISMO CONIVNCTORVM AVT
AD EVM DVCENTIVM.

Σύνοψις.

DEmonstratur, dari
providentiam
Dei, §. I.

Animam hominis &
immaterialem esse,
& immortalem, §. II.

Praeter animam ho-
minis, & alios dari
spiritus, seu sub-
stantias omnis ma-
teriae expertes, §. III.

Itemque vaticinia, seu

futurorum, & qui-
dem contingentium
praedictiones, quae
soli Deo sint tri-
buendae, §. IV.

Et & miracula, pro-
prie sic dicta, §. V.

Christianae religionis
veritas adstruitur,
§. VI.

itemque, divina scri-
pturae sacrae aucto-
ritas, §. VII.

§. I.

Non tantum esse Deum causam con-
ditoremque huius vniuersi, sed
omnia

omnia quoque, quae condidit, eum sustinere, conseruare, dirigere, sapientissimeque gubernare, vt sine prouida eius cura nihil, ne in minimis quidem rebus, contingat, nec sine benigno eius concursu quidquam moueatur, vel ex ipsa eius, quae omnium mentibus insidet, notione, summaque adeo & infinita eius sapientia, benignitate, potentia, non minus ac ex rerum creatarum infirmitate & indigentia, variis itidem, quae quotidie se nobis offerunt, vitae humanae casibus, aliisque argumentis, tam euidenter constat, vt nemo, nisi ratione omni destitutus, hac de re dubitare queat.* Indeque adeo, quam turpiter, qui Numinis prouidentiam negant, errent, elucescit.

- * Deum rerum a se creatarum, totiusque adeo huius vniuersi, hominum cum primis, curam prouidam, eos conseruando, & ad motus eorum cunctos concurrento, tum dirigendo & sapienter omnia gubernando, gerere, etsi eiusmodi sit, vt nemo sanae mentis de eo dubitare debeat, sequentibus tamen eiu-
ci rationibus potest. Primo ex *summa Numinis sapientia* id patet. Hanc enim, qui

¶ 1 §

Deum

Deum admittunt, simul admittere, necesse est. Sapientiae vero erat, non tantum mundum condere, sed ita eum instruere, & administrare, vt honor & gloria summa inde ad auctorem redundaret. Nullam autem si mundi curam gereret, nulla quoque creaturis ratione praeditis daretur occasio, conditori suo cultum honoremque exhibendi. Immo omnis cultus veneratioque Numinis cessaret, cum nullam tum haberent causam eum honore aut cultu prosequendi; immo & frustra hoc facerent, cum Deus, incurius rerum huius mundi talia non curaret, nec exigeret; eodemque adeo loco essent, qui aut honore aut opprobrio eum afficerent. Quod profecto cum sapientia summa, adeoque ipsa Dei notione, e diametro pugnat. Patet idem vltius ex *finibus rerum omnium*, qui vt nouum pro Numinis prouidentia argumentum nobis suppeditant, ita prius illud confirmant. Vel partium singularum atque membrorum, quibus animalia quaeuis constant, structura, omnes conducet, ad certum finem ea esse comparata. Hoc ergo cum de membris partibusque minutissimis constet, multo magis de ipsis animalibus, & iterum multo magis de homine, animalium omnium praestantissimo, & rursus magis de toto hocce vniuerso dicendum fuerit. In finibus autem

autem hisce ad se inuicem referendis & sibi subordinandis, necessario tandem ad vltimum quendam seu vniuersalem perueniendum est, qui profecto alius, quam sapientiae, potentiae, bonitatis diuinae demonstratio, adeoque honor & gloria conditoris, esse nequit. Sed quo pacto vlla ad eum inde redundare gloria vllusue honor posset, si incurius & negligens rerum omnium, nullam earum curam gereret, cunctaque susque deque ferri sineret? Immo contradictionem manifestam inuoluit, opus aliquod immensum, infinitae potentiae, sapientiae, benignitatis argumentum praebiturum, ad summam conditoris gloriam manifestandam producere, & rursus id ita abiicere, atque negligere, vt, num honos an opprobrium inde ad conditorem redundet, perinde sit. At Epicurum, inquis, ceterosque, qui mundi creationem non admittunt, haec non ferunt. Sed cum hanc istorum hypothesein absurdissimam ineptissimamque esse, supra satis demonstratum sit, mundumque a Deo originem habere, necessario admittendum sit, haec omnino & Epicurum & ceteros atheos, omnesque, qui providentiam diuinam in dubium vocant, ferunt. Ex *bonitatis* porro & *potentiae diuinae* consideratione sequens argumentum oritur: Si nullam Deus huius vniuersi curam gereret, inde

inde hoc contingeret, quod aut non vellet, aut non posset hoc facere. Si enim & vellet & posset, certe curam gereret. Eum hoc non posse, nemo dixerit, cum ista impotentiae confessio summam in Deo argueret imperfectionem. Non magis tamen, eum hoc non velle, dici potest; quippe quod bonitati eius repugnaret, quae eum potentia Dei, ceterisque eius perfectionibus, pari passu ambulat. Bonitatis autem diuinæ erat, non tantum creare mundum, sed conseruare atque dirigere, vt res creatae omnes iusto ordine ad finem a creatore illis constitutum deducerentur. Etenim, *quis operator, inquit AMBROSIVS, negligat operis sui curam? quis defexat & destituat, quod ipse condendum putauit? Si iniuria est regere, nonne est maior iniuria, fecisse? cum aliquid non fecisse, nulla iniustitia sit; non curare, quod feceris, summa inclementia. Quod si aut Deum, creatorem suum, abnegant, aut ferarum & bestiarum se haberi numero censent, quid de illis dicamus, qui hac se condemnant iniuria? de offic. libr. I. cap. XIII. pag. 26.* Si dicas, Deum equidem & velle & posse, huius vniuersi curam gerere, sed hoc ei molestum esse, nec eum beatitudine eius conuenire, puerorum more loqui, & ipsemet, quid nescias dicere mihi videris. Sed hac de re deinceps. Benignitas bonitasque
Nomi-

Numinis in prouida rerum omnium cura
 eo erit manifestior, si *infirmi-
 tatem in-
 super indigentiamque rerum creatarum
 omnium* consideres, quae nouum simul
 pro Numinis prouidentia asserenda ar-
 gumentum suppeditat. Quam enim res
 creatae omnes nihil, ut existerent, conferre
 potuerunt, tam certum est, quod se ipsas
 conseruare nequeant. Non minoris enim
 potentiae est, conseruare & continuare exi-
 stentiam, quam eandem producere atque
 largiri. Ipsamet autem res creatas, ut exi-
 stent, non effecisse, & consideratio ea-
 rum, & sua quemque conscientia tam eui-
 denter docet, ut sine insigni stultitia hac de
 re dubitari nequeat. Nec est, quod obu-
 er-
 tas, maioris virtutis & potentiae fuisse, mun-
 dum condere, qui se ipsum conseruare, &
 sine concursu Numinis mouere, sineque
 eius gubernatione dirigere poterit, quam
 talem, qui in his omnibus Numinis influxu,
 concursu, directione opus habeat. Primo
 enim, non de eo, qualem Deus mundum
 creare potuerit, quaestio est, sed qualem
 creauerit. Cumque insana sit temeritas, si
 miserrimi homines existiment, se perfectius
 quid, quam quod Deus fecit, vel cogitatio-
 ne assequi posse, ita, qui rectae rationis li-
 mites non supergreditur, facile intelligit,
 mun-

mundum ita conditum, prouti summas Numiniſ sapientiae hoc erat conuenientiffimum. Eſto itaque, fuerit maioris virtutis & potentiae, mundum condere, qui nulla conſeruatione, concurſu, gubernatione indigeat, non tamen aequae maioris hoc fuiſſet ſapientiae. In operibus autem diuinis rite aeſtimandis non tantum potentiae & virtutis, ſed ſapientiae quoque diuinae habenda eſt ratio. Conſeruationis autem & gubernationis iſta neceſſitas, id res creatas omnes ratione praeditas conſocerere poteſt, ſe vnice a conditoris ſui dependere voluntate, nec ſine eius nutu agere quidpiam ac ſuſcipere poſſe, eoque magis ad eum colendum & venerandum, obſequiumque ei praestandum, omnia quoque beneficia, quae ſingulis fere momentis ab eo accipiunt, grato agnoſcenda animo, eſſe obſtrictas. Talem vero mundi diſpoſitionem quis non praeferreret ei, ubi res creatae ratione praeditae vix quidquam, quod creatori ſuo imputent, ſe inuenire ſibi videri poterant. Denique & vel mediocriſ eorum, quae quotidie in vita humana ſeſe nobis offerunt, conſideratio, quemuis, mundum hunc ſapientiffime gubernari, facile conuincet. Si primo ſingulorum hominum vitam conſideremus, multa circa natiuitatem, educationem,

nem,

nem, praeceptores, institutionem, instinctum ad certum vitae genus, & alia se nobis offerunt, quae primo intuitu, casu fortuito ita euenire existimamus. Quod si vero porro eosdem homines, magnis aliquando admotos muneribus, conspiciamus, in quibus talia agunt, quae singularem aut ecclesiae aut reipublicae mutationem adferunt, & quae efficere non potuissent, nisi conspirantibus ad eundem finem causis plurimis ad hoc velut aptati & praeparati essent, quis quaeso tam hebetis ingenii aut duri pectoris fuerit, vt, sine singulari Numinis & sapientissima directione ista contigisse, sibi persuasurus sit? Iam integras si consideremus res publicas, imperiaque orbis, eorumque incrementa, decrementa, mutationes, vicissitudines, conuersiones, certasque obseruemus periodos, aut coecus sit oportet, aut supremam quandam in his omnibus agnoscat directionem. Sane non me fugit, causas quasdam politicas in his omnibus intercedere, quemadmodum & in rebus naturalibus interuentu causarum secundarum effectus omnes producantur, sed his solis istas rerumpublicarum conuersiones mutationesque tribui posse, ipsi peritissimi rerum ciuiliu magistri abnuunt. Idque adeo verum est, vt etiam quidam philosophi ex astrorum positu, alii ex fati legibus

gibus durissimis, alii aliunde conuersiones istas mutationesque deriuare aggressi sunt. Docetque experientia quotidiana, vel minimae circumstantiae subitanam mutationem efficere, vt consilia sapientissima effectu careant; quemadmodum ex eadem experientia constat, saepissime, cum de felici euentu nemo dubitat, res secus euenire, prospere contra cedere, cum de felici successu omnes desperant. Quodsi porro addatur, in tantis rerum humanarum vicissitudinibus, mutationibus, insperatisque euentibus, semper tamen constantem ordinem, & ad certum finem directionem conspici, tum sane, omne de prouidentia quadam rerum gubernatrice nobis eximetur dubium. Multo id luculentius adhuc patet, in mirabili ista ecclesiae christianae plantatione, conseruatione & propagatione. Cum quis humilem Christi seruatoris, dum in his terris vixit, conditionem, sortemque abiectam discipulorum eius, potentiam contra, auctoritatem & multitudinem aduersariorum; qui se Christo & apostolis opponerant, considerat, cum vero porro, hisce non obstantibus, doctrinam christianam totum impleuisse orbem, & togentes populosue, qui Christo nomen dederunt, secum expendit, cum denique mirabilem istum effectum causis aptissime respondere, animaduertit, ita quidem, vt eas causas

causas ad hunc effectum producendum comparatas fuisse, nemo dubitare queat, etsi initio nemo mortalium cogitauerit, aut cogitare potuerit, quod hunc effectum producturae essent, haec omnia tam euidenter diuinam arguere prouidentiam intelliget, vt nec in ipsis mathematicorum demonstrationibus maior euidentia requiri queat. Quodsi cum eiusmodi hominibus nobis res esset, qui scripturae auctoritatem admitterent, luculentissima eius testimonia rationibus hactenus allatis addi possent. Sanctissimi namque homines, quorum res gestas commemorat, Abrahamus, Isaacus, Iacobus, Moses, David, omnes vnanimi consensu & vno ore testantur, firmiter se credidisse, in tota vita sua nihil sine nutu & voluntate Dei sibi contingere potuisse, eumque remuneratorem esse recte factorum, seclerum autem iustissimum vindicem. Cum primis & Iosephus patriarcha hoc testatur, qui cum a fratribus venditus in Aegyptum deductus esset, Deo cuncta sapienter disponente haec ita euenisse, agnouit, vt patri fratribusque aliquando aimenta subministrare posset; *Gen. XLV. vers. 6. 7.* Hinc &, *vos quidem*, inquit, ad fratres verba faciens, *cogitaueratis contra me malum (sed) Deus cogitauit illud in bonum (conuertere) vt faceret, sicut est die hoc,*

Mm

confer-

conseruando in vita populum multum ; Gen. I. vers. 20. Ipse Deus apud Esaiam vatem, ego, inquit, produco lucem & tenebras, ego efficio pacem, & creo malum, cap. XLV. 7. Amosus, nihil esse mali in ciuitate, fatetur, quod dominus exercituum non fecerit, III. 6. Bona & mala prouenire ab altissimo, diserte Ieremias pronuntiat Tbren. III. 38. Volucrum coeli & liliorum agri curam patrem coelestem gerere, optimus seruator noster docet, indeque concludit, multo magis homines de prouida Numinis cura certos esse posse. Intuemini, inquit, in volucres coeli, non enim serunt, neque metunt, neque cogunt in horrea, sed pater ille vester coelestis alit eas, nonne vos multo praestatis eis? Matth. VI. 26. Et iterum: Quodsi herbam agri, quae hodie extat, & cras in clibanum conicitur, Deus ita circumuestit, nonne vos multo magis, o exigua fide praediti! ibid. v. 30. Immo ne passerulum quidem, nisi volente patre coelesti, humum cadere, idem asserit, Matth. X. vers. 29. Paulus vero rem omnem compendio quodam complexus est, quando, in Deo, inquit, vivimus, mouemur, & sumus, Actor. XVII. 28. Hisce omnibus & gentilium philosophorum de Numinis prouidentia effata adiicere possem. Verum, praeterquam, quod iis facile carere queamus, caute admodum in iis versandum esse,

esse, nemo historiae philosophicae vel mediocriter peritus, dubitauerit; cum sub splendidissimis illorum de prouidentia diuina effatis, grauissimi subinde lateant errores. Quam facile autem aliquis hac in re labi queat, vel SALVIANI, Massiliensis presbyteri, exemplum nos condocere potest. Gentilium enim philosophorum testimoniis prouidentiam probaturus, hunc in modum diserit: *Probamus igitur, ne illos quidem de incuriositate ac negligentia ista sensisse, qui verae religionis expertes nequaquam utique Deum nosse potuerunt, quia legem, per quam Deus agnoscitur, nescierunt.* Pythagoras philosophus, quem quasi magistrum suum philosophia ipsa suspexit, de natura ac beneficiis Dei differens, sic locutus est: *Animus per omnes mundi partes commeans atque diffusus, ex quo omnia, quae nascuntur, animalia vitam capiunt. Quomodo igitur mundum negligere Deus dicitur, quem hoc ipso scilicet satis diligit, quod ipsum se per totum mundi corpus intendit?* Plato, & omnes Platonis scholae moderatores rerum omnium consententur Deum, Stoicis eum gubernatoris vice intra id, quod regat, semper manere, testantur. *Quid potuerunt de affectu ac diligentia Dei rectius religiosusque sentire, quam ut eum gubernatori similem esse dicerent? hoc utique intelligentes,*

Mm 2 quod,

quod, sicut nauigans gubernator, nunquam manum suam a gubernaculo, sic nunquam penitus curam suam Deus tollit a mundo &c. de gubernat. Dei lib. I. pag. m. 3. 4. Verum incaute admodum & Pythagorae & Stoicorum ista effata huc trahit, quippe quae, Deum mundi esse animam, supponunt, adeoque atheismo certo modo patrocinantur; unde & prouidentiam eo sensu comprobant, quo & athei eam haud difficulter admiserint. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Nos id potius nobis nunc datum credimus, vt, postquam prouidentiam Numinis rationibus luculentissimis euicimus, ad argumenta etiam, quibus Epicuræi eam impugnant, quæue cap. III. ad §. I. commemorauimus, respondeamus. Ad primum itaque quod attinet, quando obiiciunt, multa in hocce rerum vniuerso existere, de quibus dici nequeat, quod in hominum usum condita sint, eaque adeo omni carere utilitate, indeque porro colligunt, ea casu fortuito extitisse, satis ostendunt, se neutiquam exacto iudicio, quæ dicunt, expendisse. Primo enim si vel maxime nonnulla in hocce orbe reperiantur, quæ homini commodum non adferunt, inde nondum sequitur, ea omni utilitate carere. Est quidem hominis utilitas inter fines creatori constitutos; sed hic nec vnicus est, nec præcipuus. Quare si quid esset, quod directo homini

homini commodum non adferret, alia tamen ratione, aut ad integritatem, ordinem, decus huius vniuersi pertineret, vel quocunque modo sapientiam, potentiam, gloriam creatoris manifestaret, de eo, quod utilitate careret, vel superfluum esset, nulla dici ratione posset. Deinde, si ad exempla descendamus, ostendi haud difficulter potest, Epicuracos multa pro inutilibus habuisse, quae reuera vtilissima non tantum, sed & maxime necessaria hominum generi sunt, vt vel ex iis, quae *cap. V. §. IV. & V.* diximus, apparet. Multa denique insignem hominum generi adferre, possunt vtilitatem, etsi nobis non satis ea perspecta sit atque explorata. Cum enim angusti, quibus cognitio nostra circumscripta est, termini, nobis haud quaquam ignoti sint, non tam temeritas, quam insania esset, si quis asserere velit, hoc aut illud inutile vel superfluum esse, ideo quod vtilitatem vel necessitatem istius rei cogitationibus nostris non statim assequi possimus. Alteram rationem secus sentientibus, qua providentiam diuinam impugnant, *miseriae istae ac calamitates*, quibus omnes homines a primo natiuitatis momento, vsque ad vltimum vitae halitum, circumsepti sunt, suppeditant. Ad quam tamen, quae promte regeri queant, non desunt. Non equidem discepta-

bo, si mala phýsica cum bonis, quae singulis hominibus obtingunt, comparentur, sitne plus bonorum in hoc mundo, an malorum? Legi enim possunt, quae erudite hac de re contra PETRVM BAEIVM disputat illustris auctor, *des Essais de Theodicée sur la bonté de Dieu, la liberté de l'homme, & l'origine du mal, part. III. §. CCLI. pag. 431. seqq.* Nec abnuerim, nonnullos homines calamitates & miseras, quibus circumsepti sumus, plus, quam decet, exaggerare, quod idem illustris auctor monet. Multo minus inficiatus fuerim, multa mala & calamitates in hominum tantum imaginatione consistere. Enimuero, licet haec omnia concedam, plus scilicet bonorum in hoc mundo esse, quam malorum, homines in calamitatibus exaggerandis modum excedere, multos non futuros miseros, nisi se miseros vel esse, vel fore sibi imaginarentur; licet, inquam, haec omnia concedam, remanet tamen dubium, an calamitates istae & miseriae, quae reuera & citra imaginationem homines premunt, doloremque maximum subinde illis adferunt, cum bonitate Numinis conciliari queant? Respondeo, conciliari omnino posse, cum, quicquid verorum malorum homines premit, ipsis hominibus, non autem Deo, tribuendum sit. Nimirum discernenda hic primum vera mala sunt ab illis,

illis, quae perperam & falsa persuasione pro malis habentur, cum mala non sint. Deinde, quod ad mala physica vere talia attinet, ea ex malis moralibus, seu hominum peccatis oriri, rotunde & citra ambages asserimus. Homines enim si non peccassent, nullis calamitatibus, miseriis nullis, nullis afflictionibus, aut cuiuscunque generis malis essent obnoxii. Quod ergo sua culpa homines sibi met ipsi attraxere, id Deo tribui nequit, multo minus bonitati eius infinitae potest opponi. Omnis ergo quaestio ad moralis mali originem redit, de qua deinceps dicemus. Nunc saltem ad argumentum, quod LACTANTIVS ex mente Epicuri proposuit, quodue supra *cap. I. §. III.* exhibuimus, simulque PETRO Baelio, *diff. histor. critic. voc. Pauliciens, pag. 2324.* insolubile videri diximus, paucis respondebimus. *Deus, inquit, aut vult tollere mala, & non potest; aut potest, & non vult; aut neque vult, neque potest, aut & vult, & potest.* Respondetur, si potentiam Dei & voluntatem absolutam spectemus, qua omnia efficere potest, quae contradictionem non inuoluunt, & omnia etiam vult, quae bonitati eius & sapientiae conueniunt, dicimus, Deum & posse & velle mala quaeuis tollere. Quodsi vero potentiam eius & voluntatem ordinatam spectemus, tum sane nec

potest, nec vult mala tollere; vt tamen illud nec potentiae defectum, nec bonitatis in eo arguat imminutionem. Nimirum, postquam homo per libertatis suae abusum, diuinam legem migrando, & a Deo deficiente, omnem miseriarum cumulum sibi attraxerat, Deus quidem viam rationemque, vt inde emergere posset, ei constituit, atque monstrauit, idque diuinae bonitatis erat; sed certo simul hoc fieri voluit obseruato ordine, idque diuinae erat sapientiae. Hunc ergo qui obseruant ordinem id obtinent, vt illorum intuitu, mala physica non amplius mala sint. Reliqui autem habent, quod sibi ipsis imputent. Quodsi ergo quaeras, quae causa sit, quod potentia & voluntas Dei sit ordinata, adeoque mala physica nec possit, nec velit tollere, in necessaria ista sapientiae & iustitiae cum bonitate diuina coniunctione facile eam inuenies. Non enim separanda sunt, sed coniungenda attributa Numinis; quod qui obseruant, ex omnibus istis difficultatibus facile se expedient. Atque hinc etiam cognoscere licet, quid ad rationem ab *origine mali moralis* desumptam, quam tertio loco prouidentiae diuinae hostes vrgent, respondendum sit. PETRVS sane BAEIIVS argumentum Epicuri, quod ex LACTANTIO attulimus, de malis physicis intellectum in-

solu-

solubile esse, putat; quodsi vero ad mala moralia insuper transferatur, id plane inexpugnabile esse, sibi persuadet. Nos quidem lubentes fatemur, veram mali originem rationi minime perspectam esse, quam adeo nesciremus, nisi scriptura sacra nos de ea certiores reddidisset. Vnde & mirum non est, gentilium philosophos mirum in modum fluctuasse, cum causa malorum illis reddenda esset, sed in varios quoque eosque interdum plane absonos errores prolapsos esse. Quantumuis autem ratio ista ignoret, nihil tamen inde contra prouidentiam Numinis colligi potest, multo minus id inde sequitur, quod eupit **PETRVS BAELIVS**. Cum enim ratio ex ipsa Dei notione, aliisque argumentis antea allatis, euidentissime cognoscat, Deum rerum huius vniuersi curam gerere, de causa autem & origine malorum nihil certi pronuntiare queat, absonum profecto & contra ipsam rationem esset, ex rei cuiusdam ignorantia, ad veritatem manifestissimam impugnandam argumentum ducere velle. Iniquius vero adhuc magisque absonum esset, ne ignorantiam nostram agnoscere, aut profiteri teneremur, ad hypothesin manifesto absurdam, e. gr. de duplici principio independenti, & notiones, quae menti nostrae insident, clarissimas euidentissimasque, euertentem, prolabi. Quod

vero scriptura hac de re docet, Deum hominem integrum labisque omnis expertem, sed libertate praeditum, condidisse, hominem autem libertatis suae abusu omnia haec mala, quae illum premunt, sibi attraxisse, eiusmodi est, ut nec ratio ipsa, quod iure ei opponat, inuenire queat. Cuncta enim eo redeunt, cum Deus lapsum hominum permiserit, vel non impediuerit, quem per absolutam suam potentiam impedire potuisset, hoc diuinae bonitati e diametro repugnare. Sed antea iam monuimus, & non satis inculcari potest, cum ex attributis diuinis argumentum ducimus, ea non separanda a se inuicem, sed coniungenda esse. Bonitatis itaque diuinae consideratio ita instituenda, ut sapientiae quoque atque iustitiae habeatur ratio. Postquam ergo Deo visum, hominem, hoc est, creaturam rationalem condere, res ipsa postulauit, ut libertatem ei concederet. Sine libertate enim reuera rationis usus nullus est. Si ergo libertate praeditus esse debebat homo, violenta quadam ratione eum a peccato abstrahere minime conueniens erat; ceteroquin enim liber dici non poterat. Postquam vero per libertatis abusum lapsus erat, bonitatis diuinae rursus erat, rationem ex miseria ista eluctandi ei ostendere; sapientiae tamen simul & iustitiae, certum ordinem

dinem ei praescribere. Ista ergo attributorum diuinorum harmonia & proportio si obseruetur, nihil, quod iure desiderari queat, ratio inueniet. Quartum tandem vltimumque superest argumentum, *improbis subinde cuncta prospere atque ex voto succedere, cum piis contra hominibus cum variis consistendum sit calamitatum generibus.* Verum obseruare hic primo iuuabit, maiorem vt plurimum hominum improborum felicitatem nobis videri, quam reuera est. Non dicam, fortunam splendidissimam cum labore incredibili, maximis periculis, curis infinitis, plerumque coniunctam esse; sed id saltem moneo, cum hominibus improbis in fortuna quantumuis splendida, constitutis, id quod praecipuam humanae felicitatis partem constituit, animi tranquillitas, desit, non posse non miserimos esse, qui nobis videntur felicissimi. Et idem rursus dicendum de iis, qui nobis miseri videntur. Si enim simul probi & honesti viri sunt, animus nullorum scelerum sibi conscius maximum etiam in summa miseria praebabit solatium, adeo vt reuera feliciores sint, quam improbi, qui falsa persuasionem quadam multis videntur felicissimi. Nec id praetermittendum, quod vitae huius felicitas maximam partem perceptionibus, animique passionibus, absoluat. Pone ergo pauperem diuitemque hominem, quorum ille miser,

hic

hic felix censetur. Nonne facile fieri potest, vt pauper ex pane, quem comedit, & aquae haustu, eandem, si non maiorem, delectationem capiat, quam diues, ob corruptum stomachum, ex cibi potusque deliciis exquisitis? Nonne ergo pauper aequae felix ac diues? Immo fieri potest, vt in paupertate constitutus plures gaudendi causas habeat, paucioresque dolendi, quam homo ditissimus. Munusculum enim leuissimum gaudio adficiet pauperem, cum, contra, quod diuiti laetitiam adferre queat, non semper praesto sit, qui insuper cum ab omnibus tanti non sit, quanti fieri cupit, grauissima se affectum iniuria existimat, vnde dolor, ira, indignatio, quorum omnium homo pauper immunis esse potest. Quis vero tum negabit, pauperem, etsi multis miser videatur, reuera si non felicior, certe aequae felicem esse, ac diuitem, cuius omnes felicitatem praedicant. Quod vero diximus, eos, qui miseri videntur, si virtuti & honestati studeant, reuera non esse miseros, etsi ipsa ratio clare satis intelligat, luculentius tamen scriptura confirmat, quae calamitates, quae pijs sanctisque hominibus obueniunt, iis longe vtilissimas esse, nos condocet, adeo vt hoc nomine etiam beati censendi sint. Namque *Dei amantibus omnia* (adeoque & aduersa quaeuis) *ad bonum conferre scimus*, auctore Paulo apostolo

Rom.

Rom. VIII. 28. Et alibi: *Quem enim amat Dominus, castigat, & verberat, quemcunque filium acceptum habet. Si castigationem sustinemus, ut filiis nobis utitur Deus. Quis est enim filius, quem non castiget pater? Ebr. XII. 6. 7.* Immo per multas misérias nos oportere in regnum coelorum intrare, idem gentium doctor pronuntiat, *Actor. XIV. 22.* Idque ad exemplum Christi seruatoris, *Luc. XXIV. 26.* quem & nos, vt in aliis, ita hac in re imitari decet, *Rom. VIII. 17.* Atque hoc est *mysterium illud crucis*, quod homines improbi non capiunt, illi autem, qui saluantur, summam Numinis sapientiam potentiamque in eo agnoscunt, *I. Cor. I. 18. II. 6. 7.* Ratio autem, si ex hoc dubio se expedire nequeat, eo minus tamen inde aliquid contra Numinis prouidentiam colligere potest, quod iudicium de probitate aut improbitate hominum longe sit difficilimum. Sane, qui in manifestis flagitiis viuunt, pro improbis sunt habendi; sed hosce ipsa illorum tot sibi scelerum mens conscia fatis miseros reddit. Rursus tamen non diffitendum, quosdam sine causa male audire, & pro improbis reputari, cum tales non sint; quemadmodum contra plurimi virtutis quandam speciem prae se ferunt, quorum animi grauissimis vitiis sedem & domicilium praebent. **Esto vero, esse quos-**

quosdam virtuti deditos reuera miseros, felices contra, qui vitiis indulgent, ne tum tamen quidquam Epicuræi obtinebunt. Vt enim iniquissimum absurdissimumque est, ob dubium aliquod, vnde nos expedire non possumus, veritatem manifestissimam reiicere; ita longe satius & rationi conuenientius est, ex eo, quod probi homines miseri, improbi felices quandoque aut sint, aut videantur, colligere, dari post hanc vitam remunerationem recte factorum, scelerumque poenam. Ita dubia omnia euanescent; viamque planam & facilem ratio videbit, statum præsentem huius mundi cum bonitate iustitiaque Numinis conciliandi.

§. II.

Qui cogitationes, actus cum primis reflexos, facultatemque mentis, res etiam materiae expertes concipiendi, & tum de his, tum de aliis ratiocinandi, libertatem insuper se & corpus mouendi, & mox hoc, mox aliud quid adpetendi, quorum omnium quilibet sibi intime conscius est, paulo accuratius secum expenderit, facile eam materiae omnis, adeoque & destructionis, expertem esse intelliget. Idem vero

CUM

cum & aliae rationes luculenter comprobent, falluntur citra controuersiam turpiter, qui animam mortalem esse, & una cum corpore interire, sibi aliisque persuasum cupiunt. *

* Animam nostram non interire, ex ipsis eius operationibus omnium luculentissime cognoscitur. Ex hisce enim euidentissime demonstrari potest, eam materiae omnis expertem esse; quod cum supra *cap. praeced. §. VII.* iam extra omnem dubitationem positum sit, ut, quae ibi copiose & ex instituto dicta sunt, hic repetamus, necesse non est. Spiritum vero seu substantiam materiae expertem, si animam esse constet, sua sponte inde sequitur, eam etiam esse immortalem. Quicquid enim mortem seu interitum vocamus, hoc in destructione aut separatione partium consistit. Adeoque quo pacto homo per partium separationem moriatur, corpusque eius destruat, facile intelligimus. Spiritus vero, qui materiae expertis sit, adeoque nec ex partibus compositus, quo pacto mori aut destrui queat, ratio capere nequit. Ad annihilationem enim, quod attinet, ea quo pacto sine infinita Numinis potentia fieri queat, non magis, intelligi potest, quam
quo

quo pacto sine eadem potentia Numinis infinita, quicquam ex nihilo fieri queat. Atque hoc perspectum probe exploratumque habuit TULLIVS, dum ex animae operationibus, eam simplicis naturae, adeoque indiuisibilem, hinc & immortalem esse, recte collegit. *Quid multa?* inquit, *sic mihi persuasi, sic sentio, cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tantae scientiae, tot inuenta, non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem: cumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moueat, ne finem quidem esse habiturum motus, quia nunquam se ipse sit relicturus; Et cum simplex animi natura esset, neque haberet in se quidquam admixtum dispar sui, atque dissimile, non posse cum diuidi; quod si non possit, non posse interire, &c.* in *Catone maiore cap. XXII. pag. m. 1370.* Primae huic, quae & principem inter omnes tenet, pro animae immortalitate rationi alteram addo, minime itidem contemnendam, & a metu poenarum, qui improbos prauorumque facinorum sibi conscios vexat, desumptam. Nec enim aliunde, quam ab isto metu, communis & ab omnibus fere gentibus recepta de inferis opinio orta; quae etsi a poëtis figmentis variis & fabulis aucta, & ideo a philosophis quibusdam,

falsa

falsa a veris non caute satis discernentibus, explosa sit, certissimum tamen argumentum praebet, ex innato quodam conscientiae testimonio constare, praue actorum, facinorumque malorum, poenas post hanc vitam expectandas esse, adeoque animam post hominis mortem superesse. Hinc SENECA, etsi ipsemet animae immortalitatem non credat, ex consensu tamen quodam hominum, inferos timentium aut colentium, eam probari posse, diffiteri nequit. *Cum de animarum; inquit, aeternitate differimus, non leve momentum apud nos habet, consensus hominum aut timentium inferos, aut colentium; epist. CXVII. pag. 577.* Nec profecto vi aut robore suo argumentum illud, si recte capiatur, destituitur. Nulla enim, quaecunque etiam excogitetur, adferri causa poterit, ex qua metus hicce, quem tot homines non in vna aliqua gente, sed vbi-que terrarum, in omnibus seculis, in se deprehendunt, deriuari queat. Quicquid de fabulis & commentis poetarum, quicquid de traditione maiorum, aut opinione a parentibus accepta, vel quaecunque ratione propagata, dicatur, omnes istae causae sunt particulares, quae ad effectum suo modo vniuersalem & communem producendum non sufficiunt. Accedit enimvero, eiusmodi etiam homines improbos, qui ab

NA

omni

omni credulitate sunt alienissimi, & de quibus dici nequit, vnam ex causis, quae vulgo adferri solent, apud eos locum inuenire, eundem metum subinde sensisse, adeoque vel inuitos veritati praebuisse testimonium. Atque haec ipsa consideratio ad tertium nos ducit argumentum, quod *iustitia diuina* nobis suppeditat. Deum, iustissimum scelerum esse vindicem, tam certum est, quam manifestum est, Deum esse, hoc est, extra omnem dubitationem positum. Fautur vero omnes, & ipsi Epicuræi, quoties contra diuinam prouidentiam disputant, maxime vrgent, bonos atque honestos viros subinde in hac vita miseros esse, cum improbis contra cuncta ex voto cedant. Hoc vero cum iustitia pariter ac bonitate Dei conciliari nequit, ut supra quoque iam obseruauimus, nisi recte factorum remuneratio & scelerum puniatio post hanc vitam admittatur. Corpus vero hominis cum dissoluatur, quo pacto Deus recte facta remunerari, peccata autem punire possit, si anima nostræ esset immortalis? Addendum hisce, quod merito quarto loco ponimus, *innatum omnibus immortalitatis votum*, immo praesensio quaedam, quae efficit, ut, si ab illis discedas, quæ ob scelerum magnitudinem poenas aeternas timeant, reliqui nihil magis in votis habeant, adeoque

adeoque naturae humanae conuenientius arbitrentur, quam animam, post eius a corpore solutionem, superesse. Obseruati dignissima hac de re sunt verba CICERONIS: *Si in hoc erro, quod animas hominum immortales esse credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, dum uiuos extorqueri uolo; si mortuus, ut quidam minuti philosophi consent, nihil sentiam, non verear, ne hunc errorem meum mortui philosophi derideant;* in Catone maiore cap. XXIII. pag. m. 1371. Eundem fere in modum & SENECA: *Quomodo molestus est incundam somnium uidenti, qui excitat; aufert enim voluptatem, etiamsi falsam, effectum tamen veri habentem, sic epistola tua mihi fecit iniuriam. Renocauit enim me cogitationi aptae eruditum, & truram, si leuisset, uterius. Iuabat de aeternitate animarum quaerere, immo me hercale credere. Credebam enim facile opinionibus magnorum uirorum, dem grauissimam praemittentium magis, quam probantium. Dabam me spei tantae: iam enim fastidio mihi, iam reliquas aetatis infractae contemnebam, in immensum illud tempus, & in possessionem omnis aeni transiturus, cum subito experrectus sum, epistola tua accepta &c. epist. CII. pag. m. 102. seqq.* Nimirum, licet & CICERO & SENECA, errore ducti, animae immortalitatem euidenter

21 probati non posse existiment, vterque ta-
 22 men intimum animi sensum haud obscure
 23 prodendo, verissimum esse, quod persuadere
 24 sibi firmiter non poterant, demonstrat.
 25 Hisce & alias adhuc rationes addere pote-
 26 ram, quas tamen praetermitto, quod non
 27 omnes eiusdem sint ponderis, & ab aliis
 28 etiam allatae sint, qui ex instituto de ani-
 29 mae immortalitate scripserunt; quos inter,
 30 si recentiores spectes, eminent, IOACHIMVS
 31 HILDEBRANDVS, de *immortalitate animae*
 32 *rationalis ex solo lumine naturae apodicticis*
 33 *& topicis rationibus liquido ostensa*: IOAN.
 34 BERNHARDVS SHWELINGIVS, in *mente im-*
 35 *mortali*; VINCENTIVS PLACCIVS, in *demon-*
 36 *stratione solida immortalitatis animae huma-*
 37 *nae ex solo lumine naturae facta*, lingua ger-
 38 manica scripta, HARTSCHMIDIVS, in *immor-*
 39 *talitate animae humanae ex philosophorum*
 40 *veterum ac recentiorum argumentis demon-*
 41 *strata*; KENELMVS DIGBAEVVS, de *immorta-*
 42 *litate animae*; aliique. Adderem his HEN-
 43 RICVM MORVM, cuius *immortalitas animae,*
 44 *quatenus ex cognitione naturae rationisque*
 45 *est demonstrabilis*, extat tom. II. operum eius
 46 *philosophicorum pag. 275. seqq.* nisi quaedam,
 47 quae calculum non ferunt, admiscuisset. Sunt
 48 nonnulli, qui ceteris rationibus etiam testi-
 49 monia veterum philosophorum adiiciunt,
 50 quae apud BERTRVM DANIELEM BRETIVM legi
 51 possunt,

possunt, in *quaestionibus Achetanis*, siue de
concordia rationis & fidei, libr. II. cap. VIII.
 §. III. pag. 155. seqq. conf. & IAC. FAYVS,
 in *defensione religionis*, &c. contra Ioannem
 Tolandum, part. I. cap. XXIV. pag. 132. seqq.
 Verum caute hac in re versandum esse, pa-
 tet ex his, quae supra ad cap. III. §. II.
 disputauimus. Omnes enim illi, qui ani-
 mae originem ex diuina essentia deriuabant,
 eamque iterum in hanc reuersaram contem-
 debant, indestructibilem potius eam,
 quam immortalem asserabant. Si denique
 & hic cum eiusmodi hominibus nobis lis
 esset, qui scripturae saerae auctoritatem ad-
 mitterent, res omnis plane confecta foret.
 Cum enim ea salutis obtinendae via, quam
 scriptura sacra nobis monstrat, hoc vel
 maxime nitatur fundamento, praemia recte
 factorum aequae ac scelerum poenas post
 hanc vitam expectandas esse, nemo nisi
 mentis omnis expertus, se, salua scripturae
 auctoritate, animae in dubium vocaturum
 immortalitatem, facile intellexerit. Ea-
 que & diserte, tum in veteri, tum in
 nouo testamento comprobatur. De veteri
 quidem nonnullos dubitare, aut aperte id
 negare scio, animae immortalitatem ex
 eo probari posse; sed profecto sine ratio-
 ne. Enim vero dum Moses hominem ad
 imaginem Dei conditum docet, *Genes. I.*

vers. 26. animae cum simul insinuare immortali-
 tatem, recte obseruat EVSEBIUS,
praeparat. euangel. libr. XI. cap. XXVII.
 Praeterea cum de Abrahamo *Genes. XV. 15.*
 dicitur, quod iturus sit ad patres suos,
 idque de corporis sepultura intelligi ne-
 queat, quippe quae ei non in Chaldaea,
 sed in terra Cananaea obtigit, nihil aliud
 superest, quam vt de anima hoc capia-
 mus, indeque, eam interitus expertem esse,
 concludamus. Quo pacto idem ex *Exod. III.*
vers. 6. probari queat, ipsemet seruator
 ostendit, *Matth. XXII. 31-32.* Etsi enim
 ibi de resurrectione mortuorum sermo sit,
 eadem tamen prorsus ratione animae im-
 mortalitas ex istis verbis colligi potest.
 Mitto reliqua, cum pro nostri instituti
 ratione haec sufficient. Ex nouo testa-
 mento quicquam adferre, superuacaneum
 foret, cum nemo sanae mentis dubitet, in
 eo vbique animae immortalitatem supponi,
 & subinde verbis apertissimis confirmari.
 Luculentissima cumprimis sunt verba serua-
 toris *Matth. X. 28.* quippe quae exceptio-
 nem non admittunt. Vt vero ad argu-
 menta etiam praecipua secus sentientium
 respondeamus, primo se nobis Epicuraei
 offerunt, quibuscum etiam alii faciunt,
 qui animam *materialem* adeoque & *mor-
 talem* faciunt. Atque hoc primum praeci-
 puum-

puumque argumentum est, quo ad mortalitatem animae probandam utitur T. LVCRETIVS CARVS:

Principio quoniam tenuem constare minutis

Corporibus docui, multoque minoribus esse,

*Principiis factam, quam liquidus humor
aquai est,*

Aut nebula, aut fumus &c.

libr. III. pag. m. 86. Verum committit hic LVCRETIVS petitionem eius, quod est in principio, ut in logicorum scholis loqui amant, sumitque quod nos non concedimus, animam materialem, & ex particulis minutissimis compositam esse. Eam enim materiae omnis expertem esse, ex operationibus eius luculenter supra demonstraui-
mus. Quam infeliciter autem Epicuraeis, & ipsi cum primis LVCRETIO, res procedat, quando ex sua hypothese animae operationes explicare aggrediuntur, ad *cap. praeced.* §. VII. ostendimus. Alterum, idque non minoris momenti argumentum, quo Epicuraei utuntur, ex eo desumptum est, quod mens animusue gignatur, adolescat, vigescat, senescat, deficiatque cum corpore. Hoc ita proponit LVCRETIVS:

*Praeterea gigni pariter cum corpore &
una*

*Crescere sentimus, pariterque senescere
mentem.*

*Nam velut infirmo pueri teneroque va-
gantur*

*Corpore; sic animi sequitur sententia
tenuis.*

*Inde ubi robustis adoleuit viribus aetas,
Consilium quoque maius & auctior, est
animi vis.*

*Post, ubi iam validis quassatum est viri-
bus aevi,*

*Corpus, & obtusis ceciderunt viribus
artus,*

*Clandicat ingenium, delirat linguaque
mensque,*

*Omnia deficiunt, atque vno tempore de-
sunt;*

loc. cit. pag. m. 87. Respondet quidem ad hocce dubium LACTANTIUS, *instit. diuin. lib. VII. cap. XII.* Sed cum eidem non satisfaciat, & vt, quod de origine animae obiicitur, dissoluat, hypothesin etiam Pythagoraeorum, aliorumque, animam ex essentia diuina ortam esse, quam deinceps reicie-

reiciemus, assumat, hanc eius responsionem nostram facere non possumus. Quare, quod ad originem animae attinet, paucis & citra ambages assero, principium hocce, cui LVCRETII argumentum innititur: *quicquid initium habet, id quoque habet finem*, falsum est, & nulla ratione admitti potest. Nihil enim prorsus obstat, quo minus substantia, infinita potentia praedita, substantiam materiae omnis expertem producat, quae uti corruptionis vel destructionis nullum in se habet principium, ita etiam non potest non semper subsistere, nisi ab eo, qui illam produxit, annihiletur. Quod si vim argumenti in eo ponas, quod anima cum corpore *gignatur*, quod & LVCRETIVS sibi velle videtur, indeque ita concludas, quicquid gignitur, id etiam destruitur, rursus assumitur aliquid, quod nondum probatum est, & a nobis non conceditur. Et si enim anima tunc existere incipiat, quando cum corpore vnitur, inde tamen non sequitur, eam eadem ratione gigni, qua corpus gignitur. De modo equidem, quo anima existere incipit, ratio nihil certi definire potest: hoc tamen aperte cognoscit, quod, cum anima sit spiritus, eo modo, quo corpora gignuntur, originem accipere nequeat. Atque hoc adeo manifestum est, ut plerique veterum philosophorum, Epicuracis saltem

& paucis quibusdam aliis exceptis, praesistentiam animarum ante earum cum corporibus unionem, vel originem ex essentia diuina afferere maluerint, quam admittere, animas eadem, qua corpora, ratione, per generationem originem accipere. Quod vero anima cum corpore crescere & senescere videtur, vimque suam diuersimode pro diuersa corporis constitutione exerit, id non tam de ipsa anima, quam quibusdam eius operationibus est intelligendum. Cum enim ob arctissimam eius cum corpore unionem, in operationibus quibusdam corpore, cum primis autem spiritibus animalibus, seu instrumento, uti debeat, fieri aliter nequit, quam ut pro corporis diuersa constitutione diuersimode quoque vis animae se prodatur, & in ipsis eius operationibus diuersitas quaedam conspiciatur. Atque hinc patet, quid ad tertium LVCRETII argumentum respondendum sit, ex eo desumptum, quod animus non suis modo laboret morbis, sed a corporis etiam morbis attingatur:

*Huc accedit, uti videamus, corpus ut
ipsum*

*Suscipere immanis morbos, durumque
dolorem;*

Sic

Sic animum curas acreis, luctumque metumque.

Quare participem leti quoque convenit esse,

Quin etiam morbis in corporis auius errat

Saepe animus; dementit enim deliraque fatur;

Interdumque graui lethargo fertur in altum

Aeternumque soporem oculis vultuque cadenti, &c.

loc. cit. pag. 87. Namque arctissimae vnionis, quae inter animam atque corpus intercedit, leges hoc postulant, vt mentis morbi in corpus, corporis autem, in mentem ipsam redundant. Cumque per corporis morbos, spirituum animalium, quibus vel maxime, ceu instrumento, anima vtitur, motus turbetur, adeo, vt nimis intendatur, vel rursus impediatur, aut alio modo exorbitet, mentisque directionem respuat, mirum non est, mentem vim suam, ea, qua poterat, ac debebat, ratione, exerere non posse, sed in morborum corporis participationem quandoque venire. Nec tamen semper hoc contingit, sed interdum mens constanter in gra-

grauissimis corporis morbis vim suam ad extremum vitae halitum vsque demonstrat, quod pro nostra potius sententia argumentum minime contemnendum praebet. Reliqua, quae ab Epicuraeis adferri solent, ex haecenus dictis diiudicanda, & discussa insuper sunt a PETRO GASSENDO, *syntagm. philosoph. Epicur. part. II. sect. I. pag. 29. seqq.* Iam quod ad Pythagoraeos ceterosque attinet, qui animam hominis ex essentia diuina ortam, in eam iterum aliquando reuerti, statuunt, etsi immortalitatem eius asserere videantur, reuera tamen indestructibilem potius, quam immortalem credere, iam supra ad *cap. III. §. II.* docuimus. In grauissimo autem eos versari errore, haud difficulter demonstrari potest. Si enim animae hominum ex diuina essentia sunt decerptae, & cum ea aliquando iterum vniendae, sequitur, essentiam Dei in partes plurimas esse diuisibilem, adeoque materialem. Quo pacto enim spiritus, hoc est, substantia materiae omnis expers, in partes diuidi, atque discerpi queat, nemo mortalium capere potest. Deum vero materialem, & in partes innumeras diuisibilem sibi fingere, tam ineptum, vt nihil ineptius cogitari queat. Accedit, quod mens hominis variis doloribus, passionibus, miseriis sit obnoxia, immo, quod prauis impiisque cogita-

1. gitationibus & cupiditatibus subinde scateat,
 2. & mox huc, mox illuc trahatur, vt, ybi
 3. pedem figere debeat, homo ipse nesciat.
 4. Quae omnia in ipsum Deum cadent, si
 5. mens nostra diuinae essentiae sit particula.
 6. Deus ergo ipse, hoc est, ens omnium per-
 7. fectissimum, angetur, excrucietur, dolores
 8. sentiet, praua quaeuis cogitabit & concu-
 9. piscet, mox huc, mox illuc feretur. Quae
 10. omnia non blasphema tantum, sed ita insu-
 11. per comparata sunt, vt a sanae mentis ho-
 12. mine asseri nequeant. Tolerabilior equi-
 13. dem Platonicorum videri poterat opinio,
 14. ex anima mundi hominum animas origi-
 15. nem ducere, & in eam reuerti, statuentium.
 16. Sed, cum mundi animam inter *ὑποστάσεις*
 17. diuinas referant, iisdem difficultatibus pre-
 18. muntur. Si enim materialis sit anima
 19. mundi, *ὑπόστασις* quaedam diuina materia-
 20. lis admittenda erit. Sin immaterialis, quo
 21. pacto diuidi atque in partes discerpi potest?
 22. Nec rectius se habet sententia Aristotelis,
 23. aut, si mauis, Auerrois, vnicum tantum
 24. numero intellectum, vnicamue omnium
 25. hominum esse mentem. Tam enim hoc
 26. absurdum est, vt non credam, quenuquam
 27. haec sententiam ideo admisisse, quod ratio-
 28. ni eam conuenientem existimaret, sed quod
 29. ad absona quaeuis credenda iis sufficeret
 30. auctoritas Aristotelis. Quo pacto enim ista
 31. vnius

vnius intellectus per omnes homines diffu-
 sio sine extensione quadam fieri possit, con-
 cipi nequit. Hoc ipso autem intellectus
 hicce vniuersalis materialis erit, iisdemque
 rationibus reiiciendus, quibus animae mate-
 rialitatem impugnauimus. Cumque homi-
 nes non tantum diuersas, sed & contrarias
 cogitationes saepissime habeant, statuendum
 erit, eundem intellectum vno eodemque
 tempore infinitis modis sibi contradicere, &
 in vno homine affirmare, quod in alio ne-
 gat, in vno adprobare, quod in alio impro-
 bar, in vno laudare, quod in alio vituperat,
 quod quam absolum sit, nemo non intel-
 ligit. Nec est, quod obuertat, diuersas
 eiusdem intellectus vniuersalis esse ope-
 rationes, pro organorum diuersitate. Hoc
 enim licet in quibusdam eius operationibus
 forte procedat, ad omnes, eas praesertim,
 quae a certa organorum dispositione non
 pendent, nullo modo trahi potest. Deni-
 que & illi falluntur turpiter, qui animam
 pro qualitate quadam, seu virtute ex mate-
 riae dispositione orta, & cum eius de-
 structione cessante, habent. Etsi enim ex
 materiae dispositione qualitates quaedam
 oriri queant, quae formaliter, ut loqui so-
 lent, antea in materia non extiterunt, nulla
 tamen qualitas, nulla virtus, ex materiae
 dispositione elici potest, quae non radica-
 liter,

liter, & ad minimum quoad potentiam, antea in materia fuit. Animae vero facultates, intellectus & voluntas, cum nec radicaliter, nec quoad potentiam in materia existant, quocunque modo hanc disposueris aut dispositam fingas, nunquam illas inde elicias. Inter commenta itaque ludicra atque somnia haec sententia referenda est, quae homines sine anima statuit. Cum vero auctores istius sententiae, resurrectionem mortuorum statuunt, adeoque & scripturae auctoritatem admittant, vel saltem admittere videri velint, omnia ea scripturae dicta illis opponi possunt, quae animam a corpore distinguunt, & eam post mortem superstitem esse, luculenter testantur, quorum praecipua antea iam indicauimus. Ad rationes autem, quae pro ista sententia in medium adferri possunt, responsum est, in *programm. de Arabicorum haeresi*, quod extat in *synth. dissertation. theologic. pag. 738. seqq.*

§. III.

Praeter Deum, animamque hominis, alios adhuc existere spiritus, hoc est, substantias materiae expertes, intellectuque non tantum & voluntate, sed potentia etiam mouendi corpora, & in ea agendi
 praec-

praeditas, nulloque cum corpore coniunctas, variae illorum, quae certissimis documentis constant, nos dubitare non sinunt operationes. Falluntur itaque non tantum, sed impudentiam suam, & summam ad quiduis aut negandum aut impugnandum temeritatem produnt, qui & spirituum eiusmodi existentiam inficiantur, & cuncta, quae de illis narrantur, aut sine discrimine, ausu iniquissimo reiiciunt, aut ad alias causas conatu prorsus irrito referunt.*

* Vt in spirituum creatorum existentia probanda rite procedamus, primo id, ceu extra controuersiam positum, assumimus, non esse *adύvaton*, eiusmodi substantias materiae expertes existere. Hoc si admittere athei aut pneumatomachi nolint, luculenta iis adferenda est ratio, cur spiritus, seu substantiae eiusmodi materiae expertes, existere nequeant. Eo minus vero hoc facere poterunt, quod vel ipsius mentis humanae exemplo euidenter hoc comprobari queat, quam spiritum, seu substantiam materiae expertem esse, per ea, quae in praecedentibus diximus, vel inuiti concedere teneantur. Iam si nihil obstat, quo minus spiritus eiusmodi

eiusmodi existere queant; ulterius hoc ab omnibus postulo, testimonia illorum, qui se per apparitiones eiusmodi spirituum, aut alias eorum operationes, de illorum existentia certiores redditos adfirmant, non sine causis gravissimis reiicienda esse. Inter hosce testes nonnullos saltem esse, qui ne utriquam animi alios decipiendi habeant, adeoque veritatem dicere velint, non facile vel impudentissimus atheorum abnuet. Praeterquam enim, quod iniquissimum esset, tot homines sine causa in imposturae suspicionem adducere; fieri etiam prorsus non potuit, ut tot homines, quorum hac de re testimonia extant, temporum pariter ac locorum interuallo a se invicem remotissimi, velut conspiratione quadam facta, ad totum genus humanum decipiendam inter se consentirent. Quemadmodum vero ad minimum nonnulli, quae veritati consentanea sunt, hac de re dicere voluerunt, ita nullum plane est dubium, quin id facere potuerint. Sane sensus quandoque, si rite dispositi non sint; aut in operationibus suis quacunque ratione impediuntur, falli posse, non diffiteor. Nec ignoro, quanta vis sit imaginationis, praesertim, si adfectus vehementiores accedant. Inde vero qui colligit, semper errasse sensus, semperque homines deceptos per imaginationis vim fuisse,

Oo

quoties

quoties spirituum operationes visu vel aliis sensibus perceperunt, perinde mihi agere videtur, ac qui a particulari ad vniuersale argumentatur. Sane quidem circumspicione quadam hic opus esse, nec quasuis de spectris aut spirituum apparitionibus, narratiunculas statim admittendas esse, lubentes fatemur. Nec tamen inde sequitur, omnia de hisce testimonia reiicienda esse, praesertim, cum quaedam ita comparata sint, vt nec imposturae, nec sensuum fallaciae locus esse queat. Exempla eiusmodi adferre, nostri instituti non patitur ratio: legi vero merentur, quae HENRICVS MORVS conguessit, in *antidoto aduersus atheismum lib. III. cap. VI. seqq. tom. II. opp. philosoph. pag. 105. seqq.* Praeter spectra, etiam commercia, quae magis ac sagis cum spiritibus malignis intercedunt, horum existentiam euidenter comprobant. Omnia enim ea, quae magi aut sagae de iis profitentur, in dubium vocare, aut corruptae imaginationi tribuere velle, a summa impudentia parum abest. Non tantum enim subinde consentientes prorsus inter se *πρσιδους* obstant, sed signa etiam in corpore conspicua, munera, quae a spiritibus acceperunt, & alii effectus, qui exceptionem non admittunt. Exemplum eius rei memorabile idem, quem iam laudavi, HENRICVS MORVS exhibet.

CVM ATHEISMO CONIVNCTORVM. 579
 exhibet, *loc. cit. cap. VII. pag. 108. seqq.* Accedunt obsessiones, quas vocant, corporales, magno subinde cum spectantium horrore, & existentiam & potentiam malignorum spirituum demonstrantes. In quibus etsi, quae a melancholia aut aliis morborum generibus sunt, caute discerni velim ab iis, quae naturae operationes excedunt, ita talia subinde in iis occurrere, quorum nulla, si daemonis potentia non admittatur, ratio reddi queat, nemo profecto sine summa temeritate negare poterit. Mitto reliquas rationes, quae passim ab iis allatae sunt, qui ex instituto contra *πνευματομαχῆς* disputant, quos inter & IOSEPHVS GLANVILIUS laudandus, in *Sadducaeismo triumphato*, anglicano idiomate scripto, sed anno M DCC I in germanicum translato. Cum vero nonnulli ex iis, quibuscum hic nobis res est, scripturae auctoritatem admittant, vel saltem aperte respicere non audeant, eo libentius eius testimoniis utimur, quia longe plenius & evidentius, quam ratio, de spirituum existentia & operationibus nos instruit. Nec omnia tamen congeremus, sed praecipua, quae ad nostram causam faciunt, delibabimus, remotis insuper, vel unico verbo, BALTHASARIS BECKERI ineptiis, quibus rebus clarissimis caliginem offundere allaboravit.

rauit. Ipse primorum parentum lapsus argumentum pro nostra sententia nobis sup-
 peditat, cum res ipsa satis doceat, per serpentem seductorem *Gen. III. 1. seqq.*: inferna-
 lem genium intelligendum esse. Si cum **BECKERO** dicas, infernali genio seductionem primorum hominum ideo tribui, quod
 hi ad illius exemplum peccauerint, verbis apertis scripturae sacrae, *Genes. III. 4. 5. Ioan. VIII. 44. II. Corintb. XI. 3. Apoc. XII. 9.*
 vim inferes. Abrahamo tres apparuerunt angeli, *Genes. XVIII. 2. seqq.* quorum vnus increatus ille, seu filius Dei fuit, vt alibi extra
 controuersiam ponitur, reliqui vero duo creati, qui Lothum cum familia ex Sodoma vrbe, ne vna cum impiis periret, eduxerunt.
BECKERVS homines intelligit, & quidem prophetas. Cur vero semper vocantur angeli? Sed conticescere hominem Paulus iubet,
 hospitalitatis praemia ex eo commendans, quod inscius etiam Abrahamus angelos conuiuio exceperit, *Ebr. XIII. 2.*
 Quae ratiocinatio apostoli inepra foret, si homines, & non angeli proprie sic dicti conuiuio ab Abrahamo excepti fuissent.
 Cum Deus legem promulgaret populo Israelitico, ingens quoque angelorum tuba clangentium adfuit turba, *Exod. XIX. 19.*
 Tonitrua hic & fulgura intelligit **BECKERVS**, Mosemque ad diuinae maiestatis opinionem
in

In hominibus excitandam atque augendam ita loqui. Sed Moses a tonitribus fulguribusque diserte tubarum clangorem discernit, *loc. cit.* angelosque fuisse testatur, *Deut. XXXIII. 2.* quod & Paulus confirmat, *Galat. III. 19.* Angeli, quocum Iacobus colluctatus est, *Gen. XXXII. 24. & seqq.* quive populum Israeliticum per desertum in Palaestinam deduxit, *Exod. XXIII. 20. seqq.* ideo nulla videtur facienda mentio, quod is non creatus, sed increatus ille seu filius Dei fuerit. Qui vero luctam Iacobi in somno vel visione contigisse putant, & per angelum populi Israelitici ductorem columnam nubis & ignis intelligunt, nescire mihi videntur, quid dicant. Claudicatio Iacobi testatur, luctam non fuisse imaginariam. Angelus autem populi Israelitici ductor, non semel, sed saepius, a columna nubis diserte distinguitur. Spectrum porro illud Endoracum, quod Sauli vltima fata indicavit, *I. Sam. XXVIII. 7. seqq.* de alio, quam infernali genio, intelligi nequit. Ipsam enim Samuelis animam si Sauli apparuisse dicas, eam artibus magicis e beatorum sedibus euocari potuisse, simul concedas, necesse est; quod nemo nisi omni ratione destitutus sibi persuadebit. Qui autem ad vaticinae mulieris praestigias cuncta referre voluerit, illi simul admittendum, vetulam

istam ciuiliū rerum peritissimam fuisse, tantaque sagacitate praeditam, vt promte futura praedicere potuerit; quod omnem fidem superat; ne dicam, quod nulla arte humana Samuelis ita imitari vocem potuerit, vt non Saul, cui Samuel notissimus erat, quantumuis perterrefactus, statim fraudem animaduertere potuisset. Tentator vero ille Christi seruatoris, quis alius, quam infernalis genius? *Matth. IV. 1. seqq.* Cum BECKERO enim asserere, in imaginatione haec omnia peracta, qua Christus prauas cupiditates sibi repraesentauerit, ac si per eas tentaretur, ineptum non minus est, quam blasphemum. Nec felicius hoc telum declinant, qui aliquem ex Pharisaeis, aut aliis Christi aduersariis, tentatoris munere functum putant. Vt enim reliqua, quae gratis & sine omni fundamento assumuntur, taceam, quid causae fuisset, tentatorem hunc absolute *διάβολον* vocare, cum alius scriptura Christi aduersarios, ceu homines certos describere & designare consueuerit. Cum diabolus cum Michaelē angelo super corpore Moſis contendisse dicitur, *epist. Iud. vers. 9.* BECKERVS quidem, doctores ecclesiae aut sacerdotes intelligit, quorum vnus corpus Moſis proferri idolatriae causa voluerit, cui alter restiterit, aut quorum vnus pro legis Moſaicae obseruan-

uantia pugnaverit, renitente & reclamante altero. Scilicet, quia ita placuit, & quia fas sibi esse putat, quidlibet facere ex quolibet. Qui vero, quae *Zach. III. 2.* extant, paulo accuratius considerauerit, statim a propriis & genuina verborum sibi minime discedendum esse significatione, intelliget. Mitto nunc, quae de officiis & ministerio angelorum bonorum scriptura nos condocet, quo circa natiuitatem, vitam, resurrectionem Christi functi sunt, *Luc. I. 11. 26. II. 9. 13. Matth. IV. 11. Luc. XXIII. 43. Matth. XXVIII. 2. Act. I. 10.* aut erga omnes homines, speciatim fideles, funguntur, *psalm. XXXIV. 8. Matth. XVIII. 10. XVI. 22. Act. X. 3. XII. 7. Ebr. I. 14.* item, quae de malignorum spirituum operationibus *Ephes. II. 2. VI. 12. 13. I. Petr. V. 8.* alibique, commemorat. Enimvero haecce loca omnia in alium sensum detorquere, & per angelos bonos, homines pios, per daemones autem, improbos intelligere, ecquid aliud est, quam scripturam profanorum hominum ludibrio exponere, viamque illis ostendere, qua horrenda quacuis dogmata ex ea exsculpere, & veritates manifestissimas eliminare queant. Si haec interpretandi scripturam ratio procederet, haud difficulter & athei eam ita interpretari possent, vt nullum in ea sibi inuenire videantur Deum. Quemadmodum vero ex

hactenus dictis etiam patet, spectra dari; ita ulterius id inde confirmatur, quod ipsi discipuli Christi, cum ipsum in mari ambulantes conspicerent, spectrum sibi apparere existimauerint, *Marc. VII. 49.* Quae opinio eos quoque inuasit, cum Christus post resurrectionem illis appareret; *Luc. XXIV. 37. 39.* Quo ipso ut aperte significarunt, se spectra, seu spirituum apparitiones credere, ita dum Christus eos ob istam opinionem minime reprehendit, eos hac in re non errasse, firmiter inde colligimus. Magorum saepissime in scriptura sacra mentionem fieri, constat. Hoc vero nomine eiusmodi subinde homines designari, qui ope infernalis genii mirabilia perpetrabant, vel Aegyptiorum magorum exemplum *Exod. VII. seqq.* neminem dubitare sinit. Quae enim de iis narrantur, per praestigias mere humanas nulla ratione effici potuerunt. Quo pacto enim arte quadam humana fieri queat, ut baculus in medium proiectus statim serpentis speciem referat; nemo dixerit. At diaboli praestigiis eiusmodi quid fieri posse, manifestum est; cum dubium non sit, quin summa celeritate corpus aliquod ex aere formare queat, quod serpentis instar sit. Idemque de reliquis mirabilibus, ab Aegyptiorum magis editis, censendum. Non minus vero & obsessorum a spiritibus

ma-

illi malignis, saepissime, in nouo praefertim te-
 stamento, mentio iniicitur; idque ea ratio-
 ne, vt, qui de morbo quodam aut melan-
 cholico, aut alio, id intelligere vellet, sana
 non amplius praeditus esse mente cen-
 sere queat. Qua de re si quis dubitet, perpen-
 dat saltem daemoniacorum istorum exem-
 plum, quod *Matth. VIII. 26. seqq.* extat.
 Ipsi daemones seruatorem alloquuntur:
Quid tibi nobiscum rei est; Iesus Dei fili?
Hucdine venisti ante tempus vexatum nos?
 Immo ab eo petunt, vt sibi liceat in porco-
 rum gregem immigrare; idque cum impe-
 trassent, eundem praecipitem in lacum
 egerunt. Haec vero omnia quis de mor-
 bo quodam melancholico, aut alio, intel-
 ligeret? aut num porci eodem quoque cor-
 crepti sunt, cum in lacum ruerunt praeci-
 pites? Non minus & illustria sunt exem-
 pla, quae *Luc. XI. vers. 14. seqq. Matth. XII.*
vers. 22. seqq. XV. vers. 22. seqq. XV. vers.
15. 18. leguntur. Hunc ergo in modum
 cum spirituum creatorum existentia satis ex-
 ratione pariter ac scriptura sacra demon-
 strata sit, nihil aliud superest, quam ut ad
 rationes secus sentientium paucis respon-
 deamus. Prima illorum est, qui cum Epi-
 curaeis, speciatim Thoma Hobbesio, spiri-
 tus dari, prorsus negant, eoque non aliae
 praefertim

praeter materiales dentur *substantiae*. Hi vero cum assumant, quod est in quaestione, non est, quod nos morentur, praesertim, cum contrarium, dari substantias materiae expertes, evidentissime supra demonstratum sit. Altera illorum est, qui spiritus quidem admittunt, sed *materiales*, adeoque in eam ingrediuntur sententiam, nihil ob stare, quo minus substantia materialis cogitare queat. Quod quam absonum sit, itidem supra iam demonstratum est. Nec est, quod auctoritas veterum philosophorum, Pythagoraeorum maxime & Platoniorum, quenquam moueat, materiales spiritus stuentium aut potius fingentium. Non enim insolens istis fuit talia asserere, quorum ipsimet nullam reddere potuere rationem. Tertia illorum est, qui non tam existentiam, quam *operationes* spirituum se impugnare videri volunt; quanquam operationes eorum in dubium vocando, praecipua simul argumenta, quibus eorum existentia probari potest, labefactent. Non concipi posse, aiunt, quo pacto spiritus, cuius essentia in cogitatione consistit, in materiam seu corpus agere, adeoque talia, quae spiritibus vulgo tribuuntur, edere possit. Sed falluntur & isti, dum erroneam animo concipiunt spiritus notionem, essentiam

sentiam eius in cogitatione constituentes. Enimuero, si cuncta, quae de spiritibus nobis innotuerunt, paulo accuratius consideremus, is demum recte de iis philosophari merito censebitur, qui spiritum dixerit substantiam materiae omnium expertem, intellectu & voluntate, potentiaque mouendi corpora, & agendi in materiam, adeoque facultate mirabilia multa efficiendi, praeditam. Veram hanc & genuinam esse spiritus creati & a corpore seiuncti notionem, tum ex iis, quae certa & indubitata fide de spiritibus traduntur, tum ex ipsa animae nostrae consideratione manifestum est. Secus autem sentientium *πρωτον ψευδος* in eo consistit, quod essentiam spiritus in cogitatione constituunt. Qua in re tamen maximopere falluntur. Etsi enim nullus spiritus sit sine cogitatione, adeoque facultas cogitandi inter proprietates spiritus recte referatur, inde tamen minime sequitur, ipsam spiritus essentiam consistere in cogitatione. Cessat itaque & corruiat prorsus ista ratiocinatio: spiritus est res cogitans, ergo non potest mouere corpus, aut agere in materiam. Nec est, quod regeras, cum nos asseramus, spiritum esse materiae expertem, non magis, quo pacto substantia materiae expertis agere in corpus queat, concipi posse, quam quo pacto id facere queat res cogitans. Licet enim,

eniti, quomodo substantia materiae exers
 in corpus agere queat, nobis non constat,
 inde tamen res ipsa, seu quod eiusmodi fa-
 cultas in spiritus cadat, minime vocanda est
 in dubium. Perinde enim hoc esset, ac si
 quis negare vellet, magnetem attrahere fer-
 rum, ideo quod modum, quo hoc fiat,
 ignoret. Multa sane fiunt, quae, quo pacto
 fiant, nemo mortalium dixerit; haec autem
 omnia negare velle, extremae esset & impu-
 dentiae & stultitiae. Animam hominis ha-
 bere facultatem, corpus, certaque eius
 membra, linguam, manus, pedes, pro lu-
 bitu mouendi, experientia magistra omnes
 nouimus. Nec tamen quisquam explica-
 uerit, quo pacto ad minimum voluntatis
 nutum spiritus animales ita determinari
 possint, ut mox hoc, mox aliud membrum,
 idque mox hat, mox alia ratione moueant?
 Quod si vero quis eiusmodi motus negare
 vellet, ideo quod non caperet, quo pacto
 mens nostra in corpus agere queat, nonne
 rationis usum amisisse merito censeretur?
 Nec est, quod cum BECKERO excipias, ani-
 mae aliam hic esse rationem, quippe quae
 proprium corpus habeat; est enim anima
 aequae spiritus, ac angelus, adeoque, si nul-
 lus spiritus in corpus agere posset, nec ani-
 ma hosce corporis nostri posset excitare
 motus. Praeterea exemplum istud eo prae-
 cipue

cipue pertinet, vt demonstremus; multa vt certa & explorata admittenda esse, de quibus tamen, quomodo fiant, dici nequit. Quare si vel maxime discrimen inter animam & reliquos spiritus admittatur, ratiocinatio tamen ista firmo perstat talo. Nul- lum vero etiam est dubium, eadem facili- tate, qua Deus animae humanae facultatem indidit, proprium corpus eiusque membra mouendi, eum etiam reliquis spiritibus fa- cultatem corpora extra se posita mouendi, vel certa ratione in ea agendi, concedere potuisse. Quod denique BECKERVS fun- damenti loco supponit, & toti systemati suo substernit, angelos malos post lapsum ca- tenis victos in inferno ceu carcere deti- neri, nihilque adeo in hocce mundo effi- cere posse, plane friuolum est. Catenae enim, quas Petrus II. ep. II. 4. *catenas te- nebrarum* vocat, non sunt materiales, sed spirituales, certamque & valde molestam potentiae angelicae circumscriptionem, in spiritibus malignis denotant. Quo ipso licet simul maligni isti spiritus cruciatus in- fernales in se sentiant, & ad certum etiam damnationis locum sint determinati; hoc tamen non obstat, quo minus & ex per- missione diuina, infernum suum secum cir- cumferentes, in hocce mundo existere, & varias operationes edere queant. Qua de
re

re eo minus dubitandum, quo certiora luculentioraque sunt, quae in scriptura sacra hac de re prodita legimus.

§. IV.

Vaticinia, seu praedictiones futurorum, & quidem contingentium dari, exempla certissima, & quae exceptionem non admittunt, euidenter probant. Eas vero, qui aut finitis creatisue spiritibus tribuunt, aut a naturali aliqua omnibusque hominibus insita facultate deriuant, nihil aliud agunt, quam vt limites intellectus finiti se prorsus ignorare demonstrant, irritouae & inani conatu causam quaerant, cuius vim effectus multis modis superat. Relinquitur itaque, & agnoscendas futurarum fortuitarumque rerum praedictiones, & soli Deo, ceu vero & vnico earum auctori, tribuendas esse.*

* Vt erroribus atheorum aliorumque hominum profanorum de vaticiniis, rerumque futurarum praedictionibus, eo rectius obuiam eamus, duo nobis euincenda sunt; alterum, dari omnino vaticinia seu rerum futurarum, & quidem fortuitarum, seu con-
tin-

ringentium praedictiones; alterum, eas a nulla facultate hominis naturali, nullque spiritu creato proficisci posse, sed soli Deo tribuendas esse. Ad prius itaque quod at-
tinet, non prouocabo nunc ad ipsum veterum philosophorum consensum, qui omnes, a Xenophane saltem & Epicuro si discesse-
ris, futurarum rerum praedictiones admise-
runt, uti supra ad *cap. III. §. IV.* obserua-
uimus; haec ea, quae veterum recentiorum-
que historicorum monumenta suppeditant,
nunc commemorabo. Iis saltem, quae
certa & explorata sunt, insistam. Tametsi
enim athei, quibuscum nobis hic praecipue
res est, diuinam scripturae sacrae auctori-
tatem non admittant, non tamen negare
audebunt, prophetarum quemque eo vixisse
tempore, quo vixisse perhibetur. Quod si
ergo constet, ea, quae praedixit, longo de-
mum post eam, qua vixit, aetatem conti-
gisse, vaticiniisque eius accurate respondisse
euentum, nullum amplius de ipsis vaticiniis
seu praedictionibus supererit dubium. Sic
Esaiam vatem, eo tempore, quo Hiskias
rex, rerum apud Iudaeos potitus est, vixisse,
ne impudentissimus quidem atheorum ne-
gauerit. Hic vero, ut plurima alia, quibus
post multa demum secula accurate euentus
respondit, praedixit, ita illud cum primis
a Cores seu Cyro Persarum rege, solutum

capiti captiuitatem Babylonicam; *Esa. XLIV. 28.*

XLV. 1. Hoc vero cum liberrimè fecerit

Cyrus, haud dubio futurum contingens erat.

Esaïas autem tanto temporis ante acti spatio

non tantum hoc praedixit, sed ita praedixit,

vt nomen quoque regis exprimeret, qui non-

dum natus erat, immo quem nasciturum

nemo mortalium scire aut cognoscere po-

terat. Idem de Daniele vate censendum.

Hunc enim circa finem imperii Babylonici,

& initium Persici, vixisse, adeo verum est,

vt nec perditissimum atheorum id vocatu-

rum in dubium existimem. Quod vero

PORPHYRIUS iuratus christiani nominis ho-

stis autumauit, librum Danielis, Antiochi

Epiphaniis aeuo, a quodam in Iudaea fuisse

compositum, argumento est, de veritate

vaticiniorum Danielis adeo eum fuisse con-

uictum, vt ne diuinam libri istius auctori-

tatem agnoscere cogeretur, non aliter,

quam per illepidum eiusmodi & inficetum

figmentum inde se expedire potuerit. Tan-

tum itaque abest, vt nostrae hoc noceat

causae, vt nouum potius eidem robur con-

ciliet, vti iam a me ostensam, in *dissertat.*

de veritate christ. relig. philosophor. gentil.

obtrectationib. confirmata, §. IX. in syntagm.

dissertation. theologic. pag. 491. Adde his

prophetam, prophetis omnibus, qui vn-

quam extiterunt, longe maiorem, ipsum

Christum

Christum ſeruatorem noſtrum. Eum ſub Auguſto imperatore natum, ſub Tiberio cruci adfixum, mortuumque eſſe, nec Spinoza negat, nec ullus atheorum negare poterit. Non minus tamen & illud extra controuerſiam poſitum, inter alia de Hieroſolymitanae vrbis templique deuaſtatione eiusmodi vaticinia cum edidiſſe, quae euen- tus accuratiſſime comprobauit. Iſta autem quis praeuidere poterat, niſi aut Deus ipſe, aut qui a Deo ea accepisset? Vt enim inere fortuita fuere, ita longo ſatis poſt praedictionem contigerunt tempore. Atque haec cum iſtud, quod nobis probandum erat, extra controuerſiam ponant; ita ea, quae contra praedictiones eiusmodi Epicuræi arguent, non adeo magni ſunt momenti. Dum enim ideo eas negant, quod Deus rerum huius mundi nullam curam gerat, ex vno errore alium colligunt, ponuntque ceu euictum, quod a nobis iam eſt proſtigatum. Immo inuertere quodammodo argumentum licet, rationesque ita ſubducere: cum rerum huius mundi, hominum praecipue, curam Deus gerat, verosimile proſus eſſe, cum hominum, piorum praefertim & virtuti deditorum cauſa, quandoque futura reuelare, vt ſciant, quid fugere ac euitare, quid contra conſectari atque eligere debeant, vt intuitu

Pp

eorum,

eorum, quae euentura sunt, rebus suis consulere queant. Nec maioris momenti est, quod iidem contendunt, cum nulli dentur spiritus, qui futura nobis reuelare queant, nullas quoque dari rerum futurarum praedictiones. Praeterquam enim, quod perperam iterum ceu certum ponunt, quod a nobis non conceditur, nullos dari spiritus creatos, nos etiam praedictiones futurorum non a spiritibus creatis, sed ab ipso Deo proficisci, asserimus. Sermo enim nobis est de futuris contingentibus, quorum praecisio vti in solum Deum cadit, ita spiritibus creatis non magis tribui potest, quam hominibus ipsis. Dum vero, quicquid de praedictionibus, oraculis, vaticiniis dicitur, inter aniles fabulas, figmenta & imposturas hominum referunt, summae praecipitaniae & temeritatis, quocum verae sapientiae minime conuenit, se reos esse, ipsi met demonstrant. Nimirum, positum hoc in more est quibusdam philosophis, sed philosophorum nomine parum dignis, ut systematis cuiusdam, quod semel amplexi sunt, amore excoecati, quicquid ex suis principiis explicare nequeunt, statim, ceu fabulosum, fictitium, & merum commentum, reiciant. Quae tamen non ad indagandam, sed ad opprimendam veritatem rectissima via est. Nos antea iam exemplis eius-

eiusmodi, quae ipsi athei negare nequeunt, probauimus, praedictiones rerum futurarum dari. Quod autem ad praedictiones, uaticinia, & oracula, quae inter gentiles fuerunt, attinet, non equidem negamus, fraudes, imposturas, figmenta in hisce intercessisse; quaedam tamen ita comparata fuisse, ut cognitionem humana maiorem nemo non in iis admittere debeat, iam supra ad *cap. III. §. IV.* obseruauimus. Qui enim per oracula quandoque responsa dabant daemones, etsi ipsimet futurorum contingentium ignari, talia tamen praeuidere subinde, & ex certis causis colligere poterant, quae vim humani intellectus longissime superabant. Vltimum itaque, idque praecipuum saltem superest dubium, an praedictio, adeoque & praeuisio futurorum contingentium cum libertate hominis conciliari queat? Scopulus sane hicce est, a^q quem plurimi naufragium fecerunt, mox ad vnum, mox ad alterum extremum declinando. Nonnulli namque ex decretis Dei absolutis cuncta, quae fiunt, deriuantes, Deum quidem futura praeuidere, concedunt, sed hoc ipso, ea contingentia esse negant, eo quod propter decretum Numinis non possint non fieri. Alii autem, ut hominum libertati consulant, nec contingentiam tollant, negant, Deum praeuidere

res mere contingentes posse; adeoque & iuxta eosdem futurorum contingentium praedictio nulla erit. Eorum, qui SOCINI castra sequuntur, hanc esse sententiam notum est, idque vel ex IOANNE CRELLIO constat, de *Deo & attribut. diu. cap. XXIV.* In eandem nuper ingressus est vir quidam doctus, cuius hac de re extat meditatio dans l'*histoire critique de la republique des lettres, tom. VII. artic. IV. pag. 131. seqq.* Cum enim tum illorum sententiam, qui omnia ex decretis diuinis deriuant, tum eorum, qui, libertatem hominum cum praescientia contingentium conciliari posse existimant, reiecit, ipse quidem, Deum futura contingentia tatenus saltem praescidere, contendit, quatenus ex certis causis cognosci possunt. Cumque homines rerum usu pollentes, & insigni prudentia instructi, multarum actionum euentus futuros praescidere queant, Deum quidem, cuius cognitio multis modis perfectior sit, quam hominum, longe plura hac ratione praescidere posse, & quidem talia, in quibus sagacissimi mortalium causas, utpote latentes, perspicere nequeunt. Quodsi ergo regeras, hoc modo praescientiam diuinam futurorum contingentium ad meras coniecturas redire, respondet, cum Deus causas & principia, ex quibus hominum actiones processurae

cessurae sint, certo sciat, certam quoque, & necessitatem mere coniecturalem hanc eius esse praescientiam. Cum vero facile videat, vaticinia & praedictiones, quarum tot exempla scriptura sacra exhibet, hinc vel maxime ob stare sententiae, in eo totus est, ut ostendat, ea ita comparata esse, ut Deus ex certis causis ea euentura cognoscere poterit, quae eueniunt. Quod quam infeliciter auctori cedat, ipsa haec eius commentatio quemlibet facile condoceret. Rectius itaque sibi consulunt, & tutius incedunt, qui euitatis duobus hisce extremis, mediam viam eligunt. Qui enim ex decretis diuinis cuncta deriuant, ut hominem omni libertate spoliant, ita non possunt non Deum tandem omnium prae aetorum causam auctoremque facere, quicquid etiam dicant, aut in quamcunque se vertant partem. Quod ut plane impium est, ita, qui ista praecipitia caute non euitant, absque deinde quacuis atque inepta admittere, tenentur. Qui vero praescientiam futurorum contingentium Deo abiudicant, infinitae eius perfectioni nimium quantum detrahunt; immo palam in eum iniurii sunt, characterem istum luculentissimum diuinitatis, quo Deus vel maxime ab idolis vult discerni, *Esa. XLIII. 12. XLIV. 7.* ei adimentes. Quod si non aliter, quam per

causas aut signa Deus futura cognoscit; non multum sane perfectior erit eius intellectus, quam hominis aut angeli. Sed ipsa vaticinationum exempla haec commenta euidentissimè refellunt. Cum enim Deus facta gentis Israeliticæ in Aegypto, dudum antea ipsi Abrahamo indicauit; cum captiuitatem Babylonianam, & post LXX annorum decursum, ex ea liberationem, eo tempore praenuntiavit, cum nemo mortalium, hoc vlla ratione fieri posse, sibi persuaderet; cum, quae circa natiuitatem, mortem & resurrectionem Christi contigerunt, multis antea seculis, quam haec fierent, praedixit; causas istas atque signa scire vellem, ex quibus Deus talia cognoscere poterit. In omnem equidem hic se versat partem, auctor antea laudatus, sed aut meras ineptias profert, aut eo tandem cuncta redeunt, Deum hoc aut illud decreuisse, itemque, intellectum diuinum perfectiorem esse humano. Sed dum ipse sententiam illorum, qui praescientiam Dei ex eius decretis deriuant, reiecisset, parum profecto sibi constat, dum nihilominus ipse ad decreta recurrit. Intellectum diuinum humano longe perfectiorem esse, lubentes concedimus, sed hoc auctorem parum iuuat, qui causas aut signa adferre debet, ex quibus Deus futura cognoscat, aut concedere, Deum etiam futura contingentia, qua talia, praevidere & praedicere

dicere posse. Et hoc quidem est, quod nos asserimus, media ita via inter duo ista extrema incedentes. Primo namque hoc requirit, infinita scientiæ diuinæ perfectio. Deinde, exempla vaticiniorum & prædictionum, quæ in scriptura sacra extant, hoc luculenter confirmant. Nec obstat hoc libertati hominis. Cognitionem enim atque præuisionem rerum, cum illarum existentia aut productione, nullum habere nexum necessarium, vel humanæ cognitionis exemplo condiscimus. Obiicit equidem auctor antea laudatus, infinitatem scientiæ diuinæ non esse extendendam ad contradictoria. Contradictionem autem inuoluere, si dicam, contingentia certo fieri posse. Quod enim certo non sit exiturum, hoc etiã non posse certo sciri. Certo autem si exiturum est, non erit contingens. Verum non hodie demum, aut nudius tertius, sed iampridem omniscientiæ diuinæ hostes hunc nodum constrinxerunt. Sed nihil efficiunt, siquidem id, quod ratione causæ, quatenus libere agere, vel non agere potest, contingens, adeoque incertum & indeterminatum est, posita hac vel illa causæ actione, ceu certum & determinatum spectari, & eo modo certo ab intellectu infinito cognosci potest. Quod itaque id, quod reuera contingens est, vt certum spectari possit,

sit, non a praescientia diuina oritur, sed
 a certa conditione, posita scilicet certa
 causae actione, ex qua effectus hicce oritur.
 Et ita quidem cum satis euictum sit, dari
 praedictiones futurorum, ad alterum dis-
 ceptionis nostrae caput progredimur, eas
 soli Deo tribuendas esse. Enim vero nec
 homini, nec vlli spiritui creato, facultatem
 futura contingentia praedicendi inesse, vel
 inde patet, quod nullo modo concipi queat,
 quo pacto intellectus finitus aliquid sine
 signis cognoscere queat. Futurorum autem
 contingentium cum nulla plane signa sint,
 manifestum est, quod nulla ratione ab in-
 tellectu finito cognosci possint. Nec est,
 quod excipias, etsi modum ignoremus, ideo
 rem ipsam non posse vocari in dubium.
 Id enim valeret, si res ipsa posita esset extra
 controuersiam. Hoc vero cum factum
 non sit, nec fieri queat, firmo ratiocinatio
 nostra stat talo. Accedit, quod non tan-
 tum scriptura sacra testetur, solius Dei esse,
 praedicere futura, vt iam antea ostendimus,
 sed quod ex ipsis ethnicis nonnulli hoc
 agnouerint, quorum hac de re testimonia
 laudauimus, in *differtat. an homines naturali pol-
 leant vaticinandi facultate?* §. XXII. vbi
 & §. XXIII. ad rationes ab AMMONIO in
 contrarium allatas, & a PETRO PETITO
 vberius explanatas, respondi. Non magis
 VERO

CVM ATHEISMO CONIUNCTORVM. 601
vero & illorum admittenda est sententia,
qui naturalem quandam ad vaticinandum
dispositionem homini tribuunt; cuius sen-
tentiae patrocinium magno conatu, nec sine
apparatu eruditionis singulari, in se susce-
pisse **PETRVM PETITVM**, supra ad *cap. III.*
§. IV. docuimus. Hanc vero dispositionem
naturalem ad influxum diuinum recipien-
dum, in mentis praecipue sublimitate con-
stituit, ad quam quidem, ceu causae adiu-
uantes, accedant, temperamentum melan-
cholicum, positus siderum, haustus halitus
subterranei, aliaeque. Licet vero & **BENE-
DICTVS DE SPINOZA** ad vaticinia dispositio-
nem naturalem requirat, differt tamen eius
sententia a sententia **PETITI**, siquidem illius
eo tandem redit, prophetiam merae imagi-
nationis effectum esse, cum **PETITVS** contra
influxum quendam diuinum requirat, saltem
requirere videatur. Interim nec haec vlllo mo-
do admitti sententia potest. Quid enim mentis
sublimitas naturalis ad influxum diuinum re-
cipiendum faciat, nulla, ne probabili qui-
dem, ratione ostendi potest. Immo plures
fuerunt inter prophetas veteris testamenti, in
quibus naturalem istam mentis sublimitatem
agnoscere non licet. Multo vero minus,
quid aut temperamentum melancholicum,
aut positus siderum, aut haustus halitus sub-
terranei huc conferant, explicari solide po-

test. Ad rationes, quae pro ista sententia stabilienda in medium adferri solent, haud difficulter respondere licet. Quod enim de praeparatione ad vaticinandam, seu influxum diuinum recipiendum, dicitur, qua prophetae olim vsi sint, id vero caute & cum grano salis intelligendum est. Erant sane in gente ebraea scholae, seu societates quaedam, in quibus propheta aliquis ceu magister, vel praefectus, reliquis praeerat; a quo qui instruebantur, **בְּנֵי נְבִיאִים** *filii prophetarum* dicebantur. Sed probe obseruandum, *prophetarum* nomine eos olim venisse, qui rerum diuinarum erant periti, vt de iis verba ad alios facere possent, simulque canticis sacris atque psalmis laudes diuinas celebrare, suarum ducebant esse partium; adeoque & musices periti erant; conf. *I. Sam. X. 5.* Vnde, quo pacto discipuli isti atque filii prophetarum in scholis istis instituti, & ad prophetiam praeparati fuerint, constat, per doctrinae scilicet sacrae communicationem, qua rerum diuinarum notitia imbuebantur, tum & per preces, hymnos, similesque exercitationes. Quod dum fiebat, contingebat interdum, vt motus extraordinarios spiritus sancti sentirent, vt ex iis, quae de Saule *I. Sam. X. 5. seqq. XIX. 18. seqq.* narrantur, liquet. Musicam etiam instrumentalem cum canticis sacris ad animi ad-

adfectus aut sedandos aut excitandos eos adhibuisse, tum aliunde constat, tum exemplum Elisaei vatis, *II. reg. III. 15.* nos dubitare non sinit. Ista vero praeparatio vti spiritualis erat, adeoque ad naturalem quandam animi dispositionem producendam minime comparata; ita multo minus per se facultatem vaticinandi seu futura praedicendi, producebat, quam Deus potius liberrime mox huic mox alii conferebat. Nec de omnibus sane filiis prophetarum dici potest, quod futura praedixerint; multo minus, quod per praeparationem istam hocce donum se impetrare posse existimauerint. Erat enim hoc eiusmodi, quod a sola Numinis voluntate, non autem a praeparatione quadam, aut dispositione naturali, pende-
bat. Sed nec ex natura indoleque somniorum, naturalis quaedam ad vaticinandum, vel influxum diuinum recipiendum, dispositio, probari potest. Cum enim, quae de euentu quodam futuro nos certiores reddunt, aut Deum, aut genium quendam, bonum vel malum auctorem habere queant, quid naturalis huc faciat dispositio, non video. Nec etiam explicari potest, qualis illa dispositio esse debeat, multo minus ratio dari, cur Deus aut genius aliquis citra certam dispositionem somnium aliquod immittere nequeant. Occurruat equidem quaedam cir-
ca

ca-formia, quorum certam rationem reddere difficile fuerit, sed vt ad ea soluenda hypothesis de dispositione certa, ad influxum aut Numinis aut genii recipiendum, non sufficit, quae & ob rationes allatas admitteri nequit, ita & in hisce quaedam esse, quae nostram cognitionem superent, libere profiteri praestat. De oraculis gentilium iam antea dictum, in hisce, praeter hominum imposturas, infernalis genii operam intercessisse. Nihil itaque inde pro naturali ad vaticinandum facultate elici potest. Idem & de Sybillis dicendum: quarum minus exemplum nobis opponi potest, quod, quae hodie Sybillis tribuuntur, oracula, conficta ab aliis & supposititia esse, iam pridem viri doctissimi demonstraerint. Sed de hisce omnibus copiosius exposui, in *dissert. citata, an naturali homines polleant facultate vaticinandi?*, §. XXXII. & XXXIII.

§. V.

Potentia Dei infinita & ad omnia, quae contradictionem non inuoluunt, sese extendens, nos nulla ratione, quin leges motus ab ipso constitutas iterum tollere atque suspendere possit, dubitare sinit. Id vero subinde ab eo factum, exempla

CVM ATHEISMO CONIUNCTORVM. 605
exempla certissima, & exceptionem non
admittentia, testantur. Errant igitur, &
falluntur magnopere, qui, miracula a
Deo aut edi non posse, aut edita non
fuisse, contendunt.*

* Ad duo etiam haec de miraculis disceptatio
reuocari capita potest, quorum alterum est:
an & a quo miracula fieri queant? alterum:
num miracula reuera facta sint? Ad prius
quod attinet, cum merito nunc ceu euictum
ponamus, Deum existere, eundemque na-
turae auctorem esse; cum nemo etiam, qui
Deum admittit, dubitet, cum infinita po-
tentia esse praeditum; sequitur etiam, cum
naturae leges a se ipso constitutas, posse
mutare, hoc est, miracula edere. Quae
atheorum princeps, BENEDICTVS DE SPI-
NOZA hic in contrarium adferat, supra iam
ad *cap. III. §. V.* indicauimus, atque reieci-
mus. Iuvat tamen ad ea penitus confodi-
enda nonnulla addere. Quod fundamenti
loco ponit, *nihil contra naturam contingere,*
sed ipsam aeternum, fixum & Immutabilem
ordinem seruare, sua sponte corrui-
t, cum per turpissimam principii petitionem suppo-
nat, quod minime euictum est, Deum &
naturam esse vnum idemque, vti iam *loc. cit.*
obseruauimus. Loquitur equidem in asserti
huius

huius probatione homo vaferrimus *de decretis diuinis*, vnde aliquis existimare posset, cum naturae ordinem ex libera Dei voluntate deriuare. Sed mox, quid sibi velit, indicat, quando, *leges naturae vniuersales mera esse decreta Dei*, asserit, *quae ex NECESSITATE & perfectione naturae diuinae sequuntur*; tractat. theolog. polit. cap. VI. pag. 68. 69. Et paucis interiectis: *quicquid fit, per Dei voluntatem & aeternum decretum fit, hoc est, vt iam ostendimus, quicquid fit, id secundum leges ac regulas, quae AETERNAM NECESSITATEM & veritatem inuoluunt, fit, &c.* Atque hoc quidem ad fraudem ac fallaciam hominis detegendam, ipsumque eius principium euertendum, sufficit. Ceterum si natura a Deo distinguatur, vti omnino distinguenda est, principium hoc, *nihil contra naturam fit*, tum demum admittendum, si addatur: *sine voluntate creatoris*. Leges enim naturae a Deo semel stabilitae tamdiu firmiter persistunt, & mutari prorsus nequeunt, quamdiu ipse Deus, ceu naturae auctor, eas non tollit aut suspendit. Deum autem eas tollere aut suspendere non posse, si quis asserere vellet, illi simul admittendum esset, Deum nec naturae auctorem, nec omnipotentem esse, quorum vtrumque absurdum est. Non minus inepte ac frivole agit, cum *nomen miraculi non nisi respectiue*

respectu ad hominum opiniones posse intelligi, pronuntiat, & nihil aliud significare, quam opus, cuius causam naturalem exemplo alterius rei solitae explicare non possumus, vel saltem ipse non potest, qui miraculum scribit & narrat. Perinde enim hoc est, ac si rotunde dixisset, non dari miracula. Petteram vero itidem, & per ineptam principii petitionem supponit, nihil unquam, quod non causam naturalem habeat, contigisse; indeque concludit, eos, qui miracula credunt, nihil aliud agere, quam ut suam prodant ignorantiam, innuantque, se eius, quod contigit, nescire rationem. Enim vero cum exempla in scriptura proferantur, quae doceant, talia contigisse, quae non tantum ex causis naturalibus explicari nequeant, sed quae plane contra naturae ordinem sunt, frustra haec omnia dici, manifestum est. Non ignoro, quid ad haec exempla regerat; sed hac de re deinceps erit dicendi locus. Ut vero ex dictis liquet, miracula esse posse, ita simul a solo Deo ea edi posse, palam est. Solius enim Dei est, leges naturae dare ac tollere, easdemque, si ei visum fuerit, suspendere; quemadmodum itidem supra *loc. cit.* copiosius iam haec explicavimus. Sequitur hinc sua sponte, ex miraculis firmiter existentiam Numinis demonstrari posse. Quod iterum negat SPINOZA,

sed

sed perperam. Omnia enim, quae hac de re adfert, sua sponte corruunt, cum iam demonstratum sit, posse miracula edi; sed a solo Deo; & deinceps reuera eiusmodi miracula dari, demonstrandum sit. Cum vero SPINOZA tanta sit impudentia, vt suam sententiam ex ipsa scriptura sacra probare audeat, paucis ea diluemus. Quod enim Deum ex miraculis cognoscere nequeamus, inde probari posse, putat, quod Moses prophetam seductorem, quamuis faciat miracula, non tamen admittendum, sed capitali adficiendum esse supplicio, diserte sanciat, *Deut. XIII. 1. Ex quibus, inquit, clare sequitur, miracula a falsis etiam prophetis posse fieri, & homines, nisi Dei vera cognitione & amore probe sint muniti, aequè facile ex miraculis falsos deos, ac verum posse amplecti. Nam addit: כִּי מִנְסֶה יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם וְגוֹ* quoniam Iehoua vester Deus vos tentat, vt sciat, num eum amatis integro corde vestro & animo vestro. Sed inde quoque hoc palam esse, existimat, quod Israelitae ex tot miraculis nullum de Deo sanum conceptum sibi formare potuerint, cuius rei vel turpissima illa *μοσχολατρεία* euentissimum argumentum praebat. Asaphum praeterea, quamuis tot miracula audiisset, de Dei tamen prouidentia dubitasse, & fere a vera via deflexisse, nisi tandem veram

veram beatitudinem intellexisset, *psalmo LXXIII. II. seqq.* Immo ipsum Salomonem, cuius tempore res Iudaeorum florentissimae fuerint, suspicatum, omnia casu contingere, *Kobel. III. 19. 20. 21. IX. 2. 3. &c.* Verum haec omnia, si paulo accuratius ea consideremus, nihil ad rem facere, deprehendemus. Ad legem enim Mosaicam quod attinet, non in ea dicitur, falsos etiam prophetas posse facere miracula, sed *signa* saltem atque *portenta* eis tribuuntur. Id autem facile concedimus, posse falsos prophetas per praestigias aut humanas, aut diabolicas, mirabilia perpetrare, quae ab imperitioribus pro miraculis habeantur, adeoque hoc sensu signa atque portenta edere; sed inde non sequitur, eos posse edere miracula, seu talia perpetrare, quae sublationem vel suspensionem legum naturae supponunt. Quo pacto autem mirabilia eiusmodi opera a veris miraculis discerni queant, supra iam ad *cap. III. §. V.* docuimus. Non ergo negat Moses, ex miraculis verum Deum agnosci posse; sed non temere quibusvis signis & portentis fidem adhibendam, praecipit, cum pseudo-prophetae per praestigias talia efficere queant, idque permittente Deo, ut hominum obsequium exploret. Nimirum cum difficile interdum sit, mirabilia per praestigias effecta a miraculis discernere, certissimum tamen

criterium, quo praestigiae dignoscuntur a veris miraculis, est, si, qui eas edit, homines a lege diuina, verique Numinis cultu, iis abstrahere annitur. Hoc enim, vt pseudo-prophetam agnoscamus, sufficit; simulque certissimo documento est, quantumuis mirabilia sint, quae perpetrat, ea tamen non esse miracula. At Israelitae, inquit, ex tot miraculis nullum de Deo sanum conceptum formare potuerunt. Sane Israelitae, qui miracula a Mose perpetrata adspexerunt, inde plene conuicti sunt, verum Deum coeli terraeque conditorem esse, qui per Mosen ad eos locutus est, ex Aegypto eos eduxit, legesque in monte Sinai tulit. Et hac de re nemo Israelitarum dubitauit. Quod vero in idololatriam deinceps lapsi sunt, ac vitulum Numinis loco adorarunt, ideo factum, quod existimauerint, se sub hocce symbolo vel imagine, verum Deum colere posse. Hinc vero robori argumenti, quod a miraculis pro Dei existentia desumitur, nihil de- cedit, quippe quod praecipue ad existentiam Dei comprobendam comparatum est, quam omnino etiam ille supponit, qui erroneum de Deo conceptum sibi format, vel non ea ratione eum colit, qua coli debebat. Praeterea, de Asapho quod dicit, eum de prouidentia diuina dubitasse, falsum est. Namque hoc saltem asserit, posse ex felicitate impiorum dubium quidem

quidem aliquod oriri, sed hoc statim euanescere, si quis ad finem seu exitum eorum attendat, *psalm. LXXIII. 17.* Salomoni denique summam iniuriam SPINOZA facit, dum ea, quae ex mente sententiaque hominum profanorum dicit, ipsi regi sapientissimo tribuit. Atque hinc quidem patet, quam irrito conatu SPINOZA ostendere aggressus sit, ipsam scripturam docere, ex miraculis Numinis existentiam cognosci non posse. Nec rectius procedunt, quae in medium adfert, ut ostendat, *ipsam scripturam per Dei decreta & volitiones, & consequenter per prouidentiam nihil aliud intelligere, quam ipsum naturae ordinem, qui ex eius aeternis legibus necessario sequitur.* Hoc enim si verum esset, nullum ex scriptura probari posset miraculum. Ut vero hoc euincat, exempla quaedam profert: *In libro I. Schamuelis, inquit, cap. IX. v. 15. 16. narratur, quod Deus Schamueli reuelauit, se Saulum ad eum missurum, nec tamen Deus eum ad Schamuelem misit, ut homines solent aliquem ad alium mittere, sed haec Dei missio nihil aliud fuit, quam ipse naturae ordo; quaerebat nimirum Saul (ut in praedicto capite narratur) asinas, quas perdiderat; & iam absque iis domum redire deliberans, ex consilio sui famuli Schamuelem prophetam adiuit, ut ex eo sciret, ubi easdem inuenire posset,*

posset, nec ex tota narratione constat, Saulum aliud Dei mandatum, praeter hunc naturae ordinem habuisse, ut Schamuelem adiret. Verum, quam friuola haec sint, nemo non intelligit. Etsi enim Deus aliquando naturae ordine uti videatur, non tamen iste ordo naturae sine singulari Numinis directione concipiendus est. Quae directio uti ab ipso ordine naturae, seu actione causarum secundarum diuersa est, & probe distinguenda, ita & decreta quoque diuina & mandata ab eodem diuersa esse, manifestum est. Sane quod Saul, cum patris asinas frustra quaesiuisset, iam domum reuerti vellet, a famulo admonitus Samuelem prophetam adiit, id quidem naturae quodam ordine contigit; nec tamen sine singulari Numinis directione, qui ut reliqua sic disposuit, ut eodem tempore, quo volebat, euenirent, ita mentem famuli Saulis ea ratione direxit, ut ei consilium de adeundo Samuele suppeditaret, & Saulis, ut consilium hoc acceptaret. Qua de re eo minus dubitandum, quia Deus diserte ad Samuelem dixerat, se Saulem ad illum missurum. Haec verba cum aperte actionem quandam Dei significant, de solo ordine, seu eo, quod secundum naturae ordinem fieri poterat, ea capere, absolum prorsus atque ineptum foret. Licet autem Deus naturae

ordine quandoque vtatur, ita quidem, vt liberrime & pro arbitrio cuncta dirigat, non tamen ſemper hoc facit, ſed quandoque ab eo diſcedit, aut illum plane immutat, vt in miraculis contingit; quae omnium euidentiffime hanc impii hominis aſſertionem, *Dei decreta nihil aliud eſſe, quam naturae ordinem*, reſellunt. Alterum vero, quo ſententiam ſuam comprobare annititur, exemplum, hoc eſt: *In pſalm. CV. verſ. 24. dicitur; quod Deus Aegyptiorum animum mutauit, vt odio haberent Israelitas, quae etiam mutatio naturalis plane fuit, vt patet ex cap. I. Exodi, vbi ratio non leuis Aegyptiorum narratur, quae eos mouit, Israelitas ad ſeruitutem redigere.* Plane ac ſi cauſae primae concurſus atque directio, cum cauſis ſecundis conſiſtere nequeat. In eo nimirum modus agendi ordinarius, quo Deus vtitur, ab extraordinario, quorum miracula pertinent, diſfert; quod in illo, cauſarum ſecundarum opera & interuentu, ſecundum ordinem naturae vtatur; in his autem cum ordinem non obſeruet. Eſt enim in miraculis quandoque opera rerum creaturarum vtatur, non tamen hoc facit ſecundum ordinem naturae. Ordinarius vero ille agendi modus ſemper ſupponit concurſum, directionem & gubernationem ſingularem Numinis. Quare & cauſae iſtae odii Aegyptiorum erga Israe-

litas *Exod. I.* commemoratae, locum habere potuerunt; & cum singularis in his omnibus simul intercesserit Numinis directio, etiam *psalm. CV. vers. 24.* dici potuit, Deum Aegyptiorum animos mutasse, hoc est, cuncta ita disposuisse, & causas secundas direxisse, ut ea evenirent, quae evenisse Moses memorat. Atque hinc, quid ad reliqua, ab eodem auctore allata, respondendum sit, patet. Sunt enim cuncta eiusdem generis. Superest, ut, quod alterum est nostrae disceptationis caput, paucis exequamur, & cum haecenus ostensum sit, miracula fieri posse, ea etiam facta esse, demonstremus. Res autem nobis non cum illis nunc erit, qui reiecta scripturae auctoritate, quaecunque narrat, in dubium vocant, quorum impudentiam deinceps castigabimus, sed cum illis, qui scripturam ita interpretantur, ne miracula vlla admittere cogantur. Quod quam infeliciter illis cedat, vel paucis quibusdam exemplis declarabimus, quae ipse iterum SPINOZA nobis suppeditat. Is vero ita hac de re loquitur: *Si igitur quaedam in sacris litteris reperiuntur, quorum causas reddere nescimus, & quae praeter, immo contra ordinem naturae videntur contigisse, ea moram nobis iniicere non debent, sed omnino credendum, id, quod reuera contigit, naturaliter contigisse; quod etiam ex hoc*

hoc confirmatur, quod in miraculis plures circumstantiae reperiebantur, quamvis tamen non semper narrentur, praecipue cum stilo poetico canantur; circumstantiae, inquam, miraculorum clare ostendunt, ipsa causas naturales requirere. Nempe, ut Aegyptii scabie infestarentur, opus fuit, ut Moses fauillam in aërem sursum spargeret, vid. Exod. IX. vers. 10. locustae etiam ex mandato Dei naturali, nempe ex vento orientali integro die & nocte flante, Aegyptiorum regionem petierunt, & vento occidentali fortissimo eandem reliquerunt, vid. Exod. X. 14. 19. eodem etiam Dei iussu mare viam Iudaeis aperuit, vid. Exod. XIV. 21. nempe Euro, qui fortissime integra nocte flauit. Deinde, ut Elisa puerum, qui mortuus credebatur, excitaret, aliquoties puero incumbere debuit, donec prius incaluerit, & tandem oculos aperuerit; vid. reg. libr. II. cap. IV. 34. 35. Sic etiam in euangelio Ioannis cap. IX. quaedam narrantur circumstantiae, quibus Christus usus est, ad sanandum coecum, & sic alia multa in scripturis reperiuntur, quae omnia satis ostendunt, miracula aliud, quam absolutum Dei, ut aiunt, mandatum requirere, &c. tract. theol. polit. cap. VI. pag. 76. Nimirum, ex circumstantiis quibusdam miraculorum, putat, colligi posse, ea ex causis naturalibus contigisse, aut si eiusmodi circumstantiae non adsint, esse eas

subintelligendas; tandem, si haec omnia ad eleuanda miracula non sufficiunt, ad stilum poëticum se recipit. Talia nimirum excogitanda erant, ad manifestissima, quae scriptura sacra suppeditat, documenta eludenda. Sed haec omnia ita comparata sunt, vt sua se futilitate destruant. Ad circumstantias enim, quae aliquando memorantur, quod attinet; ex his intelligitur, Deum subinde mediis quibusdam in edendis miraculis vsu: sed ista media cum per se effectum, qui secutus est, producere non potuerint, sequitur, ea in numerum causarum naturalium non esse referenda; multo minus inde colligi potest, in miraculi istius perpetratio-
ne naturae ordinem non esse mutatum. Idque inde liquet, quod Deus eiusmodi aliquando mediis vsus est, quorum ad effectum istum producendum per se nulla efficacia, nullaque esse potuit proportio. Sic, cum ipse seruator in terram spueret, ex puluere & salina lutum conficeret, & eo oculos coeci hominis collineret, *Ioann. IX. vers. 6.* quis existimaret, luti istius in se spectati vim eam ac efficaciam fuisse, vt visum ei restituere posset? Sane, potuisset Christus idem vel vnico verbo efficere; quia tamen ei ita visum, hocce medio vti, ob causas grauissimas sapientissimasque, licet nobis non satis exploratas, eum hoc fecisse, non est,

est, quod dubitemus. Interim hoc certum, medium hoc ita comparatum fuisse, ut per se hunc effectum nulla ratione producere potuerit, adeoque in numerum causarum naturalium non est referendum. Atque idem de aliis eiusdem generis miraculis censendum. Cum vero etiam quaedam miracula occurrant, in quibus Deus nullo eiusmodi medio usus est, SPINOZAE quidem videtur, tum eiusmodi quid esse subintelligendum. Quae vero nos ad hoc cogit necessitas? Scilicet fingendum aliquid est, ne miracula admittere cogamur. Cum Christus unico verbo daemonia eiecit, aegrotos sanavit, mortuos resuscitavit, nullo sane usus est medio; cuiusmodi nec subintelligi vlla ratione potest, cum scriptura discrete referat, nullum eum adhibuisse, sed mandato & sola voluntate peregisse omnia. Iam ad exempla, a SPINOZA in medium allata, haud difficulter respondere licet. Cum Aegyptii scabie infestandi essent, Moses fauillam in aërem sursum sparsit. Hoc pro causa naturali scabiei SPINOZA habet. Sed rationem primo nullam reddere potest, qui fieri queat, ut fauillae in aërem sparsio scabiem producat. Deinde, nec ipse SPINOZA, nec ullus mortalium alius, id efficere potest, ut fauillae in aërem sparsione scabies in aliis hominibus oriatur. Frustra itaque

Qq 5

ista

ista fauillae in aërem sparsio, pro medio, vel causa naturali scabiei, in Aegyptiis venditur. Locustae per ventum orientalem in Aegyptum aduectae, & per occidentalem inde iterum remotae sunt. Sed, vnde Moses sciuit, quod eo tempore ventus orientalis locustas aduecturus, & occidentalis iterum remoturus esset? Si dicas, ex reuelatione Numinis; parum quidem hoc atheis proderit, cum eodem plane iure dici queat, Deum extraordinaria quadam ratione hunc ventum excitasse, vt locustas & adueheret, & remoueret. Non itaque *mandato Dei naturali*, vt subdole SPINOZA loquitur, sed *arbitrario*, adeoque liberrime factum, vt locustae ea ratione in Aegyptum adueherentur, & inde iterum remouerentur. Non minus vero & illud ineptum est, quod dicit: *eodem etiam Dei iussu* (scilicet naturali) *mare viam Iudaeis aperuit, nempe euro, qui fortissime integra nocte flauit.* Sed hic rursus scire velim, qui factum, vt eo tempore, quo Israelitis, vt Aegyptiorum furorem euitarent, mare transeundum erat, eurus flaret, iisque viam per mare rubrum sterneret. Qui ex causis naturalibus hoc deriuat, ei dicendum, casu fortuito hoc contigisse; quod tamen, qui rei circumstantias considerauerit, plane ineptum esse, statim intelliget. Obstat praeterea, quod

quod Moses diserte dicat: *Et aquae illis instar muri a dextra eorum, Et a sinistra eorum, Exod. XIV. 29.* Hoc enim quo pacto per solum euri flatum contingere potuerit, nemo perfecto dixerit. Sunt equidem, qui cum SPINOZA hocce telum euitaturi dicunt, poëticam hanc esse locutionem, quae proprie intelligi nec possit, nec debeat. Verum, licet haud difficulter concedamus, in cantico *Exod. XV. 8.* poëticam huius rei descriptionem esse, cum dicitur: *vento narium tuarum coaceruatae sunt aquae, steterunt fluentae, quasi granorum aceruus, in medio mari coagulatae sunt abyssi*; non tamen perinde censendum de stilo historico, ubi auctor rem, prout gesta est, velut oculis lectorum subiicere annitur. Similitudinem enim illam, *instar murorum*, cum in finem Moses adhibuit, ut eo clarius rem exprimeret, & condoceret, vtrinque aquas constitisse; qua de re ut eo minus dubitarem, addit: *a dextra eorum Et a sinistra eorum.* Sane, si hoc sibi non voluit, quod verba ista aperte significant, data opera ita locutus videri potest, ut lectores erroneas de transitu isto animo conciperent opiniones, quod tamen vel cogitare nefas esset. Sed ex instituto iam hac de re dictum, in *hisor. ecclesiast. vet. testam. period. II. sect. I. ad §. XV. pag. 581. seqq.* Denique, quod ad Elisae miraculum attinet,

puer,

puer, quem is excitauit, non *mortuus credebatur*, vt iterum subdole SPINOZA loquitur, sed reuera mortuus erat. Ei autem, quod aliquoties propheta incubuerit, vt vitam illi restitueret, non ideo factum; quod hac ratione ceu medijs quodam naturali calorem iterum in eo excitare voluerit, sed quod solenne prophetis virisque sanctis esset, ex instinctu diuini spiritus, in edendis miraculis medijs quibusdam interdum vti, quae tamen per se effectum istum producere non poterant, vt antea iam monuimus. Quod enim aliquis hominem mortuum, si ei aliquoties incumbat, reuocare in vitam nequeat, neminem fugit, meritoque pro infano haberetur, qui id sibi aliisque persuadere vellet. Atque hinc reliqua, quae athei ad eleuanda scripturae miracula in medium adferre solent, facile diiudicari possant.

§. VI.

Religio christiana cum nihil contineat, quod non cum veritate conueniat, nihil etiam, quod non maiestate Numinis dignum sit, cuncta contra, quae homini, vt aeternae salutis compos fiat, necessaria sunt, sufficienter prodat; documentis praeterea & testimoniis certissimis,

simis, omnique exceptione majoribus, nitatur; sola etiam pro vera religione est habenda. Operam itaque oleumque perdunt, qui ad eam aut euertendam, aut labefactandam, omnes animi & diligentiae neruos intendunt.*

* Christiana religio duplici spectari ratione potest. Primo, qua dogmata, non tantum propria, sed & *communia*, hoc est, quae in religione etiam naturali continentur, deinde solum qua dogmata *propria*. Priori modo spectata, a naturalistis quidem, qua dogmata illa communia eius veritas admittitur; non aequè ab atheis. Nec tamen, vt hac de re contra hos ex instituto disputemus, necesse est, quia ex Numinis existentia, quam hactenus abunde demonstrauimus, eiusque prouidentia, itemque iustitia, ceterisque attributis, religio naturalis sua sponte fluit. Ad religionis autem christianae dignitatem & excellentiam omnino pertinet, quod non tantum nihil, quod religioni naturali repugnet, contineat, sed eam etiam purissima quadam ratione exhibeat, atque confirmet, immo perficiat, & quae ei ob naturalis luminis imperfectionem desunt, suppleat. Qua *propria dogmata* spectata religio christiana iterum duplici ratione considerari potest;

potest; primo, prout religionem veteris testamenti, praesertim Israelitarum, per Mo- sen a Deo sancitam simul complectitur; tum, prout ea saltem exhibet, quae ad noui testamenti oeconomiam pertinent. Nobis quidem posteriori praecipue ratione hic in censum venit; nec tamen prior consideratio prorsus praetermittenda, cum haec simul in- signe argumentum pro veritate religionis christiana, qua nouum testamentum specta- ta, subministret. Ad veritatem autem religionis Israeliticae demonstrandam, se- quentia saltem obseruare sufficit. I) Mosen reuera extitisse, eaque aetate vixisse, qua vixisse perhibetur, multisque & magnis in- claruisse miraculis, vt, quae Dei nomine fe- cit, aut locutus est, eum a Deo accepisse, nulla ratione dubitari queat; II) eundem pentateuchi, seu librorum, qui ei tribuuntur, auctorem esse; III) nihil denique in hisce libris occurrere, quod non veritati sit con- sentaneum. Ad primum quod attinet, quotquot in terrarum orbe extiterunt, aut adhuc existunt, Iudaei, tot extant testes, qui nos, diuinum virum Mo- sen extitisse, legesque genti Israeliticae, quibus a reliquis gentibus omnibus distingueretur, dedisse, miraculisque, vt legibus illis diuina con- staret auctoritas, effecisse, nos dubitare non sinunt. Tanta quidem est atheorum im- puden-

pudentia, vt, si hodie nulli amplius Iudaei essent, haud dubio strenue negaturi essent, vllam eiusmodi in terrarum orbe vnquam extitisse gentem. Singulari autem Numinis imputandum est prouidentiae, quod hodiernum gens ista per orbem vniuersum dispersa extet, quae de iis, quae maioribus eius contigerunt, testimonium perhibere possit. Eo minus vero testimonio huic fides denegari potest, quo accuratiori studio leges & ritus, quos a maioribus suis acceperunt, per multa secula ad se propagatos obseruant, cuius profecto rei nulla alia dari ratio potest, quam quod illi eorum maiores, qui a Mose leges istas ritusque acceperant, de diuina eius legatione plenissime fuere conuicti. Ad haec accedunt profanorum scriptorum de Mose, rebusque ab eo gestis, testimonia, diligenter iam a FLAVIO IOSEPHO, *contra Apionem*, CLEMENTE Alexandrino, *strom. libr. I.* CYRILLO, *contra Iulianum lib. I.* EVSEBIO, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XXVII.* aliisque, collecta, quae rem omnem extra dubitationem ponunt. Addenda, quae & ipse hac de re dixit, *hystor. ecclesiast. veter. testam. period. II. sect. I. ad §. XXXVII. pag. 789. seqq.* Immo & miraculorum a Mose editorum tanta olim apud ethnicos fuit celebritas, vt eam ob rem subinde inter magos referretur, tum

a NV.

a NUMENIO Pythagoraeo apud EVSEBIVM *praepar. euang. lib. IX. cap. VIII.* tum a PLINIO, *histor. natural. libr. XXX. cap. I.* Alterum, quod ad veritatem religionis Israeliticae comprobendam facit, caput est, Mosen hunc pentateuchi esse auctorem. Id vero, cum abunde iam ab aliis, & a me ipso quoque, in *histor. eccles. vet. testam. period. II. sect. I. ad §. XI. pag. 541. seqq.* demonstratum sit, nunc merito, ceu euictum satis a me supponitur. Auctoribus, qui idem argumentum tractant, *loc. cit.* a me laudatis, addendus PETRVS ALLIX, in *consideratione rationabili librorum sacrae scripturae, ad veritatem religionis christianae demonstrandam, part. I. cap. V. seqq. pag. 32. seqq.* editionis, quae lingua germanica prodiit. Tertium itaque saltem caput superest; nihil in hisce libris contineri, quod non veritati sit consentaneum. Hoc vero vt demonstraretur, obseruandum, quaecunque in libris Mosaicis occurrunt, aut ad dogmata, aut ad facta posse referri. A dogmatibus vt incipiamus, ea aut ita comparata sunt, vt ipsa ratio eo capere queat, e. g. Deum esse vnum, eum esse summe bonum, iustum, sapientem, &c. aut captum rationis transcendent. De prioribus nullum est dubium. Inter posteriora locum praecipuum tenent dogmata, de creatione mundi & Messia, futuro

futuro humani generis redemptore. Quem-
 admodum vero, quae de mundi rerumque
 omnium origine, Moses litteris consignavit,
 adeo nihil continent, quod rationi rectae
 repugnet ut, potius nullus philosophorum
 veterum aptius systema explicandis rerum
 omnium originibus excogitauerit, aut exco-
 gitare potuerit, ita doctrina de Messia mun-
 di redemptore, cum origine peccati, quod
 homines per primorum parentum lapsum
 inuasit, arctissime cohaeret, simulque iu-
 stitiae & bonitati Numinis tam concinne
 responderet, viamque ad conciliandam pec-
 cati originem cum bonitate diuina pandit,
 ut ratio profecto nihil solidi, quod ei op-
 ponat, inuenire queat. Hinc vero &, quo
 pacto reliquis dogmatibus cum hisce con-
 nexis, sua constet veritas, patet. Ad dog-
 mata etiam leges, Israelitis latae, referri pos-
 sunt, quarum quaedam etsi a nostris mo-
 ribus abhorreant, pro istius tamen temporis
 populique, cuius genio accommodatae
 fuere, ratione, ita comparatae sunt, ut sum-
 mam Numinis sapientiam facile in iis de-
 prehensuri sint, qui non data coecutire ope-
 ra velint. Satis hoc ostenderunt viri docti,
 qui de causis rationibusque legum particu-
 larium populi Israelitici, ex instituto com-
 mentati sunt. Facta, quorum mentionem
 Moses facit, iterum duplicis generis sunt.

Rr

Vel

Vel enim talia sunt, de quibus gentium aliarum scriptoribus etiam aliquid innotescere potuit, vel talia, quorum notitiam solus suppeditare potuit Moses. In illis si consensus scriptorum profanorum adsit, eorum, quae Moses tradidit, veritas mirifice confirmatur. Sin vero dissensus aliquisprehendatur, plurimae grauissimaeque adsunt causae, cur Mosei potius, quam aliis scriptoribus, adhibenda sit fides. Namque, ut alia taceam, cum Moses reliquis scriptoribus omnibus, longe sit antiquior, de rebus etiam antiquissimis longe certiora memoriae prodere potuit, quam scriptores, qui post multo demum eum exceperunt secula. Antiquissima etiam, quae ex profanis scriptoribus constant, historiarum documenta tam incerta sunt, tam obscura & ambigua, tot defectibus laborant, ut ea Mosei, non nisi de rebus certis sibi que exploratis, scribenti, opponere velle, a summa parum abesset stultitia. Legenda, quae hanc in rem erudite differit EDWARDVS STILLINGFLEET, in *originibus sacris, libr. I. cap. I. II. seqq.* Multo magis adhuc stolidum pariter ac ineptum esset, in rebus, quarum notitiam accuratam solus Moses suppeditare potuit, uti sunt, res patriarcharum, origo gentis Israeliticae, & familia, aut STRABONEM, aut alium quendam scriptorem extraneum eidem opponere velle,

velle, quod IOANNEM TOLANDVM, in *originibus Iudaicis* facere, notum est. Nec, quae de miraculis Moses refert, in dubium vocari possunt. Cum enim capite praecedenti demonstratum sit, miracula fieri posse, nec quidquam obstet, quo minus facta sint, nonnullorum etiam tanta fama & celebritas fuerit, vt in profanorum scriptorum monumentis, eorundem fiat mentio, absonum profecto esset, si narrationi de iis Mosaicae fidem denegare velle. His, quae pro veritate religionis Israeliticae in compendio disputauimus, addi adhuc possunt, quae de eodem argumento differit IAC. ABBADIE, de *veritate & certitudine religionis christianae*, *sect. III. cap. XVI. & XVII. pag. 331. seqq. qui & cap. XVIII. & XIX.* ad rationes, quae in contrarium ab atheis adferri solent, respondet. Iam christianae religionis, prout ab Israelitica veteri distinguitur, veritatem demonstrare haud difficile fuerit. Primo namque, cum christiana religio quoad ipsam rei substantiam cum Israelitica veteri vna eademque sit, huius demonstrata veritate, non potest non illius quoque veritas inde sequi. Non aliud enim discrimen intercedit, quam quod christiana religio quaedam paulo plenius & clarius exhibeat, quae in Israelitica obscurius adhuc proponebantur: itemque, quod in illa quaedam vt iam

facta supponantur, quae in hac ceu futura adhuc spectabantur, & per umbras varias atque imagines repraesentabantur. Immo ipsa illa vtriusque religionis harmonia, & concertus cum perennitate, quae inde oritur, & vaticiniorum veteris testamenti euentu, qui in nouo conspicitur, argumentum minime contemnendum pro christiana religionis veritate suppeditat. Vt tamen etiam argumenta, quae ei propria sunt, attingamus, obseruandum, christianam religionem itidem partim factis, partim dogmatibus niti. Quodsi ergo demonstrauerimus, vtraque ita esse comparata, vt veritas illis constet, de ipsius quoque religionis christianae veritate nullus amplius erit dubitandi locus. Ad facta quod attinet, ea iterum duplicis sunt generis: Quaedam tam manifesta sunt, vt dubio careant, & ab ipsis etiam atheis admittantur, e. gr. Iesum Nazarenum vixisse quondam in Iudaea, seruum Romanarum potente Tiberio; plurimos habuisse discipulos, qui eius disciplinam secuti sunt, & doctrinam ab eo haustam propagarunt; cum a gentis suae sacerdotibus accusatum, damnatumque a Pontio Pilato, & cruci adfixum esse. Id enim non tantum christiani per omnes terrarum oras sparsi, constantissime profitentur, sed & Iudaei omnes, qui nunc sunt, & qui vnquam post

post illa tempora scripserunt, immo & pagani scriptores idem testantur; vt SVETONIVS, in *Claudio cap. XXV. C. CORNELIVS TACITVS, annal. libr. XV. cap. XLIV. PLINEVS iunior, lib. X. epist. XCVII.* confer. & HVGGO GROTIUS, de *veritate christian. relig. lib. II. §. II.* Alia contra facta, quibus praecipue christianae religionis veritas innitur, ita comparata sunt, vt non aequae ab omnibus admittantur, immo ab incredulis & atheis negentur strenue, & prorsus reiiciantur; e. g. Iesum Nazarenum sine virili semine natum, ex Maria virgine; cum miracula maxima diuinam in eo arguentia potentiam, perpetrasse; postquam cruci adfixus mortuusque esset, iterum resurrexisse, &c. Horum ergo similiumque factorum, vt ostendatur veritas, obseruandum, apostolos testes horum factorum plane idoneos fuisse, & ita comparatos, vt plenissimam fidem mereantur. Quatuor namque potissimum idonei testis sunt conditiones, quas, etiamsi summo iure experiaris, cum ratione ab eo exigere queas: I) accurata rerum, de quibus testaturus est, scientia, II) probitas, & fides, III) omnis proprii commodi abnegatio, IV) inuicta animi in asserenda testimonii veritate constantia. Haec vero omnia in apostolos & euangelistas prorsus quadrare, nemo, nisi rerum

omnium expertus, negauerit. Iis enim, qui in consortium Christi adsciti, perpetui omnium eius actionum, publicarum pariter ac priuatarum inspectores fuerant, accurata rerum ab eo gestarum scientia deesse non poterat. Homines probos, honestos, inculpatae vitae, & ab omni fraude ac fallacia alienos fuisse, ne ipsi quidem hostes illorum abnuerint, quemadmodum & experientia docuit, eos non lucri aut commodi cuiusdam causa ad propagandam Christi doctrinam inductos fuisse, sed mercedis loco opprobria, ignominiam, plagas, supplicia & varia cruciatuum genera retulisse. Quae omnia cum eos ab instituto illorum dimouere non possent, inuicta animi in asserenda testimonii veritate, constantia, inde satis elucescit. Legenda, quae hanc in rem differit HERMANNVS WITSIUS, in *dissertat. de miraculis Iesu, quaest. II. S. III. & seqq. in meletomatibus eius Leidenfibus pag. 356. seqq.* & IOANNES CLERICVS, in *dissertat. de sinceritate apostolorum*, addita eiusdem tractatui de incredulitate, pag. 325. seq. Nonnulla praeterea ex his ita comparata sunt, vt extraneorum etiam scriptorum testimonio confirmari queant. Plurima namque Christum edidisse miracula, ipsemet auctor est FL. IOSEPHVS, in notissimo illo de seruatore nostro testi-

monio,

monio, *antiquitat. iud. libr. XVIII. cap. IV.* nec diffitentur reliqui Iudaei, etsi, per nomen tetragrammaton, aut alias artes illicitas, eum id fecisse, blasphemae iactitent. Legenda, quae hac de re collegit RAIMUNDVS MARTINI, in *pugione fidei part. II. cap. VIII.* & quae ad *b. l.* obseruauit, IOSEPHVS DE VOISIN. Ad IOSEPHI equidem testimonium quod attinet, non me fugit, a plurimis uiris doctis hoc in dubium vocari, & ceu supposititium reiici. Sed genuinum illud esse, inuictis argumentis demonstrauit CAROLVS DAVBZ, in *libris duobus pro testimonio Flauii Iosephi de Iesu Christo*, Londini, M DCC VI editis. Ex graecis ipse Iulianus apostata, etiam tum, quando ex instituto christianos impugnat, & facta Iesu extenuat, miracula tamen eius negare non sustinuit. Ο δὲ Ἰησοῦς, inquit, ἀναπέισας τὸ χεῖρισον τῶν παρ' ὑμῖν ὀλίγης πρὸς τοῖς τριακοσίοις ἐνιαυτοῖς ὀνομάζεσθαι, ἐργασάμενος παρ' ὃν ἔζη χρόνον ἔργον ἔδεν ἀκοῆς ἄξιον. Εἰ μὴ τις οἶεται τὰς κυλλὰς καὶ τυφλὰς ἰάσασθαι, καὶ δαιμονῶντας ἐφορχίζειν ἐν Βηθσαϊδᾷ καὶ Βηθανίᾳ ταῖς κώμας τῶν μεγίστων ἔργων εἶναι; *Iesus autem paucis uestrorum ac deterrimis quibusque persuasit, trecentos aut circiter annos celebratur. Hic toto uitae tempore nihil admodum memoratu dignum, egit; nisi quis*

claudos ac coecos curare, & daemone correptos adiunare in pagis Betsaida & Bethania, magni alicuius facinoris numero habeat; apud CYRILLVM, libr. VI. aduers. Iulianum, pag. 191. Ita ergo cum facta, quibus veritas christianae religionis innititur, sibi consent, de dogmatibus idem facili negotio demonstrari potest. Ea vel ita comparata sunt, vt a ratione etiam capi queant, vel vt eius circulos transcendant. De priorum veritate, cum ipsa ratio eam perspiciat, atque confirmet, nullum est dubium. Pertinent huc praecepta moralia quaeuis, in quibus recta ratio, quod reprehendi queat, adeo non inueniet, vt nihil praestantius, nihil rectius, nihil Deo & hominibus dignius, dici vel cogitari posse, omnes facile intelligant. Res ipsa quoque docet, eam, quae religioni christianae propria est, doctrinam moralem, multis parasangis praestare doctrina morali gentilium philosophorum; quod cum alibi ex instituto demonstratum sit, hac quidem vice nihil ea de re addemus. Nec cum atheis, aut aliis religionis christianae hostibus super hisce magna nobis lis est, sed super iis praecipue, quae rationis captum superant, atque mysteria continent. Haec vero vt ab eiusmodi hominum insultibus vindicemus, primo quidem supponendum, ea quae sunt supra rationem non statim esse
contra

contra eam ; adeoque , licet christiana religio quaedam contineat , quae rationis captum transcendunt, nihil tamen continet, quod reuera cum ratione pugnet. Demonstratum hoc subinde est a doctissimis viris, praecipue non ita pridem ab illustri viro GEORGIO GVIL. LEIBNTIO, in *discursu de conformitate rationis & fidei, praemisso ipsius tentaminibus Theodiceae super bonitate Dei, libertate hominis &c.* Mysteria itaque sunt eiusmodi dogmata, quae non quidem contra, sed supra rationem sunt, seu quae ratio sibi relicta capere nequit. Eiusmodi vero mysteria cur admitti nequeant, nullam rationem video ; immo admittenda esse, probari euidenter potest. Etenim cum in rebus naturalibus plurima occurrant, quorum nobis rationes plane ignotae sunt, licet res ipsae constent, quis dubitet, multo magis in diuinis talia occurrere? Nec enim omnia intellectus hominis cognoscere potest, quippe qui suis circumscriptus est limitibus. Atque haec sane, quae nostri intellectus viribus assequi non possumus, nobis sunt mysteria. Ita namque intuitu virium naturalium intellectus dicuntur, etsi ex diuina reuelatione in tantum nobis innotescant, in quantum Deo ea nobis patefacere placuit. Cum ergo quaeritur, an religio christiana mysteriorum expers sit? sensus est, an talia Deus

Rr 5

reue-

reuelauerit, quae homo solis intellectus sui
 viribus, ad luminis naturalis ductum, cogno-
 scere non potuit. Hoc vero quemadmo-
 dum res ipsa docet, & exempla eiusmodi
 mysteriorum praesto sunt, ita simul patet,
 nullam adferri posse causam, cur religio
 christiana mysteriorum experta esse debeat,
 aut cur scriptura ita interpretanda sit, ne
 mysteria admittantur. Immo eam myste-
 riorum expertam esse non posse, ex antea
 obseruatis sequitur. Cum enim intellectus
 humanus suis limitibus circumscriptus sit,
 sequitur, multa in rebus diuinis esse, quae
 per se cognoscere nequit, quae adeo ipsius
 intuitu sunt mysteria. Eadem vero cum
 homini ad salutem scitu necessaria essent,
 diuinae bonitatis fuit, haec ei reuelare.
 Scitu necessaria ad salutem mysteria ista esse,
 inde patet, quod totus ordo salutis iis inni-
 tatur, quod alibi copiosius & ex instituto
 demonstratur. Si quaeras, cur Deus am-
 pliorem homini intellectum non concesserit,
 vt sine reuelatione cuncta cognoscere
 potuerit, perinde hoc est, ac si cum crea-
 tore exoptulare velis, legesque ei praescri-
 bere, quas in homine condendo obseruare
 debuisset, vel etiam profundam illam ca-
 liginem, quae hominibus post tristem pri-
 morum parentum lapsum incumbit, diffi-
 mulare velle. Nec quicquam hac in re
 occur-

CVM ATHEISMO CONIUNCTORVM. 615
occurrit, quod aut indignum Deo, aut hominibus noxium sit, cum ipsa illa mysteria, hominem suae imbecillitatis admonent, & ad maiorem rebus diuinis reuerentiam exhibendam excitent. Et haec generatim monuisse sufficiat. Ad specialia descendere, instituti nostri non permittit ratio. Ex dictis autem facile respondere licet ad rationes, quibus athei veritatem christianae religionis impugnant. Ad facta istae partim pertinent, partim ad dogmata. Ad facta, quando e. g. nonnulli resurrectionem Christi impugnaturi, ipsam apostolorum fidem sollicitant, aut, cum BENEDICTO DE SPINOZA, eos decipi potuisse, contendunt, vti supra ad *cap. III. §. IV.* obseruauimus. Quo ipso tamen nihil aliud agunt, quam vt summam impudentiam prodant. Qui enim cogitat, quae antea de sinceritate apostolorum monuimus, & quam alienum ab illorum moribus fuerit, quenquam mortalium decipere; qui porro circumstantias resurrectionis Christi tam solícite commemoratas, & apparitiones non vni aut alteri, sed omnibus factas, & tot vicibus, repetitas, expendit, nihil praeter ineptissimas calumnias homines istos proferre, facile intelliget. Quae SPINOZA ad speciem quandam calumniae suae conciliandam excogitauit, iam in compendio profligauit in prolusione academi-

demica. qua *veritatem resurrectionis Christi contra Benedicti de Spinoza obtreccationes assertam*, exhibui, quae extat, in *meditationibus sacris, syntagmati dissertationum theologicarum* additis pag. 47. seqq. sed idem etiam fecit IOANNES COLERVS, in *veritate resurrectionis Iesu Christi contra Spinozam & eius sectatores defensa*, quae vna cum *vita Spinozae*, gallicana lingua scripta, Hagae-Comitum prodiit, anno M DCC VI. 8. Quae dogmatibus christianae religionis opponunt, eo fere redeunt, nihil admittendum esse, quod ratio capere nequeat. Nec aliam rationem adfert SPINOZA, cur incarnationem Christi admittere nolit, dum dicit, sibi videri eos, qui, Deum naturam humanam assumpsisse, asserunt, *nescire, quid dicant, immo non minus absurde loqui, quam si quis dicat, quod circulus naturam quadrati induerit*, vt supra ad cap. III. §. VI. hanc eius mentem de incarnatione Christi pluribus exposuimus. Sed manifestum est, eiusmodi homines rationis limites ultra, quam par est, extendere; adeoque, dum ratione vel maxime vti videri volunt, se ratione prorsus destitutos, ostendere. Poterant, si vellent, ex quotidiana condiscere experientia, rationem multis labore infirmitatibus; plurima quoque esse, quae nemo mortalium rationis acumine penetrare potest. Quae

Quae ergo temeritas! quae impudentia! nihil, quod ratio capere nequeat, admittere velle! Tandem nec illud praetermittendum, quod athei tum reliquas religiones omnes, tum speciatim christianam pro calidorum hominum commento, ad contemnendum in obsequio populum, habeant. Quemadmodum vero iam vel *cap. V. §. I.* ostendimus, ne vnico quidem exemplo probari posse, religionem a principe quodam, aut legislatore, inuentam primum aut introductam, etsi subinde religione, qua iam antea homines imbuti fuerunt, ceu dominandi instrumento vsi sint: ita multo minus de Mose hoc dici potest, quod aut religionem inuenerit primus, aut eadem ceu dominandi instrumento vsus sit. Israeliticam enim religionem eo minime comparatam esse, ipsa eius consideratio docet, cum omnia eo spectent, vt ipsi Deo ceu regi ac domino suo obsequium, honorem ac venerationem exhibeant. Moses etiam vt ipse dignitatem regiam non usurpauit, ministri saltem fidelis munere functus, *Ebr. III. 2.* ita nec ad posteros eam transmisit, aut transmittere voluit, immo ne sacerdotium quidem sibi aut posteris vindicauit, cum id in Aaronem eiusque filios contulerit. Miracula autem quae edidit, quibus fidem dictis conciliauit, vt inde, a Deo se missum, intel-

intelligent, palam & inspectante populo edidit; & ita se gessit, vt ne minima quidem fraudis aut imposturae subesse suspicio poterit. Sed ab istis impiorum hominum calumniis abunde iam vindicauimus Mo- sen, in *hystor. ecclesiast. vet. testam. ad pe- riod. II. sect. I. §. XI. pag. 533. seqq.* De christiana autem religione, prout ab Israe- litica distinguitur, si quis dicere vellet, eam vt reipublicae rationibus inseruiret, inuen- tam aut excogitatam, nae! is se ipsum tra- duceret turpiter. Doctoris enim saltem munere ipse seruator functus est, cui repu- blicae conseruatio non fuit curae; & apo- stoli piscatores erant, hominesque plebei, quos reipublicae rationibus religionem ac- commodasse, nemo, nisi rerum omnium expers, dixerit. Et quid opus erat, religio- nem christianam hunc in finem excogitare, cum & Israelitica, aut ipsa etiam natura- lis, eundem in finem adhiberi potuisset? Est sane christiana religio hactenus rei- publicae rationibus conueniens, quod eas sectari virtutes homines docet, quibus fir- mitas stabilitasque imperii innitur, in- terim eadem prauis mortalium cupiditatibus prorsus aduersatur, quibus tamen vel maxi- me indulgere solent, qui ciuiliu reru administrationem sibi vindicant. Esto etiam, fuisse nonnullos, qui speciatim chri- stiana

stiana religione, ceu instrumento dominan-
 di, vel potentiam, auctoritatem, imperium
 sibi comparandi, vel haec omnia conseruan-
 di vsi sint, id tamen ipsi religioni tribui ne-
 quit, cuius longe alium scopum esse, dog-
 mata eius satis superque ostendunt, mul-
 to minus eam ideo aut inuentam aut exco-
 gitatam dici potest, cum non rerum domi-
 nis aut principibus, sed ipsi seruatori &
 apostolis, hominibus a rerum ciuiliu ad-
 ministracione longissime remotis, originem
 debeat.

§. VII.

Diuina denique scripturae sacrae
 auctoritas tum ex ipsius doctrinae, quae
 in ea proponitur, origine, veritate, suffi-
 cientia, tum ex aliis argumentis tam eui-
 denter elucescit, vt, qui eam agnoscere
 nolunt, nihil aliud agant, quam vt ari-
 mum ad repudiandam veritatem obfir-
 matum prodant. Nec, quae in contra-
 rium adferri possunt, argumenta tanti
 sunt, vt vim & robur immotum eorum,
 quibus diuina haecce scripturae auctori-
 tas demonstratur, infringere aut labe-
 factare queant.*

* Cum

* Cum de argumentis, quibus diuina scripturae sacrae auctoritas atque Θεοπνευσία probari queat, sumus solliciti, ea intelligimus, quibus fides, quam vocant, humana progignitur. Fides enim diuina ex spiritus sancti testimonio, quod fideles per ipsam scripturae sacrae efficaciam, quando haec in illorum animis, illuminando eos, atque conuertendo, sese exerit, sentiunt, oritur. Hanc vero ab atheis frustra postulaueris, quippe qui verbum diuinum repudiando atque contemnendo, vim eius atque efficaciam sentire nequeunt. Interim ea, quae humanam fidem progignunt, ita comparata sunt, vt recte intellecta & iunctim sumpta, firmissimae dequipollere demonstrationi merito censeantur. Omnia autem edisserere aut copiose explicare, instituti ratio non patitur. Praecipua saltem, eundo per summa rerum capita, indicabimus. Primum ipsa doctrinae, quae in scriptura sacra continetur, origo suppeditat. Eius enim summa cum eo redeat, quod homini per primorum parentum lapsum in summam miseriam detructo, via ad salutem per Messiam iterum pandenda sit, eiusmodi quidem hoc est, vt ratio haec ignoret, nec tamen, haec ita se habere, negare queat. Sunt enim bonitati & iustitiae diuinae plane consentanea. Ab ipso
itaque

itaque Deo cum istud miseris mortalibus reuelatum sit, nullum etiam est dubium; quin scriptura, quae reuelationem hanc proponit, Deum auctorem habeat. Alterum argumentum scripturae sacrae *veritas* praebet. Nec enim vllius erroris aut qua facta, aut qua dogmata, conuinci potest; id quod cum iam ad §. *praecedentem* euidenter demonstratum sit, vt hic id repetamus, necesse non est. Namque, quod de religionis christianae veritate ibi diximus; id descripturae sacrae veritate procedit; quam summam & admirabilem prorsus esse, tamdiu firmiter credimus, donec euidenter probetur contrarium. Cuius argumenti vim & efficaciam vt eo rectius intelligamus, probe obseruandum, nullum vnquam etiam a sapientissimo mortalium elaboratum esse scriptum, quod non (nisi ex ipsa scriptura desumptum sit) errores quosdam, falsasque opiniones, contineat. Vel praestantissimorum philosophorum, Platonis, Aristotelis, & inter latinos Ciceronis, exemplo hoc patet. In humanis itaque viribus cum positum non sit, scriptum aliquod, quod omnis erroris expers sit, praesertim in rebus tam magni momenti, componere, sequitur vtique, pro diuino illud habendum, in quo veritas vbi-que ita sibi constat, vt ne minimus quidem error locum inueniat. Accedit porro, quod

tertium simul argumentum erit, *consensus* mirificus atque *harmonia* tot scriptorum, qui libros biblicos ex instinctu spiritus sancti composuerunt. Cum enim vix vnus homo, quantumuis sapiens sit & eruditus, sibi constet, raro admodum autem duo aut tres de vno eodemque argumento scribentes prorsus inter se consentiant, diuini sane operis certissimum est indicium, si tot homines, temporum, quodammodo etiam locorum, interuallo a se inuicem remoti, in doctrina salutis, quam proponunt, tam mirifice inter se conspirent, consentiantue. Cuiusmodi consensionis exemplum cum inter humanos scriptores non extet, diuina scripturae sacrae auctoritas recte inde euincitur. Sed quarto loco etiam *sufficiencia* scripturae hic est commemoranda. Plenissime enim, quae hominibus ad salutem consequendam necessaria sunt, exhibet. Quae enim de miseria humana, eiusque origine & profunditate, itemque de ratione per fidem in Christum inde eluctandi, ceu vnico salutis obtinendae medio, cognitu sunt necessaria, ratio aut plane ignorat, aut admodum obscure cognoscit. Eadem ipsa vero ratio euidenter cognoscit, bonitati diuinae consentaneum esse, medium aptum & conueniens iustitiae diuinae, hominibus suppeditare, per quod liberari a peccatis ac a calami-

mita-

mitatibus omnibus queant. Cuiusmodi medium cum diuina reuelatio, quam scriptura sacra sistit, nobis exhibeat, & sufficienter, quae de his omnibus scitu sunt necessaria, tradat, eam a Deo ipso profectam esse, sua sponte inde sequitur. Erudite & copiose hoc argumentum tractat VINCENTIVS PLACCIVS, in *fructu pleniori philosophiae moralis*. Quinto nec illud praetermittendum, scriptores sacros earum imbecillitatum, quas in aliis scriptoribus deprehendimus, prorsus immunes esse. Nec enim, quod aliis scriptoribus solenne, eos aut voluptati, aut ambitioni quicquam dedisse, deprehendimus, aut gloriae cupiditate inductos ad scribendum accessisse; sed vnice hoc eos magno studio, omnique conatu egisse, vt ad veri Numinis agnitionem, pietatisque studium, mortales perducerent. Immo, quod sexto notari poterat, scriptorum biblicorum indoles atque adfectus, a genio & adfectibus aliorum scriptorum adeo differunt, vt nulla ratione conueniant, cum illi perpetuum velut bellum ambitioni, voluptatis cupiditati, aliisque vitiis indixerint, nec vllum illicitae cupiditatis vestigium reliquerint, quod profecto de nullo scriptorum gentilium, quantumuis cautus aut sapiens fuerit, dici temere poterit. Praeterea scriptura sacra, quod septimum argumentum erit,

de rebus plurimis nos informat, quas, sine ea si essemus, plane ignoraremus; quo ipso & plurima soluit dubia, & rationem, in rebus maximi momenti, certam animi scientiam tranquillitatemque consequendi, nobis suppeditat. Quod cum nullum scriptum humanum efficiat, aut efficere queat, diuina iterum scripturae sacrae inde elucescit auctoritas. Hoc ut eo rectius capiatur, iuuabit primo phaenomena omnia, de mundi rerumque omnium, speciatim hominum, origine, deque origine mali, de inuentione & propagatione artium & scientiarum, de linguarum diuersitate, & quae reliqua sunt eiusdem generis, proponere; simulque historicorum, & philosophorum veterum, de his omnibus sententiam perquirere. Tum sane deprehendemus, historicos de hisce omnibus nihil certi tradidisse; philosophos autem, dum principium aliquod, quod hisce phaenomenis omnibus soluendis explicandisque sufficeret, excogitare voluerunt, in absonas quasuis atque ridiculas incidisse opiniones, dum aut cum Aristotele mundi, prouti est, aeternitatem defenderunt, aut cum Epicuro homines fungorum instar ex terra erupisse, asseruerunt, aut simile quid, quo ignorantiam suam, mentisque imbecillitatem proderent, commenti sunt. Si contra ea assumas, quae scriptura sacra sup-

pedi-

peditat, de his omnibus principia, cuncta,
 quae se offerunt, phaenomena, tam apte,
 tam concinne solui & explicari possunt, vt
 nullum remaneat dubium, simulque faten-
 dum, nihil conuenientius ab villo philoso-
 phorum dictum, aut dici potuisse. Octa-
 uum argumentum *vaticinia* suppeditant,
 eorumque complementa. Totam scriptu-
 ram vaticiniis velut scatere, nullumque fere
 librum esse, veteris praesertim testamenti,
 qui non vaticinia quaedam contineat, no-
 tum est. Vaticinia etiam, seu rerum futu-
 ratum, & quidem contingentium, prae-
 dictiones, solum Deum auctorem agnoscere,
 luculenter, ni fallor, supra euicimus.
 Nunc id saltem addendum, duplici potis-
 simum ratione ex vaticiniis, eorumque com-
 plemento, diuinam scripturae sacrae aucto-
 ritatem comprobari posse. Primo quidem,
 si ipse scriptor, cuius liber in scriptura
 sacra extat, etiam simul vaticinia de rebus
 futuris ediderit, vt Esaias, Ieremias, alique
 prophetae, & Dauid rex sanctissimus in
 psalmis. Immo & ipse Moses non tantum
 aliorum vaticinia refert, vt Iacobi, *Gen. XLIX.*
 & Bileami, *Num. XXIV.* sed ipse quoque
 nonnulla praedixit, vt vel ex *Deut. XXXIII.*
 liquet. Eos enim, qui hac ratione se veros
 prophetas demonstrant, etiam reliqua,
 quae scripserunt, ex diuina inspiratione

protulisse, non est, quod dubitemus. Quae tamen tum demum rite procedit ratiocinatio, si reliqua diuinae inspirationis *κρησις* conspirent. Ceteroquin enim fieri omnino potest, vt aliquis quaedam ex diuina reuelatione praedicat, nec tamen inde sequatur, omnia, quae idem auctor, etiam ex proprio motu aut instinctu scribit vel loquitur, esse *Ἰσόπνευστα*. Deinde, totus ille contextus & ordo vaticiniorum rite expendendus, simulque considerandum, quo pacto omnia illa, quae ad oeconomiam regni gratiae in nouo testamento instituendam pertinent, qua singulas partes, accurate fuerint praedicta, euentu omnia rite comprobante. Hinc enim euangelii, prout in nouo testamento annuntiatum est, simulque totius doctrinae sacrae origo diuina euidentissime elucescit, simulque scripturae, quae ad eam hominibus manifestandam tota comparata est, auctoritas diuina comprobatur. Hinc vero &, quid de *miraculis* censendum, intelligitur, ex quibus merito nouum argumentum petitur. Per ea enim tum Mosis, tum Christi & apostolorum doctrinam confirmatam, eo minus dubitandum, quo certius est, & edita ab iis miracula, & sola Dei virtute ea edi posse, vti supra euidenter demonstrauius. Ex diuina autem ipsius doctrinae origine recte
aucto-

auctoritatem diuinam scripturae sacrae colligi, antea iam obseruauimus. Certe manifestatio doctrinae coelestis parum hominibus profuisset, nisi ab iis etiam litteris fuisset consignata, & ad posteros propagata, quos diuini spiritus gratia extra erroris constituit periculum. Quod cum diuina bonitas, hominumque salus, requirat, quis dubitet, cum hoc fecisse? Ad haec omnia denique accedit singularis in stilo scripturae maiestas, & in modo proponendi *θεοπέπαια*, adeo, vt nihil, quod Deo indignum sit, si modo cuncta recte intelligantur, & ad scopum specialem cuiusque auctoris accurate attendatur, in scriptura sacra deprehendatur. Quod eo magis iterum mirandum, quo plures fuere scriptores, qui libros scripturae sacrae composuerunt, ingenio quidem & dicendi genere diuersi, sed in eo mirifice inter se conspirantes, quod nihil vnquam scripserint, quod non a scriptore *θεοπνεύτω* scribi aut dici debuerit. Mitto reliqua ab aliis iam allata, qui hocce argumentum ex instituto tractant, quod theologi facere solent, quoties de scriptura sacra agunt, ex quibus speciatim laudandus AEGIDIUS HVNNIUS, in *tractatu, de sacrosancta maiestate, auctoritate, fide ac certitudine sacrae scripturae propheticae & apostolicae veteris ac noui testamenti*; itemque

B. IOANNES MUSAEVS noster, in *introduc.*
in theolog. part. II. cap. VI. pag. 458. seqq.
 quibus ex reformatae ecclesiae doctoribus
 praeter alios addendus ISAACVS IAQUELOT,
 cuius non ita pridem, & quidem post aucto-
 ris mortem, prodiit *Traité de la verité &
 de l' inspiration des livres du vieux & du
 nouveau testament*, Amstelodami anno
 M DCC XV. 8. conf. & IAC. ABBADIE, de
veritate & certitudine religionis christianae
sect. III. cap. II. pag. m. 200. seqq. Iam ad
 argumenta quod attinet, quibus athei diui-
 nam scripturae sacrae auctoritatem impu-
 gnant, cuncta eo redeunt, quod falsa
 quaedam, erronea, contradictoria, similia-
 que in ea sibi observasse videantur, quae
 cum divina eius origine nullatenus con-
 sistere queant. Ad ea vero in specie descen-
 dere, & cuncta, quae hinc inde congerunt,
 diluere ac dissipare, cum integri voluminis
 res sit, adeoque nostri instituti non patiat
 ratio, generatim saltem quaedam nebulis
 eiusmodi dispellendis inferuitura, observa-
 bimus. Primo quidem omnes, qui usum
 rationis non prorsus amiserunt, facile me-
 cum consentient, iniquissimum esse, argu-
 menti certissimis, evidentissimis, praegnan-
 tissimis, ideo denegare fidem, quod dubia
 quaedam ac difficultates, ad caput insuper
 causae minime spectantes, occurrant, ex
 quibus

quibus tam promte nos expedire nequeamus. Res ipsa namque postulat, vt, si eiusmodi quid contingat, nostrae mentis potius accusemus imbecillitatem & agnoscamus ignorantiam, quam reiicere aut negare ea, quae sua luce radiant, & a sanae mentis homine reiici aut negari nequeant. Eo magis vero, quod alterum est nostrae observationis caput, hoc aequitati est consentaneum, quod plerique scripturae sacrae libri temporibus antiquissimis, in locis etiam a nostris remotissimis, & quae varias deinde mutationes subierunt, fuere compositi; hinc & subinde ad eiusmodi circumstantias historicas aut geographicas respiciunt, quae nobis non possint non esse ignotae. In eiusmodi vero libris quid mirum, si quaedam occurrant, quae difficultate quadam laborant, minusque sunt expeditae (quam verò ineptum & prorsus absonum est) in eiusmodi dubiis auctoris, potius insipientiam aut negligentiam accusare, aut pugnas & contradictiones fingere malle, quam suam agnoscere ignorantiam? Accedit porro, quod veteris testamenti libri eiusmodi lingua scripti sunt, qua iam pridem loqui homines desierant, & in qua non alia monumenta, quam quae scriptura sacra continet, ad nos peruenerunt. Eius itaque linguae indolem genuinam, iatunosque recessus, perspicere,

ut longe est difficillimum, ita certissimum,
 plurimas difficultates ex istius ignorantia
 oriri; quae statim cessaturae essent; si
 indolem geniumque eius accuratius per-
 spectum haberemus. Haec similiaue qui
 rite & accurate secum expenderit, difficul-
 tates omnes, quae hac in re oriri possunt,
 promte superabit. SPINOZAE autem, quas
 supra ad *cap. III. §. VII.* commemorauimus,
 rationes vix dignae sunt, quae in cen-
 sum veniant. Prophetiam, futurorumque
 praedictionem, pro mera imaginatione ha-
 beri non posse, sed vim diuinam arguere,
 abunde liquet ex iis, quae in praecedenti-
 bus hac de re disputauimus. Vnde &, quae
 de prophetis ipsis, stolide non minus, quam
 blaspheme, pronuntiauit; sua sponte cor-
 ruunt. Ineptum etiam prorsus est, quod
 in *tractat. theologic. polit. pag. 29.* dicit,
*Christum suas rationes opinionibus & princi-
 piis vniuscuiusque accommodasse.* Nimirum,
 cum ad Pharisaeos verba faciens, dixit: *Si
 Satanas Satbanam eiicit, aduersus se ipsum
 diuisus est, quomodo ergo stare potest regnum
 eius? nihil, nisi, si SPINOZAE credimus,
 Phariseos ex suis principiis conuincere voluit,
 non autem docere, dari daemones, aut ali-
 quod daemonum regnum, &c.* Sed fallitur
 homo impius, aliosque fallit. Sane, si vel
 maxime seruator ex hypothesi concessa ali-
 quando

CVM ATHEISMO CONIVNCTORVM. 651
quando contra aduersarios suos disputasset, inde tamen nondum sequeretur, cum *rationes suas opinionibus & principiis uniuscuiusque accommodasse.* Falsissimum autem est, seruatorem hic ex mente saltem ac hypothese Phariseorum locutum, cum ex aliis scripturae locis quam plurimis constet, & dari daemones, & eorum aliquod regnum esse. Quod porro de apostolis dicit, eos in circumstantiis de resurrectione Christi fuisse deceptos, id itidem antea iam profli-gauimus. Friuolum etiam prorsus est, quod *loc. cit. pag. 339.* scribit: *Longas Pauli deductiones & argumentationes, quales in epistola ad Romanos reperiuntur, nullo modo ex reuelatione supernaturali scriptas fuisse, concedo.* Discrimen enim facere debuisset, inter reuelationem stricte sic dictam, qua Deus alicui ea reuelat, quae prorsus ei ignota erant, & inter inspirationem, qua Deus ea, quae antea equidem nota erant, per inspirationem tamen, qua verba, qua rem ipsam suggerit, vt omne erroris periculum adimatur, taliaque scriptores sacri proferant, quae pro verbis vere diuinis haberi queant. Negari enim equidem nequit, scriptores sacros talia quandoque protulisse, quae aliunde eis etiam nota erant, quaeue reuelationem stricte sic dictam non requirebant; vtpote quae ipsi viderant, audiuerant, ab aliis accepe-

ceperant, aut iusta ratioeinatione & discursu quodam, ex veris principiis deducebant, colligebantque. Quae enim Moses, quae Iosua, de rebus sui temporis litteris consignarunt, maximam partem non modo viderant, sed ipsimet etiam gesserant. Matthaeus atque Ioannes testes *αὐτόπται* illorum fuerunt, quae de Christo litteris consignarunt. Vnde & Ioannes dicit: *Quod fuit a principio, quod audiimus, quod vidimus oculis nostris, quod & spectauimus, & nostris ipsis manibus tetigimus (de sermone vitae loquor, qui vita patefacta est) id, inquam, & vidimus & testamur, &c. I. Ioan. I. vers. 1. 2.* Pari ratione & Lucas, de rebus Christi seruatoris ea scripta esse, litterisque consignata testatur, *quae tradiderunt, qui ab initio & spectatores & administratores rei fuerunt, cap. I. vers. 2.* Nihilofecius, etsi haec, quae viderant, audiuerant, aut alia ratione sciebant scriptores sacri, illis nota erant, spiritus tamen sanctus ea omnia, qua verba, qua rem ipsam, illis suggerebat, ne vlla in re fallerentur, & vt ita scriptores vere *θεόπνευστοι* dici possent. Et hac etiam ratione intelligendum, (vt hoc *ὡς ἐν παρόδῳ* moneam) quod alicubi scripsi, scriptores noui testamenti nonnulla ex cabbala pura, seu doctrina catechetica Iudaeorum veterum accepisse; seu quasdam oraculo-

rum

CVM ATHEISMO CONIUNCTORVM. 653
rum veteris testamenti interpretationes al-
legoricas, apud Iudaeos iam ceteroquin re-
ceptas adhibuisse, & *more in gente ebraea*
recepto excogitasse, tom. I. *obseruat. Hallensf.*
obseruat. I. §. VIII. pag. 10. Intelligendum
namque hoc est, vt res ipsa docet, salua
θεοπνευσία. Etsi enim de rebus quibus-
dam aut ex theologia iudaica, aut experi-
entia, vel sensuum testimonio notis, scribe-
bant, haec omnia tamen aequae ac discursus,
quos ipsi formabant, & ratiocinationes,
spiritus sanctus, qua verba, qua res ipsa,
illis suggererat. Interim ipsis scriptoribus,
ceu causis secundariis, hic actus *cogitandi* vel
excogitandi, *ratiocinandi*, *differendi* tribui
potest, & subinde etiam solet, vt tamen
causa primaria, seu spiritus sancti inspiratio,
non excludatur, sed supponatur. Reliqua,
quae SPINOZA, & cum eo THOM. HOBBSIVS,
& ISAAC. PEYRERIVS contra scripturae sa-
crae auctoritatem adferunt, eo redeunt, quod
multa falsa, erronea, contradictoria, conti-
neat, quodue Moses ipse non sit auctor
pentateuchi, & quae reliqua sunt eiusdem
generis; ad quae quid generatim responden-
dum sit, iam antea indicatum; speciatim
vero istorum hominum sophismata profli-
gavit PETRVS DANIEL HVETIVS, in *demon-*
stratione euangelica, & qui nuper diligenter
hac in re versari coepit, vir clarissimus,
IOAN.

IOAN. GOTTLOB CARPZOVIVS, in *introductione ad libros historicos bib.iorum veteris testamenti, &c.* In contradictionibus apparentibus soluendis iam pridem operam studiumque collocarunt scriptores harmonici, vt MICHAEL WALTHERVS, in *harmonia biblica*, qui tamen aliis multa adhuc rectius monendi reliquerunt occasionem, nonnulla etiam AVGVSTVS PFEIFFERVS, in *dubiiis vexatis*, & alii eiusdem generis scriptores, attingunt.

CAP. VIII
 SUPERSTITIO QUID ET
 QVOTVPLEX?

SPECIATIM

DE IIS SUPERSTITIONVM GENERIBVS, QVAE DIRECTE CIRCA
 NVMINIS CVLTVM VERSANTVR.

Σύνοψις.

A*Theismum euitaturi, haud raro in superstitionem, cum alterum extremum*

*mum prolabuntur;
superstitio quid?*

§. I.

*Discrimen inter super-
stitionem, & veram
religionem, §. II.*

*Prima superstitionis
species est, quae cir-
ca obiectum cultus
diuini aberrat, unde
idololatria, crassior
& subtilior, §. III.*

*Pertinet huc illorum
quoque error, qui
Deo ea tribuunt,
quae ei non conue-
niunt, item, qui mo-
tus & instinctus na-
turales pro diuinis
habent, unde enthu-
siasmus, §. IV.*

*Altera superstitionis
species circa modum*

*cultus diuini versa-
tur, idque ea pri-
mum ratione, vt,
nonnulli mandatum
diuinum se sequi
existiment, sed non
recte illud intelli-
gant, §. V.*

*Huc & illi pertinent,
qui in solo Numinis,
cultu externo, spem
omnem salutis col-
locant, unde religio
superficiaria, §. VI.
Vltterius progrediun-
tur, qui ipsimet co-
lendi Deum quan-
dam rationem sibi
sunt fingunt, unde ἐθε-
λοσπρονεία, §. VII.
quae circa ritus prae-
cipue & ceremonias,
occupatur, §. VIII.*

§. I.

VT raro admodum homines in regia
veritatis via, quae inter duo extre-
ma media est, consistunt, ita in Numinis
prac-

praecipue cultu hoc contingit, dum plurimi atheismum euitaturi in contrarium currunt, * Deumque equidem & credunt & colunt, sed peruerse admodum, nec ea, qua hoc fieri debebat, ratione. Hinc *superstitio*; quo nomine nihil aliud, quam praepostera atque peruersa colendi Deum ratio, intelligitur. **

* Atheismus & superstitio duo scopuli sunt sibi inuicem e diametro oppositi, ad quorum alterutrum facile naufragium faciunt, qui non satis caute ac circumspecte incedunt. Non male IOANNES TOLANDVS: *Atheismus ergo & superstitio sunt veluti animorum scylla & charybdis. Sed extrema haec tam sunt euitanda, quam sequenda religio est, in medio sita; adeisidæmon. §. XXIV. pag. 79.* Satis quidem egregie, modo sermo, & ex animi sententia, & non saltem ad fucum incautis faciendum ista dixisset. Eum enim reuera superstitionem a religione non distinguere, sed vtramque vno eodemque loco habere, ex dicendis patebit.

** THEOPHRASTVS superstitionem ita describit: *Ἀμέλει ἢ δεισιδαιμονία δόξεν εἶναι δειλαία πρὸς τὸ δαιμόνιον.* *Superstitionem sane definire possumus, meticulousum erga Numen*

Numen adfectum; in characterib. motum, pag. 47. ISAACVS CASAVBONVS, ad b. l. obseruat, alios superstitionem ita definire: δεισιδαιμονία ἐστὶ φόβος θεῶν καὶ δαιμόνων. Sed Theophrastus, inquit, voce δαιμόνων, & deos, & daemones complexus est, & quicquid diuinitatis esse particeps male sana putauit antiquitas. Addit porro: Δειλίαν accipe metum alium ab eo, qui pios decet. Scite enim Varro apud Augustinum dicebat, Deum a religioso vereri, a superstizioso timeri, Recte quidem, cum reuerentia Numinis seu timor cum amore coniunctus, & recta ratione innixus, pars praecipua sit verae religionis; vti contra ex metu seruili vel puerili, ac irrationabili, superstitione, seu peruersa Deum colendi ratio proficiscitur. Luculentius hoc ex infra dicendis patebit, cum de causis superstitionis verba faciemus. Ne autem causam superstitionis cum re ipsa confunderemus, eam per praeposterum ac peruersum Numinis cultum definire maluimus, voce insuper nec stricte nimis, nec nimis late, sed in ea amplitudine accepta, vt omnes superstitionis species, deinceps enumerandas, complecteretur. Coniuncta etiam cum superstitione est credulitas, nisi & hanc inter causas eius referre velis, quae & latius patet, cum & credu-

Tt

litas

litas sine superstitione esse queat, ad varia quippe obiecta sese extendens.

§. II.

Atque hinc quantopere *vera religio* & *superstitio* a se inuicem differant, patet. Illa non alium, quam verum Deum, & ea quidem ratione, qua colit ac debet, colit; haec aut aliud quid, quam verum Deum, aut alio saltem modo, aliaque ratione, colit. Illa immotis certisque nititur veritatibus, quas sanae mentis homo repudiare nequit; haec adfectibus pravis, figmentis, commentisque subinde ludicris, quae sanae mentis homo nunquam admiserit. Vnde ratione omni se destitutos demonstrant, qui religionem cum superstitione confundunt, nec hanc ab illa differre, sibi aliisque persuadere annituntur. *

- * Eo diligentius hoc, quod, ni fallor, luculenter exposui, obseruandum est, religionis & superstitionis discrimen, quo solennius est atheis, haec inter se commiscere, & sub superstitionis nomine etiam religionem refutare atque traducere. Sane quidem non
nega-

negauerim, veteres quandoque religionis voce pro superstitione vti, vt cum T. LVCRETIVS CARVS, de *natura rerum lib. I.* dicit:

Tantum religio potuit suadere malorum.

Quae verba cum IOANNES TOLANDVS adduxisset, subiicit: *Vbi notandum est, religionis voce in plerisque auctoribus classicis non genuinam denotari pietatem, aut internum Numinis cultum; sed pro quavis absurdissima superstitione vsurpari, (quod mille possemus demonstrare exemplis) ac maxime pro externis ritibus & ceremoniis; quo sensu idem Lucretius notari debet, quando dicit:*

religio peperit scelerosa atque impia facta,

ad cisdaem. pag. 70. Verum & illud certum est, minus accurate loqui, qui hac voce ita vtuntur, quemadmodum alii caute & circumspecte religionem a superstitione distinguunt. LVCRETIVM autem hoc non facere, mirum non est, cum Epicuracis, vt pote atheis, omnis religio non nisi mera videri potuerit superstitio. Ceterum cum TOLANDVS haec velut improbando referat, & subinde testetur, se religionis ac superstitionis discrimen agnoscere, reuera tamen omnia saltem ad caliginem imperitorum animis offundendam pertinent. Cum enim non aliam, vt supra iam demonstratum,

Tt 2

quam

quam ipsam naturam admittat Deum, quae-
nam quaeso eius potest esse religio? aut
nonne omnis religio reuera vana & inepta,
hoc est, mera superstitio ei videri potest?
Sed, vt reliquis atheis, ita & TOLANDO so-
lenne est, vöcibus ludere, simulque illudere
lectoribus. Sapientiam namque, religio-
nem, pietatem, dum in ore habent, nihil
aliud intelligunt, quam cognitionem rerum
causarumque naturalium, qua induratus
animus omni metu, tum praesentium, tum
futurorum, exolutus, & ad omnes casus
paratus sit, nec vacillet vnquam, aut turbe-
tur, eo, quod probe sciat, nihil esse, nisi
naturale, nec contingere quicquam, nisi
quod secundum ordinem naturae necessario
contingere debebat. Paucis: talis iuxta
atheos est vir pius & religiosus, in quem
illud VIRGILII quadret:

*Felix ! qui potuit rerum cognoscere
causas,*

Atque metus omnes & inexorabile fatum

*Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis
anari,*

georgicor. libr. II. vers. 415. Atque hinc,
qualis & TOLANDI, quam prae se fert, re-
ligio sit, intelligere licet, quam & ex cal-
idae dissimulationis tenebris euolutam ex-
hibet

exhibet IAC. FAYVS, in *defensione religionis &c. part. I. cap. IV. pag. 25. seqq.* Ceterum, quod diximus, nonnullos gentilium, ex ipsis etiam philosophis, religionem a superstitione rite discreuisse, id vel CICERONIS testimonio constat, qui & utriusque vocis veram originem simul nos conducet: *Cultus autem deorum est optimus, idemque castissimus, atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur; non enim philosophi solum, verum etiam maiores nostri superstitionem a religione separauerunt. Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, ut sui sibi liberi superstitibus essent, superstitiosi sunt adpellati, quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, sunt dicti religiosi, ex relegendo, ut elegantes ex eligendo, tanquam a diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. His enim in verbis omnibus inest vis legendi eadem, quae in religioso. Ita factum est in superstitioso & religioso, alterum vitii nomen, alterum laudis; de natur. deor. libr. II. cap. XXVIII. pag. m. 1224.*

§. III.

Cum vero non vna ratione a recto Numinis cultu homines aberrare queant, non vnum quoque datur superstitionis genus.* Primo autem loco merito illi commemorandi sunt, qui non verum Deum, sed eius loco aliud quid, vt solem, lunam, ceteraque coeli sidera, aut reliquas res creatas, vel ipsos etiam homines colunt. Quae superstitionis species *idololatriae* nomine venit, estque vel *crassior*, cum quis directe & ipsa animi sententia rebus creatis diuinitatem tribuit, vel *subtilior*, cum quis indirecte & animi adfectu idem facit, amore, qui soli Deo debetur, se ipsum, vel alios homines, aut res creatas prosequendo, vel alia ratione.**.

- Duplici potissimum ratione contingere potest, vt in Numinis cultu se peruerse gerant homines; primo, si circa *obiectum* cultus religiosi; deinde, si circa *modum*, a recto tramite aberrant. Hinc omnia superstitionum genera ad duas velut classes reuocari possunt. Si circa obiectum aberreretur, *idololatria* inde oritur, quam nonnulli a superstitione

stitutione distinguunt, hac voce illud vitium designantes, quo circa modum aberratur, quos etiam secutus sum in *institutionib. theolog. moral. part. II. cap. III. sect. I. ad §. LXXIX.* Hic vero vocem superstitionis in latiori, ut antea iam monuimus, ambitu sumimus, prout omnem, quae in cultu Numinis conspicitur, peruersitatem denotat, siue ex obiecto, siue ex modo oriatur.

** De origine, progressu, & praecipuis generibus crassioris idololatriae, dictum a me in *histor. ecclesiast. vet. testam. ad per. I. sect. II. §. XII. pag. 241. seqq.* ubi & auctores, qui hac de re ex instituto egerunt, laudavi. Nec perfunctorie observandum puto, quod ibidem luculenter, ni fallor, ostendi, crassiorem idololatriam a subtiliori originem trahere. Paucis autem, sed ἐμφατικῶς, crassiorem illam idololatriam describit gentium doctor optimus Paulus, de gentilibus asserens, eos *gloriam immortalis Dei ad imagines similes hominis mortalis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium transtulisse, Rom. I. vers. 23.* Sed ab ista idololatria, cuius foeditatem & absurditatem ipsa ratio facile intelligit, (quemadmodum & philosophi, ac qui sapientiores fuerunt inter gentiles, intellexerunt) liberata hodie per Dei gratiam magna orbis pars est, postquam religio

christiana a plerisque gentibus est recepta, etsi adhuc quaedam eiusmodi tenebris immerfae hinc inde reperiantur. Inter ipsos vero christianos, praesertim in ecclesia Romana, non deesse, qui non procul ab ista idololatria absint, constat, & alibi ex instituto docetur. De subtiliori idololatria idem gentium doctor *Rom. II. 12.* eleganter loquitur: ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἰδωλα, ἱεροσυλεῖς. Nimirum, qui sibi ipsis, aut sui causa, rebus creatis, ut avaritiam, ambitionem, voluptatisque cupiditatem expleant, plus, quam decebat, tribuunt, quantumvis externam idololatriam detestentur, reuera tamen nihil aliud agunt, quam ut, quae Deo debentur, ei eripiant, omnique eum spolient honore ac veneratione. Iungenda, quae hac de re dixi, *institution. theolog. moral. part. II. cap. III. sect. I. ad §. LXXIX.*

§. IV.

Referre ad hancce classem quodammodo & illos licet, qui per errorem, nimiamque credulitatem, Deo ea tribuunt, quae ei minime tribuenda erant. Nec illi tantum hic peccant, qui nonnulla de Deo sibi credenda putant, quae
neuti-

neutiquam a Deo, vi crederentur; sunt reuelata,* sed & qui instinctus motusque mere naturales, pro diuinis habent; eo difficilius ab errore liberandi, quo grauius se admissuros crimen metuunt, si quae diuina esse putant, ceu humana aut naturalia, reiicerent atque repudiarent. Vnde &, quousque *enthusiasmus* hic locum sibi vindicet, patet.**

* Vt vera religio sibi constet, non tantum circa obiectum verum, cultus religiosi versari debet, sed idem etiam obiectum rite cognoscendum est. Nec enim verum Deum recte colere potest, qui eum non recte cognoscit. Deum autem non recte cognitum qui colit, eum peruerse colit, adeoque & superstitionis reus est. Tam late autem haec superstitionis species patet, quam ipsa Dei cognitio vera extenditur. Plurima autem esse, quae homines a Deo sibi reuelata esse, imaginantur, cum reuelata non sint, exempla quotidiana, ut dogma de *transsubstantiatione*, de *purgatorio*, similiaque, in ecclesia Romana, sed alibi quoque, obuia, docent.

** De enthusiasmo, variisque eius generibus, causis item & reliquis eo spectantibus, ex instituto dictum *institution. theolog. moral.*

part. I. sect. V. §. XVIII. seqq. quae ut hic repetamus necesse non est. Eo minus autem ad superstitionem eum referre dubitavi, quod non tantum Deum puerse colant, qui hocce morbo laborant, sed quod plerumque fors & scaturigo multorum aliorum actuum sit, quibus Deus puerse colitur, & superstitio sese exerit. Intelligimus autem hoc de entusiasmo vere tali, sumata voce in partem deteriorem. Motus enim credentium vere diuinos, aut entusiasmi aut superstitionis nomine insignire velle, summum foret piaculum. Obseruandum hoc contra atheos, similesque homines profanos, quibus vera & falsa, bona & mala, diuina & naturalia, inter se confunderé volupe est.

§. V.

In modo etiam verum Numen colendi, vel maxime superstitio sese exerit; idque iterum non vna ratione. Interdum enim ipsum Numinis mandatum in eius cultu se sequi homines existimant, per errorem tamen, falsamque imaginationem, non recte illud intelligentes, aut ultra, quam par erat, extendentes. Cumque leges diuinae vel negatiuae sint,
vel

vel affirmatiuae, in vtrisque quandoque
superstitio campum amplissimum, in quo
vim suam exerat, inuenit.*

* Omnis equidem superstitio non Dei man-
dato, sed figmentis, vanisque ingenii hu-
mani commentis, nititur. Interdum tamen
contingit, vt species quaedam iuris ac man-
dati diuini adsit, quae in aliis generibus su-
perstitutionis deest, de quibus deinceps dice-
mus. Nunc ergo de ea superstitione loqui-
mur, quae speciem quandam mandati diui-
ni habet, per erroneam legis interpretatio-
nem, aut indebitam ad ea, quae nec prae-
cepta nec prohibita sunt, extensionem, id-
que tum qua omissionem, tum qua com-
missionem. Vtriusque exempla passim
prostant. Ad omissionem superstitiosam
referre licet illa apostoli: *μὴδὲ ἀψῆ, μὴδὲ
γέουση, μὴδὲ δίψης, Coloss. II. 21.* Erant
nimirum in primitiua ecclesia, qui haud
dubio ex superstitiosa Pharisaeorum schola
prodierant, qui sibi aliisque persuadebant,
nefas esse, hoc aut illo ciborum genere
vesci, quia a Deo prohibita essent; immo
nefas esse, hoc aut illud attingere, ne quis
pollueretur; sed legitimas quoque nuptias
damnabant, & inter vetita referebant.
Nimirum Deus equidem in veteri testa-
mento

mento certas de animalibus puris & impuris leges fanciuerat, itemque de impuritate, quam quis ex cadaueris, aut alterius rei impurae, contrectatione contrahere poterat. Hasce leges recte obseruabant ii, quibus datae erant, & quamdiu vim habebant obligandi. Sed, qui illas aliis etiam obtrudebant, easque obseruandas contendebant, cum earum obligatio iam cessaret, superstitionis rei erant. Multo magis eodem crimine se obstringebant, dum nuptias a Deo prohibitas fingebant, quae tamen licitae erant; cuiusmodi homines in veteri ecclesia extitisse, ex *constitutionibus*, quas vocant, *apostolicis* discimus: *τοιᾶυτα καὶ νῦν ἐποίησαν οἱ δυσώνυμοι, διαβάλλοντες, τὴν ἀμιξεργίαν, γάμον, πρόνοιαν, τεκνογονίαν, κ. τ. λ. consimiles libros nunc quoque ediderunt inauspicati homines, calumniantes creationem, nuptias, prouidentiam, procreationem liberorum &c. lib. VI. cap. XVI.* Sunt, qui putant, apostolum, *loc. cit.* ad Pythagoraeos, vel Gnosticos potius, qui ex Pythagorae schola quaedam acceperant, respicere, eo quod abstinentia ab esu animalium haud vltima pars disciplinae Pythagoraeae esset; vid. HVGŌ GRŌTIVS, atque HENRICVS HAMMONDVꝰ, ad *b. l.* Quod minus equidem verosimile mihi videtur, cum, quae apostolus adfert, pharisaicam superstitionem satis aperte

aperte

aperte redoleant. Interim ipsa illa Pythagoraea ab esu animalium abstinencia, superstitionis eiusmodi, de qua hic verba facimus, exemplum praebet; ex hac quippe opinione orta, quod omnium inter se esset cognatio quaedam, & anima ex vno corpore, in aliud transiret. Hanc enim istius rei causam, de abstinencia illa differens, adfert **SENECA**: *At Pythagoras, omnium inter omnia cognationem esse, dicebat, & aliorum commercium in alias atque alias formas trans-euntium; epist. CVIII. pag. m. 534.* Etenim, si temperantiae causae saltem ab esu animalium abstinuissent, si non laudem, certe excusationem promeruissent. Sed, cum errore vano ducti, ob rationem allatam, cum iure naturae illicitum putarent, si, quae a **SENECA** dicta, admittamus, a superstitione quadam absolui non poterant. Et ea quidem ratione saepissime homines vetitum aliquid esse, sibi imaginantur, quod vetitum non est. Rursus vero & praeceptum aliquid esse putant, quod tamen praeceptum non est. Exemplum rursus Pharisei praebent, praeter alia in phylacteriis haud exiguam religionis partem constituentes, inque iis ad ineptias vsque superstitiosi, uti ex iis, quae ipse **R. MOSES MAIMONIDES, tractat. de Thephillin**, aliique eiusdem gentis magistri de iis disputant, patet. Errore namque ducti

ducti ab ipso Mose eiusmodi quid sibi praeceptum esse, existimabant, *Exod. XIII. 16. & Deut. VI. 8.* cum tamen istorum locorum is minime sensus sit, ut alibi ostensum. Legenda, quae in compendio hac de re differit AUGUSTVS PFEIFFERVS, in *antiquitatib. ebraic. selectis cap. XI.* cum primis §. IV. In hisce tamen omnibus rite diiudicandis cautio adhibenda; primo quidem, ne in alterum curramus extremum, & ea aut prohibita aut praecepta negemus, quae reuera prohibita aut praecepta sunt; multo minus eos, qui euitant, quae reuera prohibita sunt, aut faciunt, quae sunt praecepta, statim superstitionis arguamus. Si quis enim, e.g. ad monitum apostoli *Rom. XII. vers. 2.* τὸ σκῆμα huius mundi in sermone, gestu, aliisque rebus, quae vulgo pro indifferentibus habentur, sed reuera illicitae sunt, assumere nolit, tantum abest, ut iure superstitionis argui queat, ut suis potius quam rectissime rebus consulat. Deinde, si quis forte per imbecillitatem ductus in errore quodam versetur, non statim ceu homo superstitiosus traducendus aut reiciendus est. Tales enim tolerandos, & aequo ferendos animo, immo cauendum, ne temere eos offendamus, Paulus apostolus nos condocet, *Rom. XIV. 15. seqq.* it. *I. Corinth. VIII. 11. 12:13.*

§. VI.

§. VI.

In eundem hic censum merito & illi veniunt, qui in solo cultu Dei externo spem omnem salutis collocant, de interno, seu animo a vitiorum sordibus per veram poenitentiam purgando, parum solliciti. Placet namque plerisque mortalium ista colendi Deum ratio, eo quod cum pravis, quibus indulgent, cupiditatibus, eam consistere posse, sibi persuadent. Quia tamen reuera & hic peruersus praeposterusque Numinis cultus est, non alio, quam superstitionis nomine est insigniendus, quamuis aliis *religio superficialia*, eodem tamen sensu, dicatur.*

- * Loquimur de eo cultu Numinis externo, qui ab eo praeceptus est, aut saltem a Deo praecepto non aduersatur. Hic enim etsi in se spectatus recte se habeat, & non modo licitus, sed quandoque prorsus necessarius sit, in meram tamen superstitionem degenerat, quando homines eo solo, misso cultu interno, se Deo placere posse, existimant. Quid enim aliud peruersa ratio Numen colendi est, si hoc non est? Mirifice mihi
semper

semper placuerunt, quae hac de re scripsit SAMVEL PVFENDORFVS: *Est praeterea & illud circa diuersitatem religionum in vniuersum obseruandum, complures earum satis habere, actibus ac ritibus quibusdam exterioribus defungi, qui etiam absque interiore emendatione & sanctimonia animae peragi possunt; quam tamen Deus praecipue in genuino sui cultu requirit. Idque inde prouenit, quod ii, quos Deus veram religionem reuelauit, irrepente paulatim tepore ac segnitie libidinibus frenum iniicere, animumque iisdem expurgare, durum nimis iudicarunt; eoque demum deuoluti sunt, ut exterioribus ritibus acquiescerent, ac eiusmodi religionem comminiscerentur, per quam cupidinibus suis indulgere possent, ac simul tamen de pace Numinis opinionem conciperent. Illi autem, qui sibi met ipsis religionem inuenerunt, omnes in eo consenserunt, ut eandem fere ad exteriores quosdam actus redigerent, qui etiam ab impurissimis hominibus exacte obseruari possent. Sicuti & fieri non potest, ut citra diuinam reuelationem humanum ingenium religionem possit excogitare, quae ad purificandum animum pertingat. Vnde in vniuersum religionem possis diuidere in solidam, & superficialiam, seu histrionicam. Sane, si omnes commentitias religiones, veteres iuxta ac recentes excutias, omnes ad superficialiarum*

riarum classem referendas agnoscas, quae fere certis ritibus absoluuntur; ac si maxime quid de moribus adspargant, id tamen expurgandis humani pectoris sordibus haud quidquam sufficit. Sacrum autem codicem evoluenti perpetuus labor diuini spiritus adparebit circa eam opinionem animis hominum eradican-
dam, quasi ad cultum diuinum qualescunque actus externi sufficiant, nisi interna animi purificatio adfuerit. Et quanquam sapientiae diuinae placuerat, populum Israeliticum operosarum iugo ceremoniarum adstringere, ac praecipue per sacrificia futuram mundi expiationem a Messia praestandam ipsorum animis subinde ingorere: tamen cum isti in solis istis ritibus defixi haerent, ac demum Messiae fere obliti, per victimas uera animi sui labem expiare, ac earum animas in sui locum substitui sibi persuaderent, adeoque totum cultum Leuiticum in superficiali religionis instrumentum verterent, Deus per prophetas eum errorem subinde castigabat, uti & quod legi morali qualicumque actus externi obseruantia satisfieri putarent. vid. 1. Sam. XV. 22. psalm. L. 8. seqq. Esa. I. vers. 1. seqq. XXIX. 13. Ierem. VI. 20. VII. 3. Amos. V. 21. seqq. Mich. VI. 6. 7. 8. & passim. Sic & Salvatore nostro maximum fuit certamen cum sui temporis Iudaeis, qui diuinitus traditam religionem fere in superficiali

riam verterant; vid. Matth. V. 20. seqq. VI. 1. - 18. XV. 1. - 20. XXIII. 13. - 28. Marc. VIII. 1. 23. Luc. XI. 38. - 47. XIV. 32. XVII. 20. 21. in iure feicali diuino, seu de consensu & dissensu inter Protestantes, &c. S. XI. pag. 42. seqq. Non minus lectu digna, quae de Romanensibus subiicit, eorum totam fere religionem superficialiam esse. Nec tamen aut Iudaei soli, aut Pontificii hocce morbo laborant, ad quem omnes homines natura sua sunt pronissimi. Quo enim illis molestius est cupiditatibus prauis, quibuscum verus & internus Numinis cultus consistere nequit, quippe qui animum purum castumque, Deique amorem, omnibus huius seculi rebus praefertentem, requirit, frenum inuicere, eo audius eam religionis speciem arripiunt, qua se Deo grates esse putant, etiamsi vitiorum sordibus immergi maneant. Quare vt olim in scriptis prophetarum veteris testamenti nihil fere frequentius, quara quod Iudaeos hoc nomine obiurgauerint, demonstrauerintque, preces, sacrificia, ieiunia, si fides, seriumque pietatis ac virtutis studium, absit, Deo minime grata esse; ita & ad hodiernum vsque diem cordatissimi quique doctorum ecclesiae euangelicae idem sibi datum crediderunt, ingentem illam, quae per errorem huncce plurimis mortalium inferitur, stragem perspicientes, aegerimeque

neque ferentes. Neutiquam autem haec ita capienda sunt, ac si cultui externo Numinis legitimo hac ratione quidquam derogetur. Hic enim prout ad cultum internum promovendum ac conservandum facit, non tantum utilis, sed prorsus necessarius est, legeque divina nititur. Eadem enim lex, quae iubet, ut Deum colamus, simul etiam iubet, ut media cultum internum promovere apta, adhibeamus. Idque cum ipsa ratio dicitur, haecenus etiam dici potest, cultum externum nisi iure naturae, prout ex ipsa ratione nobis innotescit. Prout vero cultus divinitus externus eiusmodi quid supponit, quod ex revelatione tantum constat, uti sacramenta, & tota evangelii doctrina, directe quidem ratio de eo nihil cognoscit; quod & de legibus particularibus, quibus cultus externus veteris testamenti nitebatur, intelligendum; quanquam in hisce omnibus principium illud generale iuris naturae, homini ea omnia facienda, quibus salutem suam promovere potest, fundamenti loco substernatur. Cultus praeterea externus, in se & absque cultu interno spectatus, animas hominum a vitiorum sordibus purgare nequit; prout autem ad excitandam, fovendam, confirmandam fidem, qua hominum corda purgantur, *Astor. XV. 9.* necessarius est, fa-

cile intelligitur, quousque etiam ad eor-
dium purgationem aliquid conferre queat.
Sed necessitatem cultus externi legitimi, &
in usu suo recte spectati, pluribus adstruxi
in *institut. theolog. moral. part. II. cap. III.*
§. XVII. seqq.

§. VII.

Subinde & ulterius homines pro-
grediuntur, & sibi met ipsis cultum quen-
dam Numinis externum fingunt, qui nec
mandato diuino speciali nititur, nec ge-
nerali, dum ad cultum internum aut
promouendum, aut conseruandum, nihil
facit. Quo grauius autem peccant, in
eo omnem religionem collocantes, eo
turpior est superstitio, cuius hoc ipso rei
sunt; quæ speciatim *ἑθελοθησκείας*
nomine venire solet.*

* Vox *ἑθελοθησκεία*, quæ Paulus *Coloss. II.*
vers. 23. vitur, *cultum voluntarium &*
spontaneum denotat, vt ERASMVS SCHI-
DVS, ad *b. l.* pluribus ostendit. Paulus ta-
men in malam partem eam accipit, eaque
superstitionem illorum designat, qui *ἑταλ-
ματα & διδασκαλίας ἀνθρώπων* docebant.
Hi autem quoniam sub *προφάσει* cultus
spontanei & voluntarii illud faciebant, ideo
gentium doctor *ἑθελοθησκείαν* illis tri-
buit.

bunt. Ut enim reliquis mortalium vitiis,
 ita & superstitioni non temere color aut
 species deest, qua incauti fallantur; conf.
 ABR. CALOVIVS, ad *Coloss. II. 23.* Potest
 equidem generatim omnis superstitio hac
 voce designari, cum homo superstitiosus in
 peruersa colendi Deum ratione, non man-
 datum aut praeceptum diuinum, sed suum
 potius ingenium, suumque arbitratum, se-
 quatur: speciatim tamen rectissime de iis ad-
 hibetur, qui cultum Numinis, omni man-
 dato diuino speciali & generali destitutum
 sequuntur, adeoque nihil aliud, quam
ἐντάλματα & διδασκαλίας ἀνθρώπων pro
 norma habent, & in eo omnem religionem
 collocant. Tales utique apostolus, *loc. cit.*
 designat. Vnde & quo pacto haec super-
 stitionis species a praecedenti differat, patet.
 Illicitam autem prorsus esse eiusmodi *ἰδε-
 λοθησκείαν*, haud difficulter probari po-
 test. Cultus enim Numinis, maiestati eius
 & dignitati respondere debet; adeoque so-
 lus Deus, quo pacto coli velit, hominibus
 potest reuelare. Id autem abunde fecit,
 primo quidem quodammodo per rectam
 rationem, sed plenius & sufficienter per re-
 uelationem. In hocce itaque cultu, qui
 non acquiescit, stolido conatu aliquid sibi
 tribuit, quod hominum vires longissime su-
 perat, immo ipso velut Deo sapientior sibi

videtur. Cultus praeterea Dei respondere debet eius cognitioni. Prout ergo homo non aliter Deum cognoscere potest, quam prout se hominibus reuelavit, ita nec aliter eum colere debet, quam prout se coli velle ipsemet offendit. Non alia denique causa est, cur miseri mortales ad *idoloſtatuarum* adeo proni sunt, quam quoniam hac ratione religionem se inuenturos sperant, quacum pravae illorum consistere queant cupiditates. Quo ipso animum peruersum satis superque indicant. Deus equidem in veteri testamento per leges speciales, populo Israelitico datas, nonnulla sanciuit, quae in se spectata, sunt arbitraria. Quemadmodum vero Deo causae grauissimae sanctissimasque fuere, cur illud faceret, quae alibi ex instituto explicantur; ita quod Deus fecit, non statim hominibus imitari fas est. Habent mortales satis superque, quod agant, si ea obseruare rite velint; quae interni cultus ratio, sed externi quoque, prout mandato diuino nititur, ab omnibus postulat, vt suis in cultu Numinis inuentis facile carere queant. Quod si etiam semel ea in re ingenio suo indulgere coeperunt, facile ad absona quacuis, inepta & Deo plane indigna prolabuntur. Non ethnicorum impias superstitiones; bacchanalia; eleusinia sacra, & reliqua commemorabo, in quibus eo usque illorum

illorum insania processit, ut eiusmodi institutis se Deum colere arbitrarentur, quibus non poterat non vel maxime offendi, immo quibus nihil turpius, nihil execrabilius cogitari potuit. Namque & inter eos, qui christianorum nomine veniunt, non defuerunt, qui ineptae eiusmodi & profusae absconditae superstitionis exemplum praebent. Inter veteres haereticos & Ascitae commemorantur, quasi *Vtrarios* vel *Vtricularios* dicas, a voce *δοκ*, quae *utrem* significat; quem *gestare*, inquit AUGUSTINVS, *perhibentur inflatum & apertum circumhircu bacchantes, tanquam ipsi sint euangelici vres novi, vino novo repleti*; de *haeresib. cap. LXII.* Iungendi his *Pattalorinchitae*, qui, ut idem *Hipponensium* praesul auctor est, *in tantum silentio student, ut naribus & labiis suis digitum opponant, ne vel ipsam taciturnitatem voce praeripiant, quando tacendum sibi esse arbitrantur*, qui tamen simul profitetur, cum *πάταλ* graece *palus* dicatur, *δάκτυλ* autem *digitus*, se nescire, cur non *Dactylorinchitae* potius dicti sint, quam *Pattalorinchitae*; *ρίνχον* enim significare *nasum*, *loc. cit. cap. LXIII.* Nec praetermittendi *Heracleonitae*, de quibus idem auctor: *Feruntur autem suos morientes nouo modo quasi redimere, id est, per oleum, balsamum, & aquam, & inuocationes, quas hebraicis verbis dicunt,*

super capita eorum. loc. cit. cap. XVII. Quis vero non miretur Ophitas, a serpente seu colubro dictos, quem nutriebant & venerabantur, qui & incantante sacerdote egrediebatur de spelunca, & ascendebat super altare immixtum speluncae, & oblationes eorum lambebat, & postquam circa eas se inuoluerat, regrediebatur ad speluncam, & ita confringebant oblationes in eucharistiam, quasi a serpente Christo sanctificatas, ut idem AUGUSTINUS auctor est, *loc. cit. cap. XVII.* Immo quis non cum summa detestatione abominetur Cataphrygum & Pepuzianorum, item Gnosticorum & Manichaeorum sacra; quorum illi sanguini, hi semini humano, panem eucharisticum permiscuisse dicuntur? Ad istam vero tandem insaniam, quid aliud, quam *ἰθελοθρησκεία* homines perduxit? Verbo enim diuino si stricte inhaesissent, nec suo ingenio, nouumque cultum comminiscendi libidini, nimium indulgissent, nunquam ad istum impietatis & stultitiae peruenissent gradum.

§. VIII.

Ista superstitionis species, quam *ἰθελοθρησκείαν* dicimus, in ritibus maxime ac ceremoniis variis sese exerit. Enimvero ut cultus Numinis externus sine ritibus

tibus ac ceremoniis esse nequit, cum inter christianos etiam πάντα ευχαριμένως καὶ κατὰ τάξιν fieri debeant; ita, qui ritus & ceremonias superfluas minusque necessarias aut excogitant, aut sectantur, ita quidem, ut, si non omnem tandem religionem, praecipuam tamen eius partem, in iis collocent, eiusmodi ἔθλο-θησκείας & superstitionis reos esse, non temere quisquam negauerit. *

* *Exempla plurima eiusmodi superstitionis & ἔθλοθησκείας Romanenses praebent, qui, ut SAMUEL PVFENDORFIVS recte pronuntiat, simplicitatem genuinae religionis christianae infinitis ceremoniis adornarunt, exteriora sensuum distinctibus, nulla cordis munditie. Exempli causa, ita idem pergit, tetigisse suffecerit precum plerumque non intellectarum, ac in summis labiis natarum battologias, expresse a saluatore improbatas, Matth. VI. 7. quas ad rosarii globulos admetiri moris est. Quo sine recens scriptor gallicus ab omnibus feminis Hispanicis lautae conditionis rosaria gestari tradit, tantum non in terram propendentia, quae sine fine recitent, dum per plateas incedunt, inter chartarum ludum, inter confabulationes cum aliis; quin, dum amoribus operantur, dum mentiantur, alios-*

162 CAP. VIII. SUPERSTITIO QUID ET QUOTUPL.
que traducunt. Inter ista semper ad rosarii
dudum aliquid demarmurant, etiam ubi in
magno hominum coetu versantur, &c. in iure
faciali diuino §. XI. pag. 44. 45. Sed præ-
ter rosaria huc etiam pertinent processiones
solennes, aqua lustralis, horae canonicæ,
vnculo extrema, vestimentorum, quorunda in
sacris usus est, genera varia; in quibus
nonnulli insuper per interpretationem al-
legoricam magna mysteria quaerunt, & quæ
alia sunt eiusdem generis, numero fere in-
finita, de quibus, qui de ritibus Romanae
eclesiae ex instituto egerunt, IO. STEPHA-
NUS DURANTUS, BARTHOLOMAEVS GAVAN-
TUS, IO. BAPTISTA ORSALIVS, aliisque, plura
suppeditant. Haec enim omnia, & quae
reliqua sunt eiusdem generis, eum nullo
Numinis mandato, nec generali, nec spe-
ciali, nitantur, intemumque Numinis cul-
tum impediunt potius, quam promoueant,
non alio profecto, quam superstitiosae εθε-
λοσησικίας loco, haberi possunt.

35 (o) 36



CAP. IX.

Σ (53) Σ

CAP. IX.

DE

IIS SVPERSTITIONVM GENE-
RIBVS, QVAE INDIRECTE CIRCA
NUMINIS CVLTVM VER-
SANTVR.

Σύνοψις.

Illae hominum opi-
niones, actionesque,
quibus rebus crea-
tis, aut medijs gra-
tiae, ea tribuunt,
quae illis tribuenda
non erant, vt indi-
recte Numinis cul-
tum euertunt, ita
superstitionis nomi-
ne itidem recte in-
signiuntur, §. I.

Pertinent itaque huc
qui medijs gratiae
non eo, quo par
erat, modo, nec eum
in finem, in quem

constituta sunt, u-
tuntur, §. II.

Deinde illi, qui rebus
creatis, & primo
quidem spiritibus,
plus, quam decebat,
tribuunt, vnde ma-
gia, & artes magi-
cae, §. III.

Non minus & illi, qui
ea ratione circa ef-
ficaciam & opera-
tionem astrorum ab-
errant, vnde super-
stitio astrologica,
§. IV.

Super-

Superstitio & credulitas hominum circa

plantas, lapides, animantium partes; item, circa litteras, voces, characteres; ubi & de amuletis periaptis, similibusque, ut & de omnibus; §. V.

Temporum, locorum, nominumque priorum fatalitas,

superstitione non caret, §. VI.

Denique & illi rebus creatis, plus quam decebat, tribuunt, qui ex iis futura, quae reuelare, aut indicare nequeunt, condiscere cupiunt; unde superstitio divinatoria, cuius iterum variae sunt species, §. VII.

§. I.

Solent subinde miseri mortales ex animi leuitate, stolidaque credulitate, multa suscipere, quae directe quidem ad cultum Numinis non pertinent, indirecte tamen eundem euertunt, adeoque cum vera religione consistere nequeunt, hinc & merito itidem superstitionis nomine comprehenduntur. Illas nimirum hominum opiniones actionesque cum primis indigito, quibus rebus creatis, aut ipsis etiam medijs gratiae, ad hominum salutem a Deo ordinatis, ea tribuunt, quae

CIRCA NYMINKIS CVLTVM VERSANTVR. **63**
quae Deo potius tribuenda erant, vel aperte saltem hominem eiusmodi, honorem Deo debitum illi non reddere, arguunt. *

* Sunt ea, quae hic in censum veniunt, maximam partem ita comparata, vt, cum ex inepta & prorsus ridicula credulitate profiscantur, summumque iudicii defectum in eiusmodi hominibus arguant, pro stultitiae potius, quam superstitionis documentis habenda videantur. Quemadmodum vero haec omnia ex vnico fonte, nimia & inepta credulitate, accedentibus tamen adfectibus diuersis, vt deinceps dicemus, profluunt, ita, licet directe quidem circa Numinis cultum non versentur, cum vero tamen & genuino cultu consistere nulla ratione possunt, & haecenus rectissime superstitionis nomine insigniuntur. Qui enim mediis gratiae, verbo Dei, & sacramentis, alium in finem vitur, quam in quem Deus ea constituit; qui spiritibus malignis ea tribuit, quae Deo tribuere debebat, vel contra Numinis mandatum, eorum ope & auxilio uti conatur; qui intempestiua curiositate ductus, ex astrorum situ aut aliis signis futura, quae Deus reuelare noluit, condiscere annititur; qui ad mala euitanda, morbosque depellendos, non mediis a Deo ordi-

ordinatis, sed characteribus, amuletis, similibusque vitur, aut alia eiusdem generis designat; de eo sane, quod Deum, ut decet, & ut vera fides postulat, diligit, timeat, fiduciamque in eo solo collocet, (quæ cultus interni summa est) dici nequit. Accedit, quod in hisce omnibus ad credulitatem ineptam prauus aliquis affectus, auaritia, metus inconsultus, & diffidentia in Deum, aut intempestiua cupiditas per illicita aliquid obtinendi, accedat; qui profecto cum sincero Numinis amore, aut timore filiali, consistere nequit.

§. II.

Et ad media quidem gratiæ, ut de iis primo loco dicamus, quod attinet, cum ea non aliam in finem a Deo constituta sint, quam ut per ea rite & legitime vsurpata, fides hominum excitetur, alatur, foueatur, confirmetur, grauissime peccant, turpissimaque superstitionis rei sunt, qui ea non tantum non eo modo, sed & ad longe alium finem, sæpe etiam talem, qui adfectum prauum animique vitium arguit, vsurpare nulli dubitant; fructu non tantum, quem inde cetero-

quih

quim percipere poterant, se ipsos priuan-
tes, sed extremam etiam perniciem sibi
attraentes. *

* Non de illis nunc loquor, qui verbo diuino
& sacramentis, seu opere, vt vocant, ope-
rato, vtuntur, existimantes solum vsum ex-
ternum, sine attentione, sine emendatione,
sine fide, sibi commodum aliquod allaturum;
quod proh dolor! plurimi faciunt, se ipsos
misero decipientes; quanquam nec ipsi ab
hacce superstitione excludendi sint; sed de
illis praecipue sermo est, qui crassissima
quodam ratione, medijs gratiae ad fines
procius illicitos, ex stolidi credulitate abq-
runtur. Possent hic & Iudaei commemo-
rari, quorum impiae ineptiae de nomine
tetragrammato, eiusque in miraculis perpe-
trandis abusu, satis superque notae sunt. conf.
IOANNES COCCEIUS, ad *mass. rebuel. Sa-
bedrin cap. XI. traq. XXI.* item IOAN. IAG.
HYLDRIQVS, in *notis ad libros Toledot
Iesebus, pag. 18.* Sed ad ipsos statim chri-
stianos me confaro, quorum nonnullos tan-
ta dementia cepit, vt, nominum diuinorum,
Deus, SS. Trinitas, Iehoua, Iesus, aut scri-
pturae sacrae, vel quarundam eius partium,
in curandis morbis vim quandam & effica-
ciam singularem esse, sibi persuaderent. Sic
fuerunt, qui sibi imaginarentur, febrem cu-
rari

600 CAPUT DE GENERE SVBERST. QVAE INDIR.
 rari posse, si quis initium euangelii Ioannis
 collo appendat; & quae alia eiusdem ge-
 neris stolta prorsus & inepta sunt figmen-
 ta. Sunt, qui apud ethnicos iam eiusmodi
 quid in vfu fuisse, sibi persuadent, cum HO-
 MERVS, *odysf. XIX.* e vulnere manantem
 sanguinem carmine repressum scribat, cu-
 iusmodi quid & PLATONEM, *libr. IV. de re-
 publ.* PLINIVM, *hisor. natur. libr. XXVIII.
 cap. II.* ALEXANDRVN TRALLIANVM, *lib. IV.
 cap. IX.* aliosque, referre, ex AVGERIO FER-
 RERIO, in *vera methodo medendi libr. II.
 cap. XI.* commemorat GEORGIVS PASCHIVS,
 de *inuentis monis, quorum accuratiori cultui
 facere pretulit antiquitas, cap. VI. § XXXIII.
 pag. 393.* Eiusdem commatis est, quod non-
 nulli psalmum contempnunt nonnum cum in
 sacra ad centum tempus recitant, vt inimi-
 cis suis nocem inferant. Iam antiquissimis
 temporibus hunc abusum in ecclesia chri-
 stiana obrinisse, ex quibusdam historico-
 rum monumentis colligitur. Certe ante Lu-
 theri tempora admodum solenne hoc fuis-
 se, vel ex *epistolis obscurorum virorum* con-
 discere licet. Cuius enim Leo X. pontifex
 Reuchlino patrocinaretur, quidam illorum
 dixisse fertur: *Ego non spero, quod papa
 erit tam stultus, quod faciet; si faciet, vo-
 lumus per vniuersum ordinem nostrum contra
 ipsum legere istum psalmum: Deus san-
 dem*

dem &c. Hoc enim psalmi istius centesimi noni in versione latina est initium; *vol. II. pag. 135.* Franciscanis speciatim monachis hoc olim in more positum fuisse, auctor est IOANNES CALVINVS: *Res minime occulta est, si quis hostem capitalem habeat, quem velit perditum, conducere ex monachis aliquem, qui quotidie hunc psalmum recitet. Immo scio, in regno Galliae primariam quandam feminam conductitios in Franciscanis habuisse, qui unigenito filio hac forma imprearentur; commentar. in psalm. CLX.* Nec hodie deesse, qui impia & inepta superstitione abrepti, eadem ratione psalmo isto abutuntur, constat; legique hac de re meretur erudita dissertatio IOANNIS ANDREAE SCHMIDII, theologi Helmstadiensis clarissimi, de abusu psalmi CLX. imprecatorii, Helmstadii anno M DCC VIII habita; in qua & §. IX. ex MARTINI DELRIONIS *disquisit. mag. libr. III. part. II. quaest. IV. sect. IX.* docetur, fuisse, qui ad furem inveniendum eundem psalmum adhiberent. Eiusdem superstitionis rei sunt, qui de rei cuiusdam euentu solliciti, sacrum codicem aperiunt, ex primo, quod illis se offert, dicto omen aliquod, seu responsum velut diuinum, accepturi; vnde *fortes biblicae*, iam olim inter christianos frequentatae, vti *Homericæ & Virgilianæ* apud ethnicos; de

690 CAP. IX. DE GENERIB. SVPERST. QVAE INDIR.
quibus legendus ISAACVS CASAVBONVS, ad
Spartiani Hadrianum, cap. II. aliique, laudati
IO. ALBERTO FABRICIO, *bibliograph. anti-*
quar. cap. XII. pag. 420. Quemadmodum
enim nullo argumento probari potest, Deum
hac ratione voluntatem suam hominibus
manifestare, ita sacrum codicem eum in
finem nobis non esse concessum, constat.
Sed de diuinatione, variisque eius generibus,
deinceps erit dicendi locus. Sacramento-
rum vero non minus, quam verbi diuini,
grauissimum ad superstitionem eiusmodi
fuisse abusum, vel *purgatio illa per sacram*
eucharistiam, antiquis Germanis recepta,
demonstrat. Nec enim profecto ad causas
occultas explorandas, aut detegendas, sed ad
fidem confirmandam, corroborandamque,
a Christo seruatore sacram coenam institu-
tam nouimus. Mirum vero, omnino in
concilio Wormatiensi *cap. XV.* impiam
hancce diserte probatam fuisse superstitio-
nem. Formulam simul istius rei ex hisce
GRATIANI verbis cognoscere licet: *Saepe*
contigit, vt in monasteriis furta perpetrentur,
&, qui haec committunt, ignorentur. Id-
circo statuimus, vt, quando ipsi fratres de
talibus se expurgare debuerint, missa ab
abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipse
abbas praeeperit, praesentibus fratribus; &
sic expleta missa omnes communicent in haec
verba:

CIRCA NUMINIS CVLTVM VERSANTVR. 691
verba: corpus Domini sit mihi in probatio-
nem hodie; can. II. quaest. V. cap. XXXIII.
Exempla eius rei apud medii aevi scripto-
res hinc inde occurrunt; ex quibus quae-
dam exhibet PAVLVS HACHENBERGIVS, in
Germania media, dissertat. III. §. XXII.
pag. 89. seqq.

§. III.

Inter res creatas, quae superstitioni
occasionem praebent, primo ipsi spiritus
se nobis offerunt, praesertim maligni illi.
Fuerunt enim omni tempore, & hodie
adhuc sunt, quos tanta mentis coecitas,
tanta stupiditas cepit, vt, etiamsi isti spi-
ritus non nisi hominum perniciem quae-
rant, nihilque sine Numinis permissione
agere aut efficere queant, in Numinis
tamen dedecus & opprobrium, eorum
opera ad res varias, quae supra hominum
vires positae sunt, efficiendas, aut futura
& occulta resciscenda, vti nulli dubita-
rint. Hinc *magia*, cum artibus variis eo
spectantibus, quam si quis cum Numinis
cultu consistere posse, sibi persuadeat,
eum, quid dicat, quidue sentiat, prorsus
ignorare, necesse est. *

* Magiae nomine nobis nunc neutiquam cognitio quaedam occultarum naturae virium, & facultas per eam, aut alias scientias, supra vulgi captum positas, vt, accuratorem matheſeos peritiam, talia efficiendi, quae aliis mirabilia videantur, venit, quamue *magiam naturalem* vocant, sed, quae vſitator hodie & receptior vocis est ſignificatio, artem eiusmodi aut operam ea designamus, quae auxilio & adminiculo daemonum res mirabiles vel facit, vel facere ſimulat. Qui enim ex commercio, quod cum daemonibus habent, res ſtupendas efficiunt, *magi* vulgo dicuntur. Et eiusmodi quidem magiam dari, etſi cum **PLINIO**, *hiſtor. natur. lib. XXX. cap. II.* omnes illi, qui ſpirituum creatorum exiſtentiam in dubium vocant, de quibus ſupra dictum, negent, rationibus & documentis inuictis demonſtrari poteſt. Enimuero exiſtentiam & operationes ſpirituum creatorum, ceu ſatis ſupra demonſtratas, nunc ſupponimus. Supponimus itidem, ceu euictum, ſpirituum creatum eſſe ſubſtantiam immaterialem, intellectu, voluntate, & poteſtate, ſed limitata, corpora mouendi, variasque operationes edendi, praeditam. Quae cum ita ſint, non video, quid obſtet, quo minus eiusmodi ſpiritus aliquando hominibus adparere,

CIRCA NVMINIS CVLTVM VERSANTVR. 693
rere, cum iis colloqui, pacta inire, aliquid
promittere, & in eorum gratiam aliquid
praestare queant, quod hominum cetero-
quin vires superat. Stultum equidem pla-
ne & ineptum est, pactum cum malignis
spiritibus inire, quibuscum nullam iuris
communione[m] homines habent; nec mi-
nus stultum, pactis aut promissis illorum
fidere, qui nullo religionis vinculo, quo
minus promissa violent, tenentur; haec
omnia tamen non obstant, quo minus re-
uera homines cum spiritibus pacta ineant,
aut eorum promissa acceptent, prout multa
alia, quibus ratio non constat, designare
solent. Nihil ergo aliud superest, quam
vt demonstretur, homines daemonum ope-
ra subinde talia effecisse, quae quidem pro
miraculis non sunt habenda, quippe quae
nec a spiritibus creatis edi posse, de-
monstrauimus, hominum tamen vires mul-
tum superant. Sane, quae de artibus ma-
gicis, earumque efficacia narrantur, non
vno omnia habenda loco, probe scio. Quae
enim poëtae aut alii quidam, qui in men-
tiendo poëtis dubiam reddere palmam an-
nituntur, referunt, nemo sanae mentis ere-
diderit. Eiusmodi ea sunt, quae post alios
OVIDIVS, in libris *metamorphoseon* refert,
de Circe & Medea, deque sociis Diomedis
in aues conuersis, quae longo post tempore

circa templum eius volitauerint; de sociis
 Vlissis a Circe in bestias mutatis, & quae
 reliqua sunt eiusdem generis, quibus nec
 simplicissimi mortalium temere fidem adhi-
 buerint. Mirari saltem animum subit, ve-
 teres tam absõna de efficacia artium magi-
 carum credidisse, quae non a veritatẽ modo
 abhõrrent, sed ne minimam quidem spe-
 ciem verõsimilitudinis habent; vt cum
 VIRGILIUS mulierem eiusmodi artium peri-
 tam ita describit:

*Haec se carminibus promittit soluere
 mentes,*

*Quas velit; ast aliis duras immittere
 curas,*

*Sistere aquam fluiis, & vertere sidera
 retro,*

*Nocturnosque ciet manes; mugire vi-
 debis*

*Sub pedibus terram, & descendere mon-
 tibus ornos;*

lib. IV. Aeneid. vers. 487. seqq. Missis au-
 tem hisce, nonnulla in historiarum monu-
 mentis occurrere, quibus non temere de-
 neganda fides, nemo nisi perfrictae frontis
 homo inficiatus fuerit. Quodsi quis vero
 vel maxime profanorum scriptorum testi-
 monia

CIRCA NUMINIS CVLTVM VERSANTVR. 695
monia non admiserit, ea tamen, quae ipsa
scriptura sacra suppeditat, repudiare nefas
fuerit. Suffragari vero etiam experientiam,
& recentiores scriptores talia adferre, quae
omni exceptione maiora sint, iam supra ad
cap. III. §. VII. obseruatum. Ad originem
magiae quod attinet, PLINIVS quidem eam
e medicina natam asserit. *Natam primum,*
inquit, e medicina (magiam) nemo dubitat;
ae specie salutaris irrepsisse, velut altiore
sanctioremque, quam medicinam; histor. nat.
lib. XXXI. i. cap. I. Quod haud dubio de falso
iactata magia intelligit. Veram enim ma-
giam, quae daemonum opera mirabilia per-
petrat, eum reiicere, antea iam obseruau-
imus. Interim recte IOANNES FILESACVS,
cum eandem PLINII sententiam adduxisset,
addit: *Verius dixisset Plinius, magiam ex*
curiosa res abditas cognoscendi vel habendi
cupiditate enatam. Neque tamen negaue-
rim, magiam maximum medicinae praetextu
incrementum accepisse, & magos plurimos
medicinae faciendae specie istam infamiae la-
bem huic arti affricuisse; de idololatria ma-
gica, pag. 26. Certum namque est, prauis
mortalium cupiditatibus, avaritiae cumpri-
mis, & intempestiuae curiositati, qua ho-
mines ad rerum abditarum cognitionem fe-
runtur, vt alias artes superstitiosas, ita &
magiam cumpri-
mis originem suam debere.

Longius petatum, quod BENEDICTVS PERERIVS originem magiae ex ipso paradiso accessit, eo quod diabolus sub forma serpentis, vel in serpente naturali latitans, primis parentibus adparuisset, cum eos ad comedendum de fructu arboris vetitae induceret; de *magia, obseruatione somnior. & diuination. astrolog. lib. I. cap. XIII, pag. 127.* Diabolum tamen ad stolidae istius impietatis inuentionem, ac propagationem, plurimum contulisse lubens fateor. Pravis enim hominum cupiditatibus, qua est calliditate, ad eos in foedissima quaeuis stolidissimaque praecipitandos, iam pridem uti didicit. Vnde non immerito LACTANTIVS omnium maleficarum artium inuentores & magistros daemones fuisse, pronuntiat: *Eorum inuenta sunt astrologia, & aruspicina & auguratio, & quae dicuntur oracula, & necromantia, & ars magica, & quicquid praeterea malorum exercent homines vel palam, vel occulte, quae omnia per se falsa sunt, ut Sibylla Erythraea testatur; institution. diuin. lib. II. cap. XVI.* Quorum & ea pertinent, quae egregie hac de re differit CYPRIANVS, de *idolorum vanitate cap. IV. pag. m. 157.* Sed ipsius PORPHYRII quoque testimonio hoc confirmat EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. V. cap. XI.* afferentis, daemones ipsos, qui deorum loco habeantur, quo *superstitionum ritu secum*
agi

CIRCA NUMINIS CULTVM VERSANTVR. 697
agi vellent, homines docuisse. Legenda
quoque, quae idem EVSEBIVS, *l. c. cap. VIII.*
& *XII.* ex eodem Porphyrio adfert. Ad
causas vero, quibus homines ad istam su-
perstitionem inducti, vel in ea magis confir-
mati sunt, accessit etiam peruerſa de spiri-
tibus seu geniis, opinio; cum primis error
ille, qui multorum olim animos inuasit,
spiritus, etsi inuisibiles, non tamen prorsus
imateriales esse, sed corpore tenuissimo
praeditos. Hac enim sententia admissa, se-
quitur, eos etiam rebus quibusdam corpo-
reis delectari, hinc & placari varia ratione,
& ad hominum obsequium adduci posse;
quod praecipuum magiae fundamentum es-
se, nemo temere negauerit. Hinc & prae-
ter orientales, Chaldaeos maxime, Pythago-
raei & Platonici, qui hunc in modum de
spiritibus philosophabantur, magiae aut de-
ditos, aut suspectos fuisse, constat. De
primo nefandae artis auctore nihil certi dici
potest, etsi, eam longe antiquissimam esse,
constet. Zoroastrem, primum eius inuen-
torem esse, vulgo asseritur; de quo cum
incerta omnia sint, praesertim, si antiquissi-
mus ille, qui hoc nomine venit, siue Chal-
daeus, intelligatur, alium quendam ex prima
antiquitate celebrem virum sub hocce lati-
tare nomine, viri docti existimarunt. Non-
nulli namque, Chamum Noachi filium

698 CAP. IX. DE GENERIB. SVPERST. QVAE INDIR.
eo tegi, putant, quem adeo & magiae in-
uentorem ferunt, vt PETRVS COMESTOR,
hiflor. fcholaftic. in genes. cap. XXXIX. quae
licet & recentioribus quibusdam se pro-
bauerit fententia, reiicitur tamen a SA-
MVELE BOCHARTO, *geograph. facr. libr. IV.*
cap. I. pag. m. 232. Alii vero Misraimum
Chami filium se hic inueniffe arbitran-
tur, vt auctor *recognitionum*, quae sub CLE-
MENTIS nomine extant, *libr. IV. §. XXVII.*
pag. 537. ex edit. IO. BAPTISTAE COTELERII;
alii alium quendam. Sed quam lubrico
haec omnia nitantur fundamento, & quilibet
facile intelligit, & ex iis etiam patet,
quae hac de re dixi, in *hiflor. ecclesiast. veter.*
testam. ad period. I. feët. III. §. XXII. p. 441.
Quicquid vero huius fit, antiquiffimam esse
hanc mortalium insaniam, negari nequit,
cum iam Mosis tempore in Aegypto homi-
nes eiusmodi extiterint, qui daemonis ope-
ra mirabilia quaedam efficiendo, miracula
eius imitari ausi sunt. Nec Deus per Mo-
fen tam graues poenas aduersus magos con-
stituit, nec tam feure eorum consuetu-
dinem & congressum Iudaeis interdixisset,
nisi iam tum eorum ars, sicut hominibus
exitiosa erat, sic nota & celebris fuisset.
Porro circa belli Troiani tempora claram
fuisse magiae famam, nonnulli ex HOMERO
colligunt, praesertim ex iis, quae de Vlyffis
erro-

CIRCA NUMINIS CULTVM VERSANTVR. 699
erroribus commemorat. Siquidem Protea
& Syrenum cantus apud eum non aliter in-
telligi volunt; quanquam non desint, qui
alia ratione ista explicent; Circe utique ex
inferorum euocatione hoc solum agi. In-
ter praecipuos autem artium magicarum
magistros, qui apud veteres fuere, maxime
celebratur Osthanes, de quo PLINIUS: *Pri-
mus extat (ut equidem inuenio) - commenta-
tatus de ea Osthanes, Xerxem regem Persa-
rum bello, quod is Graeciae intulit, comita-
tus, ac velut semina artis portentosae spar-
sisse, obiter infecto, quacunq; commeauerat,
mundo.* Cumque monuisset, a nonnullis
ante eum, Zoroastrem alium Proconnesium
poni, addit: *Quod certum est, hic maxime
Osthanes ad rabiem, non auiditatem modo
scientiae huius, Graecorum populos egit; hist.
natur. lib. XXX. cap. I. pag. 296.* Nimirum
id egit infernalis genius, vt mortalibus per-
suaderet, omnem istam artem magicam
causis quibusdam naturalibus, sed occultis,
niti; vnde facile inducti sunt, vt crederent,
eam non modo prorsus innocentem esse, sed
sapientiae quoque atque eruditionis partem
singularem constituere. Quoue prouiores
natura homines sunt, ad occulta quaeuis
atque arcana cognoscenda, praesertim, si
sapientiae & eruditionis nomine ista co-
gnitio iis ablandiatur, eo maiori impetu
ad

ad talia abripiuntur. Mirum itaque non est, quod apud veteres nonnulli ex iis, qui naturae arcanis rimandis incumbabant, & sapientiae studio dediti erant, simul magiam illam illicitam, ceu sapientiae partem auide arripuerint. Idque Persarum magis (quo nomine philosophi apud eos veniebant) si non omnibus, certe quibusdam vsu venisse, nullus dubito. De Graecorum philosophis idem asserit PLINIVS: *Certe Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato, ad hanc (magiam) descendam nauigauere, exiliis potius, quam peregrinationibus, susceptis. Hanc reuerſi praedicauere, hanc in arcanis habuere; loc. cit.* Quae tamen non prorsus admittenda existimaucrim. Certe fieri potuit, vt, cum in peregrinationibus suis occultas & arcanas orientalium gentium scientias sectarentur, sub hacce specie etiam magiam delibarent; quae & ab hypothefibus Pythagorae, Platonis, aliorumque, qui totum fere orbem spiritibus corporeis replebant, minime abhorret. Nec tamen PLINII ad hoc sufficit auctoritas, vt nobis persuadeatur, hosce philosophos reuera magos fuisse, seu artes illas illicitas aut adprobasse suo calculo, aut vsurpasse; multo vero minus de Democrito hoc quisquam sibi persuadebit, in cuius quippe, vt & in Epicuri systemate spiritibus locus non conce-

deba-

CIRCA NVMINIS CVLTVM VERSANTVR. 701
debatur. Hinc & hosce philosophos, spe-
ciatim Pythagoram, Empedoclem atque
Democritum, ab ista suspicione liberat GA-
BRIEL NAVDAEVS, *apolog. pour les grands
hommes soupçonnez de magie, cap. X. & XII.
pag. 136. seqq.* Inter Pythagoraeos autem
atque Platonicos, nonnullos fuisse, qui
magicarum artium admodum fuere suspecti,
negari nequit; idque haud dubio ex illo-
rum de natura & indole spirituum philoso-
phandi ratione, ortum est, vt antea ob-
seruauimus. Prae reliquis omnibus autem
hoc nomine celebris est APOLLONIVS ille
TYANENSIS, philosophus Pythagoraeus, cu-
ius vitam resque gestas litteris consignauit
PHILOSTRATVS; de quo tamen viri docti
in diuersas abeunt sententias. Plerique
enim veterum pariter ac recentiorum eum
magis annumerant; quod & ex ipsis eth-
nicis nonnullos fecisse, non tantum ex LV-
CIANO atque APVLEIO colligas, sed ipse
quoque adeo hoc non dissimulat PHILO-
STRATVS, vt potius hanc ei abstergere la-
bem passim annitatur. Alii contra eum
a magiae suspicione liberare conantur, PHI-
LOSTRATVM, & quos ille secutus est, men-
daciai accusantes, in iis praesertim, quae
humanae potentiae modum superant, qui-
buscum & GABRIEL NAVDAEVS facit, *loc. cit.
cap. XII. pag. 187.* Cumque inter hos non-
nulli

702 CAP. IX. DE GENERIB. SVPERST. QVAE INDIR.
nulli Apollonium, nihil eorum, quae
PHILOSTRATVS ceu admiranda narrat, prae-
stitisse contendant, alii contra non equidem
negandum putant, multa eum admiranda
edidisse, at non per artem magicam, sed
quod rerum naturalium esset peritissimus,
causasque earum occultas cognitatas haberet
atque perspectas. Quicquid horum sit, id
certum, & viris eruditis luculenter demon-
stratum, PHILOSTRATI narrationi fidem non
habendam: immo omnia ista a gentilibus
conficta esse, vt Christi seruatoris miraculis
fidem eo facilius detraherent, vel ab aliis
etiam similia edita dicere possent, prudens
harum rerum existimator non temere dubi-
tauerit. Sed legenda, quae erudite hac de
re disputat B. GOTTFRIEDVS OLEARIVS, in
*praefatione PHILOSTRATI operibus praemis-
sa; & quae ipse in compendio dixi in dis-
sertat. de veritate religionis christianae, phi-
losophor. gentil. obtrektionib. confirmata,*
§. X. Cum christianae doctrinae luce orbis
collustraretur, magnam quidem partem istae
infernalis genii tenebrae discussae, non ta-
men prorsus dissipatae sunt; cum ad hodi-
ernum vsque diem non desint, qui eiusmodi
artes nefandas consecretentur, & daemonum
opera, quae cupiunt, se impetraturos, ridi-
culo, non minus, quam impio errore sibi
persuadeant. Nihil de Arabibus quibus-
dam,

CIRCA NVMINIS CVLTVM VERSANTVR. 703
dam, Alchindo, Geber, Artephio, nihil
de Alberto magno, Raymundo Lullo, Ar-
noldo Villanouano, aliisque dicam, cum
haud nesciam, horum omnium patrocini-
um in se suscepisse GABRIELEM NAVDAEVM,
loc. cit. cap. XIV. pag. m. 246. seqq. qui &
cap. XV. pag. 285. Henrici Cornelii Agrip-
pae causam egit, quod & PETRVS BAEIVS
facit, *dition. histor. crit. voc. Agrippa, pag.*
109. seqq. Nec enim is ego sum, qui viris
innocentibus magiae inurere infamiam ve-
lim, si modo omnes innocentes sint. Inter
ea, quae Agrippae innocentiam dubiam
reddere possunt, praecipuum locum tenet,
opus eius de *occulta philosophia*; ad mini-
mum operis istius *liber quartus*, quem artes
& ritus magicos, superstitiosos, abomi-
nabiles continere, nec illi ipsi, qui eius patro-
cini-um in se susceperunt, negant; simul
tamen, eum Agrippae esse, abnuunt, per-
peram & sine ipsius culpa a bibliopola
auaro eum reliquis libris, qui Agrippae sunt,
additum, contendentes. Ita GABRIEL
NAVDAEVVS, *loc. cit. pag. 294.* Tres autem
prios libros, non desunt, qui mystice &
allegorice explicandos autumant, ad omnem
magicae impietatis suspicionem ab auctore
auertendam. Haec vero omnia vt aliis
accuratius inquirenda relinquo, ita vel
quarti istius libri exemplo, quisquis etiam
eius

704 CAP. IX. DE GENERIB. SVPERST. QVAE INDIR.
eius auctor sit, constat, fuisse eo tempore
homines, vti adhuc hodie sunt, qui impiis
stolidisque eiusmodi artibus pretium ali-
quod statuerent. Eiusdem vero etiam ge-
neris sunt *Clauicula Salomonis*, item *Semi-
phoras* & *Schembamphoras Salomonis regis*,
& alia, lingua etiam germanica, sub specio-
so, sed fallaci *theosophiae pneumaticae* titulo
edita; vid. GEORG. PASCHIVS, de *inuentis
nou - antiquis*, cap. VII. §. XV. pag. 579.
Non tamen dissimulandum, esse qui in hocce
scripto, *clauicula Salomonis*, sub portentosis
nominibus, magicisque mysteriis, artificium
steganographiae latitare, existimant; quae &
viri clarissimi, IO. ALB. FABRICII est sententia,
qui plura hac de re suppeditat, in *codice pseude-
pigrapho vet. test.* p. 1953. Iam ad rem ipsam,
quod attinet, constat, impiae & infelicis
artis magistros certis ritibus, ceremoniis,
characteribus, vocibus sacris aut peregrinis,
formulisque vti, quibus spiritus adducant,
& ab iis vt voluntati suae morem gerant,
impetrent. Cum vero nemo temere tam
stupidus, tamque omnis rationis expers sit,
qui sibi persuadere queat, eiusmodi rituum,
vorum, characterum, formularum, vim
quandam naturalem in adducendis, mouen-
disque spiritibus esse posse, quaeri posset, qui
itaque fiat, vt quandoque magi hac ratio-
ne, quod volunt, impetrent, & spiritus ad
nutum

nutum paratos habeant? Sed quilibet paullo accuratius ista omnia ponderans, facile infernalis genii fallaciam perspiciet, qui talia, quantumuis inepta & stolidi, istis hominibus persuasit, vt impiam stoliditatem eo minus animaduernerent, existimantes per causas naturales, sed occultas abditasque, ista perfici. Qui enim per causas arcanas, sed naturales tamen, aliquid, quod mirabile sit, se efficere posse, putat, se non adeo malum credet. Immo obtinere hac ratione potuit, & reuera etiam obtinuit, vt stolidissima impietas pro parte quadam eruditionis & sapientiae haberetur. Nec est, quod quenquam moueat, spiritus interdum videri per eiusmodi artes cogi, magosque illis imperare aliquid posse. Si enim vera omnia sunt, quae hac de re feruntur, fieri potest, vt daemones inferiores a superiori, quocum magis pactum intercedit, cogantur ad aliquid faciendum, quod magi per eos effici cupiunt; aut etiam dicendum, nullam coactionem, nullumque hic adesse imperium, sed malignos spiritus talia simulare, vt homines, qui illorum opera vtuntur, eo magis in superstitione, & vano, de artium istarum praestantia, errore corroborent. Ex gentilibus has similesque difficultates, quae magiae opponi possunt, vidit, & ingenue proposuit ipse PORPHYRIUS, in *epistola*

706 CAP. IX. DE GENERIB. SVPERST. QVAE INDIR,
sola ad Anebonem Aegyptium, quam IAMB-
BLICHI libro *de mysteriis* praemisit THOMAS
GALE; ex qua etiam nonnulla adfert EVSE-
RIVS, *praeparat. euangel. libr. V. cap. X.*
pag. m. 197. Eo maiores autem istae diffi-
cultates erant intuitu gentilium, quod hi
spiritus illos, quorum opera magi ute-
bantur, pro diis, quos colebant, haberent.
Hinc istae quaestiones PORPHYRI: Quo-
modo magi inuocent & obsecrent daemo-
nones tanquam superiores, & iisdem ta-
men tanquam inferioribus imperent, &
quod volunt, facere eos cogant? item, cur
dii magorum iubeant, homines esse iustos,
ipsi autem a magis iussi multa patrent ini-
qua & flagitiosa? & quae aliae sunt eius-
dem generis. Respondere equidem ad has-
ce PORPHYRI dubitationes conatus est
IAMBlichVS in libro *de mysteriis*; sed ea
quidam ratione, ut ad incredibilia & ab-
surda quaedam euitanda, longe magis in-
credibilia longeque absurdiora afferat, dif-
ficultatesque non tollat, sed augeat. Di-
uersae etiam magiae solent constitui spe-
cies. Plerique veterum, Platoniorum
praecipue, duplicem faciebant magiam,
theurgiam scilicet, quam vocabant, &
gœtiam, seu *necromantiam*. Theurgia bona
illis atque laudabilis erat, qua certis qui-
busdam hostiis & sacrificiis, munditia iti-
dem

dem quadam animae & corporis, aliisque sacris ceremoniis, bonos ac beneficos daemones inuocabant, eorum afflatu & auxilio, & occulta manifestaturi, & futura praenuntiaturi, & miranda edituri opera. De hacce *theurgia* multa IAMBlichvs de *mysteriis*, PROCLVS libro de *sacrificio & magia*, PORPHYRIVS libro de *sacrificiis*, & ex eo AVGVSTINVS de *ciuit. Dei libr. X. cap. IX.* Quae quidem in re mirificam infernalis genii illusionem conspiceri licet, qua etiam viri ingenio praestantes inducti per summam coecitatem, bonos genios se colere, idque magna cum pietatis specie, existimabant, cum tota ista impietas ad honorem diabolo exhibendum pertineret. *Goëtia* vero seu *necromantia* illis dicebatur, quae mortuos excitabat, & consulebat, & per eos responsa de rebus occultis vel futuris reddebat. Simile fere discrimen artium eiusmodi nefandarum, etiam in scriptura sacra, speciatim ex *Deut. XVIII. vers. 10. seqq.* obseruare licet. Inter varios enim impiae superstitionis magistros ibi recensentur **כֹּהֲנֵי מַגִּי** *magi, praestigiatores*, qui magica arte & opera daemonum, miranda quaedam perpetrabant, vt magi Pharaonis, qui virgas suas in serpentes vertere videbantur, ad quos vt proxime accedebant **כֹּהֲנֵי חֹבְרִי** *incantatores*, qui verbis & carminibus quibusdam mirabilia perpetrabant,

ita ab vtrisque diuersi erant **כּוּן כְּעֵלֵי פִי-
 rthonici**, seu qui spiritum Pythonis habebant,
 & certis artibus spiritus eliciebant, qui, vt
 ipsi putabant, mortuorum excitarent ma-
 nes, a quibus, quaecunque vellent, condisce-
 rent. Ita namque hasce voces explicandas
 esse, luculenter, ni fallor, ostendi in *hisor.
 ecclesiast. veter. testam. period. II. sect. I. ad
 §. XXXVI. pag. 776. 777.* Magis accom-
 modate ad eam, quam hodie obseruare li-
 cet, impietatis istius rationem, dici posset,
 aliam magiam *directe* talem esse, quae fe-
 dus aliquod expresse seu explicite cum in-
 fernali genio initum supponit; aliam, *in-
 directe* talem, quae per ritus, ceremonias,
 characteres, formulas, daemonum opera
 vitur; etsi fedus eiusmodi non praecesserit.
 Constat enim, nonnullos artibus eius-
 modi vti, etsi his constitutum non sit, fedus
 aliquod cum infernali genio inire. In-
 terim, cum nemo daemonis maligni opera
 vti queat, quacunque etiam hoc faciat
 ratione, nisi simul gratiae diuinae renuntiet,
 dum hoc ipso ad castra velut iurati hostis
 Dei transit, non minorem reuera huius,
 quam illius magiae impietatem esse, nemo
 non intelligit. Generatim etiam detestan-
 da criminis huius hinc elucescit *foeditas*,
 cum animum ad ea, quae Deo maxime ad-
 uersa sunt, destinato consilio perpetranda,
 & ad Deum summa, quantur in misero
 isto

DE CIRCA NUMINIS CULTVM VERSANTVR. 709
Isto homine est, iniuria afficiendum, obfirmatum, summamque adeo, quae cogitari potest, malignitatem arguat. Quo gratius enim infernalis genii erga Deum est odium, quo atrocior rebellio, qua contra conditorem suum insurrexit, eo detestabilius est illorum flagitium, qui cum eo inire fedus, aut quatenusque ratione opera eius uti in animum inducunt suum. Non minor autem istorum hominum, qui talia designant, *stultitia* est, quam impietas. Praeterquam enim, quod potentia infernalis genii suis limitibus sit circumscripta, scire, si vellent, facile possent, se impio Numine nihil ab eo obtinere, aut ipsius opera perficere posse. Deum itaque, a quo omnia, quae illis salutaria sunt, obtinere possent, tam graviter offendunt, ut ab eo, qui sine Numinis permissione nihil profusus efficere potest, aliquid impetrent. Nec vbo exemplo doceri potest, per artes magicas aut divitias, aut honores, aut simile quid homines impetrasse. Aut mera illusio fuit, qui quid hac ratione obtinuerunt, aut ita minutum vel exiguum, ut impotentiam diaboli manifesto inde intelligere liceat. Prorsus vero ridiculum est, cum pacta cum eo ineunt. Quasi vero vbi ratio sit, quae pessimum spiritum ad pacta servanda inducere queat. Non religio potest, quippe cuius est expers; non magna-

700 CAPIT. DE GENERIBUS SUPERST. QVAE INDI-
simitas, aut vlla alia virtus, quas in eum,
qui tortus ex vitiis est compositus; non ca-
dit; non lex quaedam, cum violare, non
seruare legem, illi proprium fit. Recte de-
nique & *superstitionis* eiusmodi homines
arguuntur. Praeterquam enim, quod ab-
surdissima credulitas in eo elucescit, quod
ritibus, vocibus, characteribus, formulis
vim eiusmodi tribuunt, qua nulla ratione
gaudere possunt; subinde etiam contingit,
vt Deum se colere existiment, et si ea,
quae Deum maxime offendunt, committant.
Maior autem peruersitas cogitari aequit,
quam si quis existimet, cultam Numinis
cum summa impietate consistere posse.
Immo quod magis adhuc mirandum, in
ipso nefandarum artium exercitio, nomini-
bus diuinis, scripturae dictis, formulis sacris
& preceationibus vtuntur, ac si a Deo ipso
aliquid impetrare possent, dum diabolo,
operam eius & ministerium expetentes,
seruiunt. Qui summus prorsus & stultitiae, &
impiae superstitionis, merito censetur gradus.

§. IV.

A spiritibus si discedamus, astra oc-
currunt, quorum vsus, qui manifestus est,
& ab omnibus facile agnoscitur, cum
hominibus non sufficeret, ea itidem, in-
cepta credulitate abrepti, in superstitionis
ver-

CIRCA NUMINIS CULTVM VERSANTVR. 711
verterunt occasionem, eiusmodi vim
& efficaciam illis tribuendo, quae vti in
Numinis prouidentiam pariter ac homi-
num libertatem palam iniuria est, ita
a vera & genuina ratione Deum colendi
eos non potest non auertere. Quo no-
mine & merito *astrologia* ceu vana, inepta,
impia & superstitiosa damnata, & a viris
sapientibus reiecta est ac repudiata.

• Astrologiae inuentio Chaldaeis valgo tribui-
tur, quibus tamen gloriam hanc dubiam
reddere voluerunt Aegyptii. Id certum,
iam in vtraque gente antiquissimis tem-
poribus eam floruisse. Apud Chal-
daeos autem praecipua quadam ratione ex-
cultata videtur, vnde & factum, vt astrologi
Chaldaeorum nomine venirent. TULLIVS
id confirmat, qui, cum dixisset: *Principio*
Affyrui, vt ab vltimis auctoritatem repetam,
propter planitiem magnitudinemque regio-
num, quas incolebant, cum coelum ex omni
parte patens atque apertum intuerentur, tra-
iectiones motusque stellarum obseruarunt:
quibus notatis, quid cuique significaretur,
memoriae prodiderunt; addit: *Qua in*
ratione Chaldaei, non ex artis, sed ex gentis
vocabulo nominati, diuturna obseruatione sids-
rum scientiam putantur effecisse, vt praedici
posset, quid cuique euenturum, & quo quisque

712 CAP. IX. DE GENERIB; SUPERST. QVAE IN DIR-
 fato natus esset; tum de Aegyptiis subiicit:
 Eandem artem etiam Aegyptii longinquitate
 temporum innumerabilibus pene seculis confe-
 cuti putantur; de diuinat. libr. I. cap. I.
 De Aegyptijs & HERODOTVS testatur, ab
 iis excogitatum, *μείς τε καὶ ἡμέρη ἐκείνη*
θεῶν ὅτεν ἐστὶ καὶ τῆ ἐκείνη ἡμέρη γεν-
νηθῆναι ὁδοῖσι ἐγχεσθῆαι; καὶ ὅπως τε-
λευθῆσεται; καὶ ὁνοῖός τις ἔσται quae men-
 sis diesne cuius deorum sit, & quo quis die
 genitus, quaha forsietur, & quam mortem
 obibit, & qualis erit; *hist. lib. II. cap. LXXXII.*
 Sunt qui ipsum Abrahamum pro astrolo-
 giae inuentore venditant, quod & EVPO-
 LEMVS fecit apud EVSEBIVM, *praeparat.*
euangel. lib. II. cap. XVII. contra quos ope-
 rose disputat PETRVS LAMBECIVS, in *pro-*
dro-mo histor. litterar. libr. I. cap. IV. §. III.
pag. 43. cuius rationes expendi in *introd.*
ad histor. philos. Ebraeor. pag. 18. Quod si
 astrologiae nomine ea ars intelligatur, quae
 ab Arabibus ad Europaeos propagata, ho-
 die vulgo eo nomine venit, eam, cum va-
 na, inepta & superstitiosa sit, Abrahamo
 tribui non posse, certum est. Interim de
 antiquitate artis huius nullum superest du-
 bium. Cumque vel ex *Deut. XVIII. 10.*
seqq. constet, iam ante Mosis tempora
 varias artes diuinatorias in vsu fuisse, fa-
 cile inde colligas, de diuinatione ex astris
 idem

CIRCA SVRINIS CVLTVR VERSANTVR. 713

Idem esse censendum. Immo sunt, qui per **כוכבים** qui ibi commemorantur, astrologos intelligunt, quibus exemplum praeciuit MOSES MAIMONIDES, in *tractat. auodab sarab, cap. XI.* Conferenda, quae hac de re dixi, in *hisor. eccles. vet. testam. period. II. sect. I. ad §. XXXVI. pag. 776.* Vtut autem antiquissima sit ista Chaldaeorum disciplina, non tamen tantae vetustatis fuit, quantam artis eius magistri illi olim tribuebant, quae cum veris ac genuinis historiarum monumentis nulla ratione conciliari potest. Hoc ex ipsis ethnicis FAVORINVS iam obseruauit, apud A. GELIVM docens, *disciplinam istam, Chaldaeorum tantae vetustatis non esse, quantae videri volunt; not. Attic. libr. XII. cap. I.* Atque hinc idem etiam philosophus rectissime argumentum ducit, hanc artem ea ratione, qua Chaldaei, vel eius magistri, hoc tradebant, non esse inuentam. Inter multa alia enim, quae contra astrologos disputat, & haec contra eos ex ipsius mente GELIVS adfert: *si isto modo coepta fieri obseruatio est, ut animaduertetur, quae habitu, quaque forma, quaque positura stellarum aliquis nasceretur; tum deinceps ab neunte vita, fortuna eius & mores, & inguam, & circumstantia rerum negotiorumque, & ad postremum finis etiam vitae expectaretur; eaque*

714 CAP. IX. DE GENERIB. SYRERST. QVAE INDIR.
 omnia, ut usu venerant, litteris mandarentur;
 ac postea longis temporibus, cum ipsae illae
 eodem in loco eodemque habitu forent, es-
 dem ceteris quoque euentura existimarentur,
 qui eodem illo tempore nati fuissent; si isto,
 inquit, modo obseruari coeptum est, & ex ea
 obseruatione composita quaedam disciplina
 est, nullo id pacto potest procedere. Dicant
 enim, quot tandem annis, vel potius, quot secu-
 lis, orbis hic obseruationis perfici quiuerit &c.
 Possent & alia adhuc adduci, quo minus ex
 istis obseruationibus certi canones formari
 potuerint, de quibus legendus CLAVDIUS
 SALMASIVS, de *annis climactericis*; add. 10.
 CLERICVS, in *indice philologico ad Thomae
 Stanleii histor. philos. orient. voc. astrologia*.
 Quantumuis autem incerta & fallax esset
 ista Chaldaeorum disciplina, locum tamen
 haud vltimum in illorum, aliarumque
 gentium, philosophia, cum aliis eiusdem ge-
 neris artibus obtinuit. vid. THOM. STAN-
 LEIVS, *loc. cit. libr. I. sect. II. cap. XVI*. De
 progressu autem, fati, scriptoribus astro-
 logicae artis, etsi multa dici possent, ea ta-
 men huius loci non sunt. Pleraque GER-
 HARDSVS IOANNES VOSSIVS exhibet, de
scientiis mathematicis; praecipuos scripto-
 res astrologicos indicat 10. HENRICVS BOE-
 CLERVS, in *bibliographia critica*, accuratius
 nuper a IOANN. GOTTLIEB KRAVSIO edita,
 cap.

cap. XXXV. itemque LEONHARDVS CHRIS-
TOPHORVS STVRMIVS, de nat. & constitut.
matheos pag. 364: seqq. Resuscitata haecce
astrologorum disciplina cum primis ab Ara-
bibus fuit, cum litterae per barbararum
gentium incurfionem, Graeciamque & Ita-
liam deuastatam, ex Europa pulfae, sedem
velut apud eos fixissent. Ab iis autem
cum aliis opinionum portentis partim ad
impietatem, partim ad superstitionem du-
centibus, ad Europaeos iterum propagata,
seculo cum primis decimo quinto, & decimo
sexto, illorum occupauit animos, qui & ad
impia quaeuis atque inepta se abripi passi
sunt, vt vel HIERONYMI CARDANI exemplo
patet, de quo supra verba fecimus. Fue-
runt tamen & eodem tempore, qui acriter
vanitati & superstitioni astrologorum se
opponerent, vt ex mox dicendis patebit.
Mirandum vero, multos viros, cetera doctos
& sapientes, ea peste illo tempore afflatos
fuisse, quod & PHILIPPO MELANCHTONI
contigisse nouimus. Immo non defue-
runt, qui infelici connubio cum ipsa theo-
logia astrologiam coniungerent, in varios
inde errores praecipites dandi. Certe VA-
LENTINVM WEIGELIVM tum huic, tum aliis
eiusdem generis artibus, arcana quid prae se
ferentibus multum tribuisse, constat; qua
in re & alii eius exemplum imitati sunt.

Post-

Postquam autem ea philosophandi ratio, quae RENATVM CARTESIUM auctorem habet, inualuit, astrologicae artis auctoritas magis magisque imminuta est. Quia enim cum eius hypothesebus astrologorum nulla ratione conciliari poterat disciplina, id maximo discipuli eius dedere operam, ut vanitatis hanc artem arguerent, eaque profus exploderent. Nec tamen hodie adhuc desunt, qui aliquod ei pretium statuunt, ut vel certamen illud, quod LEONHARDO CHRISTOPHORO STURMIO, cum LYDVOYCO HANNEMANNO, ante aliquot annos hac super re intercessit, variis scriptis utrinque editis agitarum, testatur. Diversa utique virorum doctorum omni tempore de astrologia fuisse iudicia, alia eam laudantibus ac propugnantibus, impugnantibus & vituperantibus eam alia. Praesertim, ex quo per Arabes, uti dictum, ad Europaeos propagata, ceu pestis quaedam animos multorum afflavit, integris operibus eius vanitatem ostendere aggressi sunt HIERONYMVS SAVANOROLA, *adversus astrologiam divinatricem*, IOAN. PICVS MIRANDVLANVS, in *libris XII. adversus astrologos*, aliique. Sed IOANNES quoque SARESBERIENSIS, *lib. II. poliarat. cap. XIX.* BENEDICTVS PERERIVS, *de magia, observatione sanctorum & divinatione astrologica lib. III.*

pag. 210. seqq. PAVLVS MERVLA, *libr. II.*

Cosmographiae generalis cap. XVI. GERH.

IOANNES VOSSIVS, *theologiae gentilis lib. II.*

cap. XLVIII. PETRVS GASSENDVS, *lib. VI.*

phys. sect. II. itidem contra eandem artem

diuinatoriam argumentis pugnantur vali-

dissimis. Labascanti quidem & hostium

telis obrutae arti huic suppetias ferre ausus

est IOAN. BAPTISTA MORINVS, in *astrologia*

gallica, propriis principiis & rationibus stabi-

lita; sed nihil aliud effecit, quam vt intel-

ligeretur, quid ingenti in causa quadam de-

sperata defendenda, valerent vires. Enim

vero, vt meam quoque paucis, & tribus

tantum verbis, aperiam sententiam, vim

quandam & efficaciam singularem siderum

coelestium in haec sublunaria esse, praefer-

tim, quod ad tempestatum vicissitudines, si-

milesque effectus, attinet, itemque ad cor-

porum variorum affectiones, mutationesue,

quae hisce quidem causis tribui possunt,

non proflus negandum censeo. Nec ex

eo, quod nobis modus ratioque, qua cor-

pora tam immenso spatio a nostra tellure

distantia in ea aliquid efficere queant, non

constet, statim res ipsa in dubium vocanda.

Multa namque quotidie occurrunt, de qui-

bus non dubitamus, ab hac vel illa causa

ea effici, etsi modum, quo hoc fiat, aut

ignoremus, aut non, nisi per coniecturam,

scia-

718 CAP. IX. DE GENERIB. SUPERST. QUAE INDIR.
sciamus. Monui hoc iam, in *dissertat. de
cultura ingenii*, quae extat in *selectis iuris
naturae & gentium, cap. I. §. XVI.* Astro-
logi autem primo in eo peccant, quod vim
illam operationemque siderum coelestium,
etiam qua effectus mere phycos, v. g. tem-
pestatum mutationem, cognitam sibi peni-
tus & perspectam iactitant, quam tamen eos
ignorare nunquam fere non experientia do-
cet; item, dum maiorem, quam debebant,
in hisce sideribus vim tribuunt; cum de-
nique, pro certa venditant, artem, quae
dubiis prorsus atque incertis nititur funda-
mentis. Magis vero adhuc peccant, dum
eandem siderum efficaciam ad moralia ex-
tendunt, hominum vitam, salutem, interit-
tum, mentis quoque decreta consiliaue,
fortunam praeterea secundam & aduer-
sam, similiaque, ex astorum positu deri-
vantes. Enimvero, quo pacto sidera talia
efficere queant, nulla ratione intelli-
gi potest. Neque hic exceptio, quam antea pro-
tuli, procedit, multa quotidie contingere,
quae, quomodo eueniant, ignoremus.
Non tantum enim ista siderum quoad mo-
ralia haec efficacia, ab omni verosimiliru-
dinis abhorret specie, sed ne quidem possi-
bilis est. Cum enim sidera corpora sint,
mente destituta, si effectus quosdam in hisce
sublunatibus producant, ii non alii, quam
mere

mere naturales, qui per se ad moralia non pertingant, esse possunt. Praeterea totus ille astrologicae vanitatis apparatus, signa zodiaci, domus planetarum, & quae reliqua sunt eiusdem generis, cum nullo certo nitatur fundamento, inter otiosorum hominum referenda esse commenta, iam pridem viri docti pronuntiarunt. Sed & inde artis istius vanitas elucescit, quod eius magistri ex illis siderum aspectibus futura canunt, qui tempore natiuitatis fuere, cum tamen rarissime momentum temporis, quo quis natus est, cognitum & perspectum habeant. Ne quid nunc de eo dicam, quod causas proximas, a quibus praecipue hominum mores progignuntur, parentum indolem, sobolis nutritionem, educationem, aëris circumfusi conditionem, supine & secure praeteruolent, ut eo tutius ab astris fata hominis arcessant. Hisce, aliisque argumentis grauissimis, cum astrologi premuntur, nihil aliud illi relictum est, quam ut ad experientiam provocent. Ad hanc enim ceu ad sacram confugere anchoram solent. Sed hanc fallacem admodum esse, illorumque minime confirmare placita, ipse iam vidit, recteque animaduertit CICERO: *Quam multa ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic Caesari a Chaldaeis dicta memini: veminens eorum, nisi senectute, nisi domi,*
nisi

nisi cum claritate esse moriturum: id mihi
 permirum videatur, quicquam extare, qui
 etiam nunc credat his, cum praedicta quoti-
 die videant, vel ex eventu refelli, *libr. II. de
 diuinat. cap. XLIX.* Nec morari quenquam
 potest, quod dicunt, oenire tamen inter-
 dum, quae diuinatores illi praedicunt.
 Cum enim multo plura sint, quae non eue-
 niant, cur incidisse eos casu in veritatem
 non arbitremur? Ita quidem rectissime
 IOANNES PICVS, Mirandulae comes, colligit,
 qui & multa alia hanc in rem addit, *lib. II.
 contra astrologos cap. II.* Fieri tamen po-
 test, vt infernalis quoque genius astrologi-
 cae praedictioni se immisceat, quod praec-
 eunte eodem IOANNE PICO ipse diserte asserit
 THEOPHRASTVS PARACELSVS, cuius hac de
 re locum admodum memorabilem, ex libro
 eius de *arte praesaga* exhibet GEORGIVS PA-
 SCHIVS, in *inuentis nou-antiquis*, *cap. VII.
 pag. 595. seqq.* Certe & PETRVS BAEIVS
 ita iudicauit, si astrologi vera praedicant,
 hoc ex commercio atque pacto cum dae-
 mone proficisci, in *dictionar. historico-crit.*
voc. Ruggeri, pag. 2627. Ceterum tanta
 est astrologorum siue temeritas, siue stul-
 titia, vt non tantum singulorum hominum,
 sed Imperiorum quoque ac rerum publica-
 rum fata astris subiiciant, eorum incremen-
 ta, decremenda, mutationes, euerfionesque
 hinc

CIRCA NUMINIS CULTVM VERSANTVR. 71
hinc deriuantes. Sic iam olim Romae vr-
bis genesin Varrone rogante delineauit
L. Tarrutius Firmianus, vt in *Romulo*, auctor
est PLVTARCHVS. Aliud eiusdem vr-
bis thema exhibuit Vettius Valens; Antioche-
nus; bina alia LVCAS GAURICVS, in *tracta-
ta primo astrologico*, qui & Bononiae, Flo-
rentiae, Venetiarum, Parauis, aliarumque
urbium fata ex astris deriuare voluit. HIE-
RONYMV M CARDANVM simili temeritate
regnorum urbiumque fata ex astris diuinare
ausum; notum est. Sed plurimum quoque
urbium themata a graecis olim philosophis
excitata & collecta notat CLAVDIVS SAL-
MASIVS, de *annis climactericis*, pag. 533.
Plura hac de re collegit IOAN. FRIDERICVS
MAYERVS, in dissertatione: *virum fata
mundi regnorum & urbium dependant ab
astris?* In his omnibus vero astrologos
non tam diuinare, quam nugari, recte dix-
eris. Cum enim nulla excogitari ratio
queat, cur vnus hominis decreta & actio-
nes a stellis proueniant, quis tandem sibi
persuaserit, rerum publicarum, quae tot ho-
minum libero agentium consiliis reguntur,
fata hinc deriuari posse? Taceo vero,
quod ipse astrologorum dissensus artis vani-
tatem satis superque prodat. Nec tamen
impietas ac stultitia eorum hic substitit.
Religionum enim, & inter reliquas ipsius

732 CAP. IX. DE GENIIS SUPERST. QVAE IN DIR.
 christianae fata, astris adscribere nonnulli
 eorum non dubitarunt. Auctor quidam
 suppositivus, qui sub OVIDII nomine de
vetula scripsit, quive seculo post Christum
 natum vndecimo vel duodecimo vixisse vi-
 detur, iudaicam religionem suspendit a con-
 iunctione Iouis cum Saturno, Chaldaeo-Per-
 sicam a coniunctione Iouis cum Marte,
 Aegyptiaco-Graecam a coniunctione Iouis
 cum sole, Romanam a coniunctione Iouis
 cum Venere, christianam a coniunctione
 Iouis cum Mercurio, & Muhammedanam
 denique a coniunctione Iouis cum luna.
 Versus eius, quibus suam sententiam expri-
 mit, exhibet IOAN. FRIDERICVS MAYERVS,
 in *disputat. II. utrum fata religionum pen-
 deant ab astris?* §. I. Simile quid iam an-
 tea in mentem venit ABVMASARI, cuius hac
 de re locum integrum exhibet IOANN. SEL-
 DENVS, de *synedriis Ebraeorum, libr. II.
 cap. VII.* Eiusdem stultitiae reus est PE-
 TRVS ALLIACENSIS, a prioribus tamen in eo
 dissentiens, simulque artis vanitatem pro-
 dens, quod non Mercurium, sed solem, chri-
 stianae religionis auctorem existimat, vnde
 factum sit, vt dies solis a christianis sacro-
 sanctus habeatur, quemadmodum apud Iu-
 daeos, quorum religionem & ipse Saturno
 tribuit, dies Saturni, & apud Muhamme-
 danos, quorum superstitionem a Venere pro-

CIRCA NVBVIS CVLTVM VERSANTVR 93
 profluxisse, cum Abumafare opinatur, dies
 Veneris; cachinnis ideo merito exceptus
 a FRANCISCO MOTHAEO VAYERIO, tom. I.
 opp. pag. 275. seqq. Eundem in modum &
 HERONYMVS CARDANVS nugatur, etsi in
 quibusdem iterum a reliquis dissentiens.
*Leges christiana, inquit, & iudaica a Deo
 sunt, fortuna tamen militantium a superio-
 ribus gubernatur. Iudaica a Saturno, vel
 eius stella, vel potius utroque. Christiana
 a Ioue & Mercurio. Muhamethi a Sole &
 Marte, aequaliter dominantibus: vnde in-
 stitiam custodit, verum cum impietate & cru-
 delitate magna. Idololatrica a Luna & Mar-
 te. Soluitur autem vnaquaeque lex a suo
 contrario. Saturnum debellat Iupiter aucto-
 ritate, & Mercurius ratione. Iouem &
 Mercurium debellat Mars, non audiens ratio-
 nes, & saeuens contra auctoritatem. Mar-
 tem & Solem debellant Saturnus & Venus,
 haec lasciuia, ille dolis. Martem & Lunam
 Sol & Iupiter destrunt, auctoritate, digni-
 tate & veritate. Ob hoc christiani erigite
 capita; qui potest capere, capiat; de supple-
 mento Almanach cap. XXII. Immo alibi
 eo vsque insaniae progreditur, vt, christia-
 niae religioni finem & interitum imminere,
 ex astris colligat. Cum enim ad PROLO-
 MAEI tetrabibl. libr. II. cap. IX. text. LX.
 thema Christi genethiacum, de quo de in-*

724 CAP. IX. DE GENERIBUS VPERST. QUAE INDIR.
ceps, exposuisset; *naturaliter*, addit, *legem
christianam esse legem pietatis, optimeque in-
stitutam, nullamque habituram finem, nisi
post reditum eclipticarum, in quo fiat nouus
status vniuersi.* Similia & alii habent.
THOMAS CONTRA CAMPANELLA, ex astris col-
ligit, instare tempus, quo totus mundus ad
cultum veri Dei sit perducendus, *de sensu
serum, pag. 64.* Ne quid autem ad extremum
stultitiae ac impietatis gradum decisset, fue-
runt etiam, qui ipsius seruatoris genesis astris
submittere non dubitarunt. Haud vltimum
inter eos iterum locum tenet, HIERONYMVS
CARDANVS, qui sententiam hanc, quam, vt
ipse fatetur, per viginti annos timide fuit,
neque ausus fuit edere, tandem tamen com-
mentario suo in PTOLOMAEI *libr. II. de astr.
ind. cap. IX. text. LIX.* inseruit; cuius sum-
mam exhibet GEORGIVS PASCHIVS, de *in-
uentis nou- antiquis cap. VII. §. XVII.
pag. 587.* Immo & patronum atque defen-
sorem nactus est IO. BAPTISTAM MORINYM,
qui in *praefat. apologet. astrologiae gallicae*
causam eius strenue egit. Nec tamen aut
solus aut primus fuit Cardanus, quem ista
dementia copit; etsi stolidam ambitione ab-
reptus, aliorum exemplo ad sui defensionem
vti noluerit, ne tam pulchri inuenti se
ipsum priuaret gloria. Recentissimus au-
tem inter eos, qui ante illum simile
quid

CIRCA NUMINIS CULTVM VERSANTVR. 725
 quid tentarunt, est Tiberius Russilianus
 Sextus, Calaber, qui sub Leone X pontifice
 vixit, & cum ob istam audaciam aliorum
 censuris vexaretur, *apologeticum aduersus cu-*
collatos edidit, vbi thema natiuitatis Christi
 sub tribus diuersis schematibus exhibuit,
 vel vt GABRIEL NAVDAEVS, in *iudicio de Car-*
dano loquitur, *tria Christi geneseos themata*
secundum tres rationabiles differentium do-
ctorum opiniones luculenter enarrauit. Ante
 eum idem fecit Petrus de Alliaco, archi-
 episcopus Cameracensis, qui circa initium
 seculi decimi quinti floruit, in *elucidaria*
astronomicae concordiae. Huic autem exem-
 plum iam praenit Albertus magnus, cui
 eruditionis gloria pro temporis istius, quo
 vixit, conditione, non est deneganda, etsi
 idem simul a quibusdam artibus superstitio-
 sis, immo ipsi magiae addictus credatur, ab
 aliis tamen defensus aut excusatus. Primus
 omnium vero, qui ad hanc impietatem ani-
 mum adiecit, fuit Albumasar, qui circa an-
 num Christi DECC XLIV vixisse ereditur, &
 non tantum Muhammedis, sed & Christi
 seruatoris vitam astris alligare non erubuit.
 Legenda, quae de hisse ex GABRIELIS NAV-
 DAEI *iudicio de Cardano* antea laudato, in
 medium adfert PETRVS BAEIIVS, in *dition.*
historico-crit. voc. Cardanus pag. 806. add.
 GEORGIVS PASCHIVS, *de inuentis non-anti-*
quis,

716 CAP. IX. DE GENERIBUS SUPERST. QUAE INDIR.
quis, cap. VII. §. XVII. pag. 587. seqq. 10.
ANDREAS SCHMIDIUS, theologus Helmsta-
diensis clarissimus, in *dissertat. de themate
Christi natalitio*, & IOAN. FRID. MAYERVS,
*dissert. I. verum fata religionum dependant
ab astris, §. III.* Non ergo est, quod quis
mireretur, fuisse, qui & B. Martini Lutheri
fata, simulque, quam tam felici successu
aggressus est, ecclesiae reformationem, ex
astris deriuarent; in malam quidem cuncta
interpretantea partem, & haereticos quam
uocant, ortum, aeque ac tanti haere-
sarchae natiuitatem, in siderum adspectus
conferentes. Agmen hic iterum ducit HIE-
RONYMVS CARDANVS, in *libro de genituris
cap. XL*. Idem fecit FRANCISCVS IVNCTI-
ONVS, referente & adprobante FLORIBVNDO
RAIMVNDI, *lib. I. de origine haeresum. cap. V.*
& alii. Hi vero omnes non potuerunt
non turpiter se traducere, cum de anno
natali Lutheri nihil certi constet. Lepidum
vero proflus est, quod, cum ipsi illi aucto-
res, qui Lutheri fata astris tribuunt, de anno
natiuitatis inter se dissentiant; in euentibus
tamen, qui illis iam noti erant, consentiant
egregie; quo nomine & illorum stulticiam
ridet PETRVS GASSENDVS, *tom. I. opp. p. 505.*
conf. & IO. FRID. MAYERI *dissertat. I. vtrum
fata religionum pendeant ab astris? §. I. II.*
Atque ex haecenus quidem dictis, vt & im-
pictas

CIRCA NUMINIS CULTVM VERSANTVR. 717
pietas & vanitas astrologicae artis satis elu-
cescit, ita nemo quoque temere dubitave-
rit, eos, qui illam exercent, aut fidem ei ad-
hibent, recte *superstitionis* argui. Non
negauerim, fieri posse, vt per astrologiam
aliquis & ad atheismum seducatur; quem-
admodum & nonnullos astrologos inter
atheos relatos constat, vti de ipso HIERO-
NYMO CARDANO supra *cap. I. §. XXIV.* ob-
seruauimus; simul tamen fatendum, &
raro id fieri, & inter omnes atheos eos me-
rito pro ineptissimis haberi, vt itidem *cap. II.*
ad *§. IX.* ostensum. Dum vero plerique
astrologorum Deum quidem admittunt,
eumque se colere sibi persuadent; & ni-
hilofecius homines, astrorum imperio eos
subiiciendo, omni libertate, Deum autem
reuera providentia & mundi gubernatione
priuant, eam, quam sequuntur, colendi
Deum rationem non modo perversam, sed
reuera ridiculam esse, adeoque non alio,
quam superstitionis nomine insigniendam,
nemo non intelligit. De reliquis artibus
diuinatoriis, quarum quaedam cum astro-
logia arctissimo vinculo coniunctae sunt,
deinceps dicemus.

§. V.

Nec in coelo modo, sed & in tel-
lure nostra innumera fere superstitiosa

728. CAP. IX. DE GENERIBUS SUPERST. QUAE INDIR-
credulitas iuuenit, quae in rem suam
vertat, & quibus ceu scopulis quibus-
dam adhaerescat. Namque & radici-
bus quibusdam, plantis, gemmis, lapi-
dibusque, & partibus animalium, eius-
modi efficaciam & virtutes tam mirabiles
tribuunt, quibus non tantum non gau-
dent, sed quae indoli etiam eorum ac
naturae prorsus repugnant.* Idem &
de litteris, vocibus, signis, characteribus,
similibusque stolidae vanitatis monu-
mentis, observandum.** itemque, de
amuletis, periaptis, & aliis superstitio-
forum hominum commentis longe in-
optissimis.*** Tandem & eodem ha-
bendi loco, qui prosperum aut infaustum
rerum euentum ex rebus variis, quae ca-
sa fortuito illis obveniunt, deriuantes,
omnia ubique captant.* Hi vero omnes
non ignorantiam modo suam & cre-
dulitatem, sed & diffidentiam in Numi-
nis providentiam prodentes, relictoque
ordine diuinitus praescripto, nimia, quod
cupiunt, obtinendi aviditate abrepti, ad
inuisitata, singularia, yetita prolabentes,
a superstitione, qua Deum grauissime of-
fendunt, absolui nequeunt.**

* Sic

Sic gemmis quibusdam virtutem fugandi daemones, & spectra repellendi, plantis quibusdam, & animalium nonnullorum partibus, certa ratione adhibitis, virtutem aliorum amorem nobis conciliandi, aut alios etiam adducendi, vt dormientes secreta quaevis reuelent, tribuunt; & quae alia sunt eiusdem generis, in libro de *virtutibus lapidum, herbarum, &c.* aliisque scriptis, quae sub ALBERTI magni nomine circumferuntur; in ALEXII PEDEMONTANI, *libris septem de secretis*; ANTONII MIZALDI *centuriis memorabilium*, IOAN. BAPTISTAE PORTAE *magia naturali*, IO. IACOBI WEGNERI *libris septendecim secretorum*, similibusque, obuia. Nonnulla quoque huc spectantia refert, & lepidissime exagitat, auctor ingeniosissimus, libri gallicano idiomate scripti, sed in germanicum translati, *Historie oder Erzehlung der seltsamen Einbildungen, welche Monsieur Oufle aus Lesung solcher Bücher bekommen, die von der Zauberey &c. und andern aberglaubischen Dingen handeln &c.* cum primis *part. I. cap. VII. & VIII. p. m. 59. seqq.* Non equidem negauerim, plantarum, animaliumque rerum corporearum vim & efficaciam non prorsus nobis cognitam esse; sed ea, quae in fugandis daemonibus, in flecendis hominum animis, & quae alia eiusdem generis sunt, distribuitur, ita comparata est,

vt, cum nullus, immo ne possibilis quidem inter causam & effectum deprehendatur nexus, non possit non inter inania, vanissimaeque hominum superstitionum commenta, referri.

* Exemplum vel illi praebent, qui per verba, signa, & characteres eiusmodi, varia morborum genera curari posse, existimant. Quae de re GEORGIUM PASCHYUM audire iuvat: *Præter hæc est & alia, celebrata a multis curatio, qua difficiles ac periculosi morbi plurimi nulla prorsus vel potione medica, vel aliis sumtis pharmacis sanantur. Fitque illa, quam recte dixeris magicam, vel per verba, vel per characteres. Verba, quae vel demurmurari solent, vel clara voce pronuntiantur, sunt vel ἀσημαντά, siue significantia, vel ἀσημαντά, siue non significantia. Huius generis sunt illa lippis & tensoribus nota vocabula: Abracadabra, Sator, Arebo, Tenet, Obera, Rotas; item: Churnat, Cara, Sarite, Abrac, Aman, Gibel, Got, Irioni, Kbiriori; & quorum ad luxationis & fracturae curationem usus est: Matas, Denatas, Daries, Dardarias, Araries &c. aliaque stoliditatis plena quam plurima, ab auctoribus passim notata, quae hic recensere operae pretium non est. Vocum autem significantiam aliae sunt peregrinae, ex graeco, ebraeo, aliisque linguis,*

linguis, arcessitae, aliae domesticae, eaeque vel profanae, vel sacrae, harumque imprimis magnus, grauissimum Numinis vindictam inturrens, abusus est &c. Interiectis deinde nonnullis, de characteribus idem auctor ita pergit: Ad characteres quod attinet, Theophrastus Paracelsus prae aliis in eo est, ut varios diuersissimosque praescribat modos, quibus plurimi morbi facillime depellantur, quam quidem per signa curandi methodum licet ex minus probato fonte oriri, ipse harioletur, integrum tamen esse scribit, de causis morborum inuisibil. qu aest. l. pag. 34. a diabolo remedia recipere, cum in hominum salutem ea cedunt. Habuitque is inter alios vanissimae suae artis magistrum Quintum Seuerum Samonicum, seculi post Christum natum tertii medicum; qui inter carmina, quae de febris scripsit, contra hemitritaeum sequentem composuit conam, collo appendendum: ABRACADABRA &c. de inuentis nou-antiquis, cap. VI. §. XXIII. pag. 393. 394. Verfus, quibus Quintus Seuerus Samonicus hocce arcanum expressit, hi sunt:

Inscribes chartae, quod dicitur ABRA-
CADABRA,

Saepius & subter repetes, sed detrabe
summam,

Et

Et magis atque magis defint elementa figuris,

Singula quae semper rapies, & cetera figes,

Donec in angustum redigatur litterarum conuulsum,

His lino nexis, collum redimire momento &c.

Vnde ista superstitio, de Abracadabra, quae hodie adhuc perdurat, orta sit, non temere dixeris. Non contemnenda tamen videtur coniectura IO. SELDENI, a Basilidianorum Abraxas eam ortam esse. Certe, Samonicus, ut idem obseruat, praceptor Gordiani iunioris erat, haeretici autem Basilides & Valentinus, centum plus minus annos eum anteuertunt, & sub Adriano & Antonino philosopho, puram religionem inquinant; de diis Syris syntagm. I. cap. II. pag. 118. 119. Ad rem ipsam quod attinet, non temere quisquam, nisi rerum omnium ignarus dixerit, ipsarum litterarum, vocum, characterum, quandam ad hosce effectus producendos vim ac efficaciam esse posse. Certe, qui eiusmodi quid sibi persuaserit, quod rationi tam manifeste repugnat, cum ipsa ratione, si modo aliquam habet, insanire dicen-

CIRCA NVMINIS CVLTVM VERSANTVR. 733
dicendus est. Quodsi autem vnquam literae, voces, characteres, similiaque aliquid effecisse videntur, tum aut imaginationi hominum id tribuendum, cuius in curandis morbis vim singularem & prorsus admirabilem esse constat, aut fatendum, & daemone hic intercessisse operam, quo quidem sensu eiusmodi morbos curandi ratio recte magica dicitur.

*** Amuleti, vel vt alii loqui malant, amoleti (ab amoliendo dicti) nomine corpus aliquod venit, characteribus, imagine & figura certa insignitum, vi singulari ad pellendos morbos, mala quaeuis auerruncanda, aliosque effectus mirabiles edendos, praeditum. Quaedam de coelo delapsa putantur, plurima vero arte parantur. Illa, si nonnullos audias, vel maiora sunt, vt Graecorum paladium, & ancile Romanorum; vel minora, vt nummi quidam aurei, quos nonnulli coelo delapsos, nescio, maiorine stoliditate fingant, an impudentia alijs persuadere conentur. Arte comparata amuleta vel maiora itidem statuuntur, vel minora. Illa formas animalium aemulabantur, quandoque etiam ad formam humanam efficta, vel integram statuam, vel partem referebant. Haec vero corporum naturalium siue integrorum, siue mutilorum speciem

734 CAP. IX. DE GENERIB. SUPERST. QUAE INDIR.
ciem exhibent, rebus artificiosis, annulis,
gemmis, & lapidibus pretiosis, non exclusis.
Huc & lamellae signorum zodiaci, & pla-
netarum, sub certa constellatione fabrica-
tae, pertinent; vid. GEORGIVS PASCHIVS,
de inventis non-antiquis. cap. VI. §. XXIII.
pag. 305. seqq. Eiusdem fere commatis
sunt figurae Talismanicae, seu simulacra,
vel imagunculae, sub certa constellatione
confectae, quibus praeter vim varios effe-
ctus mirabiles edendi; etiam facultatem
quandam ad interrogata respondendi, &
praedicendi futura, tribuunt. Eas non vnus
esse generis, intelligere licet ex iis, quae
IAC. GAFFARELLVS de iis tradit, in *curiosi-
tatibus inauditis, cap. VI. pag. 102. seqq.* cum-
primis autem ex iis, quae copiose & eru-
dite ad h. l. notauit GREGORIYS MICHAELIS,
num. LIX. pag. 257. seqq. Sunt non-
nulli, qui figuras hasce Talismanicas a ve-
terum Teraphim, quorum in historia sacra
tam tempore Iacobi patriarchae, mentio in-
iicitur, deriuandas censent; quod si verum
esset, summam illorum antiquitatem ar-
gueret. Verum horum neutiquam certo
nitiatur fundamento sententia. Teraphim
namque antiquissimis temporibus nihil aliud
erant, quam statuae, quas nonnulli maibri-
bus suis ad memoriam eorum conseruan-
dam conserabant, mox autem accedente
super-

superfitione, ad benedictionem a maioribus impetrandam, cultu diuino prosequerentur. Post Moſis vero demum tempora, cum magicae artes apud Chaldaeos incrementum ſuſſerunt, diuinationis quoque facta ſunt instrumenta, quod qua ratione intelligendum ſit, in *hiſtor. eccleſiaſt. veter. teſtam. ad period. I. ſect. III. ad §. XXII. pag. 428.* expoſui. Inde vero nondum conſtat, Teraphim imagunculas fuiſſe ſub certa conſtellatione, ad effectus mirabiles edendos, fabricatas. Veterum etiam haereticorum, ſpeciatiſſime Baſilidianorum gemmae, vocem notiſſimam *Abraxas*, quod ſummi Dei, vt nonnulli putant, apud eos nomen fuit, referentes, an ſatis accurate pro figuris Talismanicis habeantur, dubito; inter amuleta magica recte eas referri, certum eſt. Legendus de iis IOAN. MACARIUS, canonicus Arienſis, in diſquiſitione poſthuma, de *gemmis Baſilidianis*, quae inſcribitur: *Abraxas*, ſeu *Ariſtopiſtus*, quam IOANNES CHIFLETIVS, canonicus Tornacenſis, publici iuris fecit, ſimulque & aliam ipſe diſſertationem adiunxit, quae inſcribitur: *Abraxas Proteus*, ſeu *multiformis gemmae Baſilidianae portentosa varietas*, in qua centum & viginti gemmas Baſilidianas exhibet, & commentario illuſtrat; Antuerpiae anno M DC LVII 4to. Quicquid huius ſit, iam antiquis

736 CAP. IX. DE GENERIB. SUPERST. QVAE INDI-
antiquis temporibus, Talismanicas figuras in
vfu fuisse, & apud orientales populos, cum pri-
mis Arabes, superstitioni, speciatim astrolo-
giae admodum addictos, originem accepisse,
non abnuerim. Seculo post Christum na-
tum decimo tertio ROGERVM BACONEM, &
decimo quarto PETRV M APONENSEM, artem
eiusmodi figuras conficiendi professos esse,
constat, virisque eruditis est observatum;
conf. GEORGIVS PASCHIVS, de *inuentis non-
antiquis*, cap. VI. §. XXIV. pag. 399. Nec
recentiori aetate defuisse, qui tum figuris
eiusmodi Talismanicis, tum aliis amulectis
vim quandam singularem tribuerent, pre-
tiumque eiusmodi nugis statuerent, Henrici
Cornelii Agrippae, Theophrasti Paracelsi,
Iacobi Gaffarelli, aliorumque exemplis con-
doceri potest. Et GAFFARELLVS quidem,
in *curiositatibus*, quas vocat, *inauditis*
cap. VI. pag. 102. seqq. valde operosus est,
vt Talismanicas imagines defendat. Id vel
inscriptio capitis docet: *posse secundum ori-
entales figuras quasdam certo coeli positu*
*confici, quae naturaliter, & absque daemou-
num ope animalia noxia depellant, ventos,*
flumina & tempestates auertant, variis de-
miique morbis medeantur. Tribus vero ma-
xime argumentis istam figurarum vel ima-
num efficaciam probare auctur: quorum
primum ab astrorum influxu petitur, est,
alterum

alterum a vi *συμπάδελος* seu similitudinis, tertium denique ab experientia. Ab ultimo, in quo maximum haud dubio causae praesidium ponit, dum orditur, exempla plurima cumulat, quibus putat, istam imaginum efficaciam probari posse. Ad quod tamen quid respondendum sit, quilibet, non prorsus perfunctorie cuncta secum expendens, facile intelligit. Ne quid enim de eo dicam, quod testimonia auctorum, ex quibus exempla ista depromsit, non vno omnia habenda sint loco, immo quaedam ita comparata, ut non sine ratione in dubium vocari queant, de effectu quidem, si locum inueniant, certiores nos reddere possunt, minime autem de causa, naturalisne sit, an praeternaturalis? Neque enim de eo quaestio est, an eiusmodi imagines aliquando efficaciam quandam, e. g. in morbis pellendis, habeant. Hoc enim non prorsus negauerim. Sed de eo quaeritur, num effectus hic naturalis sit, an vero daemone auctorem habeat? Praeterea, num effectus per se causam sequatur? quaeritur, non autem, an id per accidens fiat. Intercedente enim hominis imaginatione, effectum salutarem aliquando sequi posse, nemo temere inficiatus fuerit; qui tamen imagini eiusmodi vel figurae, ceu causae, tribui nullatenus potest. Corripit hinc alterum auctoris

Aaa

argu-

738 CAP. IX. DE GENERIB. SVPERST. QVAE INDIV-
 argumentum a *συμπάθεια* petitur. Quem-
 admodum enim voces istae *συμπάθεια* &
ἀντιπάθεια non alio loco habendae, quam
 reliquae qualitates occultae, quibus, qui
 istis utuntur, non tam phaenomenorum na-
 turalium causam reddunt, quam suam profi-
 tentur ignorantiam; ita in explicanda ista
συμπάθει efficacia auctor ad ea dilabitur,
 quae vim quidem singularem imaginationis
 probant, causam tamen, quam defenden-
 dam suscepit, parum iuuant. Reliqua au-
 tem aut nihil probant, aut digna non
 sunt, quae in censum veniant. De tertio,
 quod antea primo posuimus loco, quid iu-
 dicandum sit, argumento, astrorum scilicet
 influxu, patet ex iis, quae supra de astro-
 logia fuse disputauimus. Ad obiectiones
 quidem secus sentientium respondere cona-
 tur GAFFARELLVS, *loc. cit. cap. VII. pag. 137.*
seqq. sed ea ratione, ut causae suae im-
 becillitatem prodat potius, quam ut ro-
 bur aliquod seu praesidium illi adferat.
 Nihil itaque aliud superest, quam ut haec
 omnia *πρετέγοις* illis, igne dignissimis,
 quorum *Aster. XIX. 19.* mentio iniicitur,
 annumeremus. Iureque adeo & in veteri
 ecclesia, qui talia aut vsurparent, aut confi-
 cerent, aut artes eiusmodi profiterentur,
 damnati sunt, & ab ecclesiae communione
 remoti, ut vel ex concilii Laodicensi, *can.*
XXXVI.

XXXVI. liquet: *Quod non oportet eos, qui sunt sacriati vel clerici, esse magos vel incantatores, vel mathematicos, vel astrologos, vel facere ea, quae dicuntur amuleta, quae quidem sunt ipsarum animarum vincula; eps autem qui ferunt, eici ex ecclesia iussimus.* Immo ab ethnicis imperatoribus, quod mireris, ista superstitio prohibita, grauiterque punita fuit. De Antonino namque Caracallo AELIVS SPARTIANVS refert: *damnati sunt, & qui remedia quartanis tertianisque collo annexa gestarent: in vita Antonini Caracalli cap. V. pag. m. 716.* Ad quem locum quae IS. CASAVBONVS notat, cum obseruatu digna sint, hic legisse, poenitebit neminem: *Plena sunt monumenta Graecorum, & Latinorum huiusmodi remediis. Graeci περίαπτα & περιάμματα, interdum & ἐξαρτήματα nominant. Fere autem cum magicorum verborum susurro ista amuleta adhibebantur; quam vanitatem omnium seculorum sapientes damnarunt. Mirum vero, adeo seuerè in eos, qui talia remedia gestarent, ab eo principe, omnium, nisi fallor, primo, fuisse animaduersum; quem curiosis artibus fuisse deditissimum, testibus Dione & Herodiano constat nobis. Ita nempe videas liuidinosissimum quemque principum legem Iuliam de adulteriis plurimum saepe vrsisse. Haesit diu in animis veterum christianorum*

approbatio & studium horum remediorum. Quare Ioannes Chrysoſtomus, & alii pii ſanctique viri, multis locis ſcriptorum ſuorum grauiffime in eos ſunt inuecti, qui more pagánico περιεργα annederent; extantque de horum poenis canones multi in antiquis patrum conciliis &c. A chriſtianiſ imperatoribus deinceps itidem leges variae conditae ſunt, quibus tum hoc genus, tum aliae ſpecies omnes vitatarum actuum coërcebantur. De Conſtanti temporibus verba faciens AMMIANVS MARCELLINVS, nam ſi qui, inquit, remedia quartanae vel doloris alienius collo geſtaret, ſive per monumentum tranſiſſe veſpere malefactorum argueretur iudiciis, ut venenſis, ſepulchrorumque horrores, & eruantium ibidem animarum ludibria colligens vana, pronuntiatus veſis capitis interibat, libr. XIX. cap. XII. pag. 13. 251. Ad quem MARCELLINI locum quae FRIDERICVS LINDENBROGIVS notauit, itidem lectu ſigna ſunt. Sed mitto reliqua, quae hac ſe re dici poſſent.

- Ominum eiuſmodi caſpationo, vt longe frequentiffima olim apud ethnicos fuit, ita nec hodie inter chriſtianos deſiat, immo tam firmiter ſanctorum animis inſixa haeret, vt inde vix coelli poſſe videatur. Et ad ethnicos quidem quod attinet, non deſuerunt

inter

CIRCA NUMINIS CULTVM VERSANTVR. 741
inter eos, qui homines omnia captantes
superstitionis arguerent. Qua de re ipsum
THEOPHRASTVM audire iuvat, qui super-
stitiosum hominem delineans, haec de eo
obseruat, quae breuitatis studio latino tan-
tum idiomate referemus: *Superstitiosus vero
is est, qui elatis manibus & aqua lustrali
adpersus e templo, folium lauri tenens, in-
tegrum diem ita ambulet: Si viam mustela
ingrediente eo transcurrerit, non ante pro-
gredietur, quam alius prior transierit, aut
ipse tres lapides trans viam miserit. Ser-
pentes si viderit in aedibus, facellam eo
loco aedificet. Lapides vitulos, qui sunt in
trinitate, solet oleo ex ampulla perfundere,
nec prius discedere, quam posita genua eos
fuerit veneratus. Quod si mus forte farinae
folium arrosarit, adit ad interpretem, &
quid factu sit opus, eum percontatur; qui
si respondeat, serdani nimirum tradendum
esse illius folium, ut sarciat, superstitiosus
iste, neglecto arioli responso, religioni rem-
bans, exinanitute saccum a se amouetur.
Solet etiam domum crebro purificare; se-
pulchrum nullum insistere; ad defuncto-
rum iussa nullus accedere, neque item ad
vltimam unquam puerperam. In somnium
porro si viderit, pergere ille ad somniorum
interpretes, ad diuinos, ad augures, scisci-
taturus, cui Deo, cui Deae vota sint facien-
da.*

742 CAP. IX. DE GENERIB. SUPERST. QVAE INDIR.
da. Et vt sacris initietur, ad Orpheote-
leſtas ſingulis menſibus cum uxore, aut, ſi
uxori non vacet, cum nutrice & ſoliolis ſuis
ſtat. Praeterea in compitis, antequam inde
diſcedat, aqua in caput aſperſa ſe laſtrat. Pia-
tricibus quin etiam aſcitis iubet ſe ſquillae
aut catuli circumlacione purgari. Quodſi
quem mente captum aut comitiam viderit,
ſolet inborreſcens in ſnam ſibi deſpuere; in
characterib. morum, cap. de ſuperſtitione pag.
m. 47. Non luculentius ſane iſta circa
omina ſuperſtitione deſcribi poterat. Audire
tamen etiam hac de re AVGVSTINVM iuuat,
cuius eo lubentius verba recito, quod ſimul
eam, de qua antea diximus, ſuperſtitionem,
quae verbis, characteribus, ſimilibusque re-
bus vim ſingularem tribuit, perſtringit. Ad
hoc genus, inquit, pertinent omnes etiam li-
gaturae, atque remedia, quae medicorum
quoque diſciplina condemnat, ſive in praecan-
tationibus, ſive in quibusdam notis, quas
characteres vocant, ſive in quibusdam rebus
ſuspendendis atque illigandis, vel & ſal-
tandis quodammodo, non ad temperationem
corporum, ſed ad quasdam ſignificationes, aut
occultas aut etiam manifeſtas; quae mitiore
nomine phyſica vocant, vt non quaſi ſuper-
ſtitione implicare, ſed natura prodeſſe videan-
tur, ſicut ſunt in aures in ſummo aurium ſin-
gularum, aut de ſtruthionum oſſibus anſulae

CIRCA NYMINIS CVLTVM VERSANTVR. 743
in digitis, aut cum tibi dicitur singultienti, ut
dextera manu sinistrum pollicem teneas. His
adiunguntur millia inanissimarum observatio-
num, si membrum aliquod salierit, si iunctim
ambulantibus amisis lapis, aut canis, aut puer
medius interuenerit; atque illud, quod lapi-
dem calcant, tanquam diremtores amicitiae,
minus molestum est, quam quod innocentem
puerum colapho percutiunt, si pariter ambu-
lantibus intercurrerit. Sed bellum est, quod
aliquando pueri vindicantur a canibus. Nam
plerumque tam superstitiosi sunt quidam, ut
etiam canem, qui medius interuenerit, ferire
audeant, non impune; namque a vano reme-
dio cito interdum ille percussorem suum ad ve-
rum medicum mittit. Hinc sunt etiam illa;
limen calcare, cum ante domum suam transit;
redire ad lectum, si quis, dum se caleat, ster-
nutauerit; redire domum, si procedens offen-
derit; cum vestis a foricibus roditur, plus
timere superstitionem futuri mali, quam prae-
sens damnum dolere. Vnde illud eleganter
dictum est Catonis, qui, cum esset consultus
a quodam, qui sibi a foricibus erosas caligas
diceret, respondit: non esse illud monstrum,
sed vere monstrum habendum fuisse, si forices
a caligis roderentur; de doctrina christiana
libr. III. cap. XX. pag. m. 20. Nec tantum
homines plebeios, sed magnae etiam digni-
tatis viros tam ridicula superstitione labo-

744 CAP. IX. DE GENERIBUS SUPERST. QUAE INDIR-
raffe, deprehendimus. De Augusto nam-
que imperatore SVETONIUS refert, eum
auspicia quaedam & omnia pro certissimis ob-
servasse. Si mane, inquit porro, sibi calceus
perperam, & sinister pro dextero induceretur,
ut dirum; si terra mariae ingrediente se lon-
ginquam profectioem forte vorasset, ut lae-
tum, maturique & prosperi reditus. Sed
ostentis praecipue movebatur. Eratam inter
iuncturas lapidum ante domum suam palmam,
in compluvium deorum penatium reanstitit,
utque coalesceret, magno opere curavit, &c.
in Augusto cap. XCII. iam antea cap.
LXXXIII. de eodem dixerat: pumilos atque
distortos, & omnes generis eiusdem, ut ludi-
bria naturae, malique ominis abhorrebat.
Immo huc tota hauspicum atque augurum
pertinet disciplina, apud Romanos adeo de-
cantata, irrita quidem a sapientioribus, non
alio tamen fundamento, quam quod omnia
praebent, innixa; de qua praeter CICERO-
NEM ipsum libris duobus, de *divinatione*, Ro-
manarum antiquitatum scriptores legendi,
speciatim BURCARDVS GOTTHELF STRUVIUS
noster, in *syntagma antiquitatum Romanar.*
cap. VI. pag. 252. seqq. Iungenda & ANDR.
CHRISTIANI ESCHENBACHII dissertatio, de
auguriis veterum, quae nona est inter dis-
sertationes eius *academicas* iunctim editas,
pag. 551. seqq. ut reliquos, qui hac de re ex
insti-

instituto egerunt, mittam; laudatos iam IO.

ALBERTO FABRICIO, *bibliograph. antiquar.*

cap. XII. pag. 410. & 411. Romanos cum

aliis idololatriæ & superstitionis generibus,

istam quoque omina & auguria captandi

disciplinam, ab orientis populis, eiusmodi nugis

ad insaniam usque deditis, accepisse, non

est, quod dubitemus. Apud hos enim cum

reliquis artibus diuinatoriis hanc quoque in

vsu fuisse, neminem fugit. Quin immo &

ipse Moses iam huius rei mentionem inie-

cit; siquidem *Deut. XVIII. 10.* **עִוְיָנוֹס**,

hoc est, *οἱ οἰωνίζοντες*, ut LXX interpre-

tes vertunt, commemorantur; quo nomi-

ne ominum eiusmodi captatores indigitari,

iam obseruatum, in *hist. eccles. ver. septim.*

ad period. II. sect. I. §. XXXVI. pag. 777.

Ab ethnicis ad christianos hanc superstitionem

transiisse constat; &, nisi experientia

doceret; veterum ecclesiae doctorum nos

minime sinerent dubitare testimonia. Ipse

IO. CHRYSOSTOMVS, *orat. XXI. ad populum*

Antiochenum, hac de re conqueritur, simul-

que exempla stolidæ istius vanitatis adfert:

τι ποτ' ἐστὶ συμβολὰς ἁπλῶς πολλὰ καὶ ἐξελ-

θῶν τις τὴν οὐρανὸν καὶ ἐαυτῶν, ἰδὼν ἀνθρώ-

πον ἐτερόφθαλμον ἢ χλωρόντι; καὶ οἰωνί-

σατο τὸτο πομπὴν Σατανικῆν. ὁ δὲ ἢ

ἀπάντησις τῶ ἀνθρώπου κοιμῶν κατὰ τὴν

ἡμέραν γενέσθαι, αἰετὸν τὸ ἐν αἰετῶναις ζῆν.

Aaa §

Quid

Quid enim sunt omina, talis ait; quod saepe quis, si domo sua egressus, viderit hominem altero orbatum oculo, aut claudum, & inde ominatus fuerit. Istud est pompa Satânica. Non enim occursum istius hominis facit, ut improspere tibi sit dies; sed quod in peccatis viuas. Et iterum: *εἶπω καὶ ἕτερον καταγελάσσειν; αἰχίνομαι καὶ ἐρυθρῶν; ἀναγκάζομαι δὲ ὅμως διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν εἶπαι· εἰάν ἀπαντήσῃ παρθένη, φησὶν, ἀπρακτὴ ἡ ἡμέρα γίνεσθαι· εἰάν δ' ἀπαντήσῃ πόρνη, δεξιά καὶ χρησὴ καὶ πολλῆς ἐμπορίας γέμυσσά· Dicamne & aliud multo magis ridiculum? pudore suffundor & erubesco; at cogor interim in salutem vestram id dicere.*

Si virgo obuiam fiat, ait, hic dies (mibi) fit improspere. Si vero occurrat meretrix, opportunus ille dies, & utilis, & lucrosus est.

Plura eiusdem generis qui desiderat, is ad-
eat ANTONII VAN DALE, *dissertationes de origine & progressu idololatriæ, dissertat. III. pag. 364. seqq.* Hodie adhuc nihil temere

frequentius esse, apud homines superstition-
fos, ominum variorum captatione, satis
interdum ridicula, notum omnibus est.
Exempla etsi pro dolor! quotidie sicut ob-
uia, apud IOANNEM CHRISTOPHORVM MAN-
LINGIVM legere licet, in libro germanico
idiomate edito: *Denckwürdige Curiositäten
derer so wohl inn- als ausländischer aberglau-
bischen*

bischen Albertaten, als der weiten Welt allgemeinen Gözens, &c. capite cumprimis XIII. pag. 296. seqq. Atque ex haftenus dictis characterem hominis superstitioni intelligere licet, quem & eleganter atque concinne exhibet vir doctissimus, ingeniosissimusque, SAM. WERENFELSIUS, in *dissertat. de superstitione in rebus physicis p. m. i.* Malum, inquit, superstitionem designans, non infrequens, at bonae menti inimicissimum, quod si quis semel imbibit, nihil tam ridiculum, atque ab omni veritatis specie alienum est, quod fidem apud ipsum non inueniat. Omnia hic timebit somnia; ad omnia expauescet omina; nunc canis illum, nunc cornix, nunc vlula terreat; si, quot annos sit victurus, scire auet, ex cuculo, id quaeret; quoties dextra auris tinniet, laetabitur; sinistra, moerebit; quoties amabit, philtrem sibi datum conquiretur. Nihil incipiet, quin prius calendarium inspexerit,

capiendo nulla videtur

Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosyris.

Siderum ignes peius metuet, quam cum proximus ardet Vcalegon. Venam sibi secari non patietur, nisi impetrata a planetis venia. Semen terrae non committit, cum terra, sed
cum

cum luna id inferit. Caput tenderi iubebit,
 cum luna est in Leone, ut capilli instar
 villorum leonum erigantur, aut in ariete,
 ut instar cornuum arisistorum crispentur.
 Quicquid confiteri solet, crescente hoc fidere,
 quod sensus dicitur, deprecatur, inchoabit.
 Cum in tauro bonus est, non potest adduci po-
 tesse, ut medicamentis hauriat, ne animal
 hoc nimians medicamentis esomere cogat.
 Vitabit mare, quod in tauro est in medio
 coeli, ne bellator ipse Deus piratas aduersus
 se suscitet. Arcoriam feret in Tauro, ut
 signum hoc, quod fixum astrologis appellari
 solet, altius eam in terram desigat. Si
 quando adire voles principem, expectabit,
 donec luna conficiatur sole, tum enim salu-
 tarius est minoris cyru maiore societas. Domo
 excedens nobis magis metuet, quam inuidi
 oculi aspectum; peregre abiens, lupi non
 tam dentes timebit, quam improvisum intui-
 tum, ne is facultatem sibi loquendi adimat;
 domum reversus verebitur identidem, ne forte
 basiliscus ex uno galli sui prodent, qui vene-
 ro se aspectu interficiat. Optaret quidem,
 ut bonus sua post mortem ad amissimos redi-
 rent, sed manet ea vestio quibus relinquere,
 quam respicientem exdere, metuent, ne fla-
 tim a condito testamento moriantur. Annum
 clinactericum praetergressus, non aliter la-
 tabitur, ac si ex mortis vngulis elapsus esset.

Si

*Si forte vulneratur, & venter non vul-
neri, sed quod effuscus est, telo, quo
sauciatus est, vitæ. Sed, ut prae-
ptas pilulas pari numero modicam deglutit;
herbis non cretur, nisi fuerit quadam herba
decerptis; morbum vicia quadam arte in-
star germinis transplantabis, cuique volet,
arbori inferet. Etenim non pharmacis ex-
pelles, sed, quod praesens est remedium,
ungues repositos cameroque adhaeratos auersus
post tergum, ut Descartium lapides, ex quibus
nouum hominum genus oritur est; in proxi-
mum finem profectus &c.* Recte vero idem
vir doctus paucis interiectis addit: *En!
superstitioni nostrae imaginem, quae se cui hy-
perbolica videtur, agnoscat, huc usque in-
saniae non omnes venire, hanc iudicii intem-
periem in aliis maiorem, minorem in aliis
esse; ac reperiantur certe, qui haec prope
omnia, hisque ipsis insipientia & credant &
profitentur, &c.*

****** Ut eo rectius cuncta, de quibus haecenus
diximus, diiudicari queant, obseruandam
primo, non quemlibet in rebus physicis er-
rorem statim pro superstitione habendam,
sed si quis vana & inani persuasione ductus,
causis quibusdam eiusmodi effectum tribuat,
qui quo nexu cum causa cohaereat, nemo
mortalium, quantumuis rerum naturalium
peritus, aut ingenii acumine praeditus, per-
spicere

750 CAP. IX. DE GENERIB. SUPERST. QUAE INDIR.
spicere valeat. Deinde, cum, qui inter
causam & effectum intercedit, nexus, vel
generalior vel *specialior* sit; lubentes con-
cedimus, specialiozem saepius nos latere, vt
tamen ideo effectus minime sit in dubium
vocandus, multo minus, qui nexum istum
nescit, & nihilosecius causae effectum tri-
buit, superstitionis arguendus sit. Experi-
entia sane quotidiana docet, multos dari
effectus, de quorum causis non est dubitan-
dum, etsi nemo mortalium nexum specialem
causae & effectus explicare queat. Prae-
terea, cum nexus, qui inter causam & ef-
fectum intercedit, vel *certus*, vel *verisimilis*,
vel *possibilis* sit, manifestum est, eam de-
mum persuasionem superstitionis notam in-
currere, quae effectum cum causa coniun-
git, cuius nexus virorum perspicacium iu-
dicio nec verisimilis, nec etiam possibilis est.
Eleganter haec omnia illustrat, quem antea
iam laudauimus, SAMVEL WERENFELSIUS,
loc. cit. §. II. seqq. pag. 5. seqq. Sunt porro
haec maximam partem ita comparata,
vt directe quidem religionem Numinisque
cultum non attingant, sed ignorantiam
potius, nimiamque credulitatem arguant.
Vnde is ipse, quem modo laudauimus, vir
doctissimus, de *superstitione*, inquit, *hic lo-*
quimur, non quatenus religioni, sed quatenus
rationi aduersatur; non ea, quam theologi

con-

CIRCA NUMINIS CVLTVM VERSANTVR. 751
condemnant, sed quam philosophi vident; non ea, quae crimen est, sed ea, quae stultitia; non denique de ea, quae aut falsum numen, aut verum ineptis ceremoniis placat, aut a daemonibus auxilium expectat; sed de ridiculo quodam in rebus naturalibus errore, qui virtutem causis attribuit, quae illis convenire nullo pacto potest, loc. cit. §. I. Nihiloscius, cum homines eiusmodi ineptiis addicti, mediis a Deo nec ordinatis, nec probatis, ad finem consequendum vtantur, & cum credulitate & stultitia, pravae plerumque coniunctae sint cupiditates, cum filiali insuper Dei timore & fiducia ista conciliari nequeant, nullum plane est dubium, quin ad minimum indirecte cum vera religione, cultuque Numinis genuino, pugnent, adeoque & hoc nomine, ceu peccata gravissima condemnentur merito, atque reiciantur.

§. VI.

Singulari quadam ratione circa tempora, * loca, ** & nomina propria, quae hominibus imponi solent, *** mortalium sese exerit superstitio. Etsi enim manifestum sit, hisce omnibus ad effectus, qui illis tribuuntur, producendos

712 CAP. IX. DE GENERIBUS SUPERST. QVAE IN DI-
dos, nullam vim esse, nullamque effica-
ciam, nihil tamen solennius frequentius-
que, quam ut bona quaedam aut mala
hominibus adferre credantur, adeoque
fatalitas quaedam iis tribuatur. Quod
qui faciunt, ut subinde nimiam creduli-
tatem suam produnt, ita simul in diui-
nam iniurii sunt providentiam.

- * Antiquissimis iam temporibus ea persuasio
hominum animos inuasit, ut quosdam dies
faustos prosperosque, infaustos alijs, crede-
rent. Per associationem enim idearum, so-
lennem admodum plerisque mortalium, fa-
cile admodum contingit, ut tempori, quo
aliquid accidit, tribuant, quod longe
alijs causis tribuendum erat. Hinc itaque
diem, quo sibi aduersi quid euenit, ceu cau-
sam mali, infaustum sibi esse, existimant,
& inde porro concludunt, quoties ille quot-
annis recurrit, eundem semper infaustum
esse. Hinc apud Romanos dies quidam
infausti censebantur, quos & *atros* adpel-
larunt, eo quod olim iis exercitus eorum
clade quadam grauiori adfectus esset, vel
alia quaedam memorabilis calamitas rei-
publicae contigisset. *Dierum vero, inquit*
ALEXANDER AB ALEXANDRO, *quidam fausti*
& *agendis rebus felices, quidam atrii & tristi*
omine

omine infames habiti: quibus aliquid moliri, aut nouae rei inceptare, euentus exitialis erat. In his exercitum conscribere, legiones educere, manum cum hoste conferere, sponsa-
 salia inire, peregre proficisci, aut quidquam publicae vel priuatae rei moliri, incepta foedum & exitiale aestimarunt. Obseruatumque fuit, vt, qui hostes bello tentare, vel acies eo tempore committere curarent, rem in non mediocri periculum discrimenque adducerent, magna postea exitio confecuto. Fuisse autem atros dixere dies post Idus Quintiles ad quintum decimum calend. Sextiles, duplici clade insignes, quo ad Cremeram Fabii caesi, & quo ad Alliam foede Romani a Gallis fusi fugatique fuere: quibus grauiter adflicta & in extremum discrimen adducta Romana res fuit; Sc. *genial. dier. lib. IV. cap. XX. pag. m. 1137. 1138.* Confirmant haec AVL. GELLIVS, *noct. Asticar. lib. V. cap. XVII.* MACROBIVS, *Saturnal. lib. I. cap. XVI.* & ante hos TITVS LIVIVS, *historiar. libr. V. cap. I.* Scriptores quoque Romanarum antiquitatum copiosius hoc edisserere solent. Non tantum vero Romanis, sed alijs quoque gentibus, dies quosdam aut infelices aut fortunatos habitos, exemplis quam plurimis docet is, quem iam laudauimus ALEXANDER AB ALEXANDRO, *loc. cit. pag. 1141.* De Graecorum speciatim diebus auspicijs le-

254 CAP. IX. DE GENERIB. SVPERST. QVAE INDIR.
gendus AELIANVS, *variar. historiar. libr. II. cap. XXV. pag. m. 109. seqq.* Observatum etiam fuit, singulis quandoque hominibus dies quosdam fatales fuisse, vt aut prospera, aut aduersa, aut vtraque, certo anni mensisque die experti fuerint. Sic diem VI Aprilis fatalem ferunt fuisse Alexandro magno, quippe quo natus sit, quo Darium etiam vicerit, & denique mortuus sit. Eodem die, addunt, conflagrasse templum Dianae Ephesinum, in praesagium incendii ab Alexandro per totam Asiam excitandi, immo & Grascos eodem die memorabilem ad Plateas victoriam a Persis retulisse, & in pugna quadam nauali discesisse superiores. Pompeium porro aiunt magnum, natum fuisse die trigesimo Septembris, eodemque ob victorias in Asia reportatas, & occupatam Hierosolymam, triumphasse, sed eodem quoque in Aegypto interfectum esse. Mitto alia eiusdem generis, quae magno numero adferri possent; quorum nonnulla leguntur, in IOANNIS CHRISTOPHORI BECMANNI *lineis doctrinae moralis, cap. VII. §. IV.* Non equidem negauerim, diuinam in hisce subinde arcana quadam ratione se prodere providentiam, adeoque non omnia, quae hac de re traduntur, contemnenda esse promiscue atque reiicienda. Cauendum tamen, ne ad absolutum aliquod Numinis decre-

CIRCA NUMINIS CULTVM VERSANTVR, 755
decretum, aut fatum Stoicum, in prouidentiam diuinam palam iniurium, prolabamur. Cauendum praeterea, ne ipsi tempori, cuius in rebus producendis nulla est efficacia, tribuamus, quae ab aliis causis profecta, certo ac determinato tempore sese exerunt. Hoc enim qui faceret, ignorantiae & superstitionis merito reus censeretur. Minus vero recte etiam a nonnullis huc vaticinia scripturae sacrae de rebus futuris, referuntur, quae certo & determinato tempore euenire debebant, e. g. *Genes. XV. 16. Dan. IX. 24.* In hisce enim quod euentus, etiam qua temporis rationem accuraté responderit, non ob fatalitatem quandam temporis, aut similem causam, factum; sed Deus per omniscientiam suam vidit, isto tempore euentura, quo euentura ea praedixit. Multo vero minus ipsi tempori in hisce euentibus efficacia quaedam tribuenda, quod sine summa stoliditate fieri non posset. Facile autem ex dictis etiam intelligitur, quid de *annis climactericis* censendum, de quibus ex instituto egit **CLAVDIVS SALMASIVS**; conferendus vero etiam est **OENSORINVS**, de *die natali*, *cap. XIV.* legendaque, quae ad *b. l.* obseruauit **HENRICVS LINDENBROGIUS**, *pag. 95. seqq.* Nimirum ipsius temporis, aut numerorum, nullam in hisce vim & efficaciam esse, quilibet

756 CAP. IX. DE GENERIB. SUPERST. QVAE INDIR.
 facile intelligit. Fieri tamen potest, vt ex
 aliis causis, quas recentiores rerum natura-
 lium & medicarum consulti explicant, sen-
 sim mutatio quaedam in corpore humano
 contingat, quae singulis maxime se exerat,
 & conspicua euadat, septenniis. Praeter
 haec commemorata, multa alia sunt su-
 perstitionum circa dies, festos cumprimis,
 & sanctorum nominibus in factis consecra-
 tos, genera, quibus homines plebei ad in-
 saniam vsque dediti sunt, quae in compen-
 dio exhibet IO. CHRISTOPHORVS MAENLIN-
 GIVS, in *den denkwürdigen Curiositäten*
derer so wohl in - als ausländischen Alberta-
ten, &c. cap. VIII. pag. 187. seqq. qui &
cap. IX. pag. 216. seqq. superstitiosas eius-
modi hominum ineptias circa septimanas,
menses, & annos, commemorat.

** Loca quaedam hominibus fatalia esse, iti-
 dem nonnulli sibi persuadent. De Mül-
 berga, ad quam Ioannes Fridericus, Saxo-
 niae Elector, a Carolo Caesare captus est,
 verba faciens AVG. THVANVS, huius loci no-
 men, inquit, *viris principibus male omino-*
sum semper fuisse, a viris curiosis rerum Ger-
manicarum obseruatum est; si quidem ad
Mülbergam in Bavaria Ludouicus IV. impe-
rator, Fridericum ducem Austriae, & Hen-
ricum fratrem, anno M CCG XXIII. Ro-
bertus

bertus item imperator centesimo circiter anno post Bernardum, Badensem Marchionem, ad Mülbergam supra Nemetes cepit; historiar. libr. IV. pag. m. 115. Alia exempla adfert

IOANNES CHRISTOPHORVS BECMANNVS, in *lin. doct. moral. cap. VIII. §. V. pag. 195.*

Sed, quod de diebus, aliisque temporis partibus, diximus, idem & de locis obseruandum. Fieri sane potest, vt in vno eodemque loco calamitas quaedam homines aliquoties excipiat. Quod cum aut casu plane fortuito contingere queat, aut ex aliis causis, occultis iis quidem, procedat, per idearum associationem loco ceu causae effectum tribuunt, cuius tamen in eo producendo, vis nulla, nullaque est efficacia. Hinc tamen imaginatio ad credulitatem prona, fatalitatem locorum fingendi occasionem arripit. Hanc vero si vel maxime experientia confirmaret, certum tamen, non locis, aut eorum fatalitati, sed aliis causis effectum istum tribuendum esse. Interim contingit, vt homines superstitiosi temporum locorumque fatalitatem plus timeant, quam iram Dei; immo per eiusmodi timorem superstitiosum a fiducia in Deum collocanda se auerti patiantur.

*** Varia iterum & multiplex hominum circa nomina propria est superstitio. Qui liberis

758 CAP. IX. DE GENERIB. SUPERST. QVAE INDIR.
 suis, sanctorum celebriumque virorum no-
 mina imponunt, parentes, haud raro sibi
 persuadent, illos non posse non hisce si-
 miles euadere, siquidem idem habeant no-
 men. Plane, ac si nudum nomen per vim
 quandam magicam mentem moresque ho-
 minum mutare, ac ex stupidis ingeniosos,
 ex flagitiosis probos ac virtuti deditos, ef-
 ficere posset. Sunt etiam, ex Iudaeis prae-
 cipue, qui nominum mutationem ad mor-
 bos depellendos, immo ad hominem a mor-
 tis periculo liberandum, plurimum valere
 sibi persuadent. Collegit talia IOAN. CHRIS-
 TOPHÖRVS MAENLINGIUS, in *den denk-
 würdigen Curiositäten derer so wohl in - als
 ausländischen abergläubischen Albertaten,*
cap. XIV. pag. 317. seqq. Solent & subinde
 nomina quaedam fatalia commemorari.
 Nomen Ferdinandi Hispanis, Leopoldi do-
 mui Austriae, Ludouici Galliae auspica-
 tum, Iacobi contra Scotiae regibus infau-
 stum esse creditur; confer. IO. CHRISTOPH.
 BECMANNVS, *lin. doctrin. moral. cap. VIII.*
§. III. pag. 185. Id quidem constat, nomi-
 num impositionem aut mandato Numinis,
 aut eius instinctu, olim factam, mysterio non
 caruisse; quamuis ideo pro sacramento non
 sit habenda, quod nonnullos facere a me
 obseruatum est, in *hisor. eccles. vet. restam.*
ad period. I. sect. I. §. XXV. pag. 129. 130.
 Multo

Multo minus mutatio nominis, Dei mandato facta, mysterii expers censenda; conf. *Gen. XVII. 5. XXXII. 28.* Nec vituperandum illorum institutum, qui liberis sanctorum virorum nomina imponunt, ut horum eo ardentiori studio imitentur virtutes. Sed haec omnia ita comparata sunt, ut superstitio circa nomina, antea commemorata, nullum inde praesidium capiat.

§. VII.

Cum intempestiva maxime futura praenoscendi aviditas multos mortalium ad superstitionem impellat, nec temere quicquam sit, quod non, si in signum aliquod futuri eventus arripiatur, variam interpretationem admittat, plurima hinc orta sunt diuinationum genera, ad fallendos credulos perquam accommodata. Latisime vero ista diuinatoria superstitio patet, cum praeter ea, quae ceu causa ad effectum producendum praebere indicium creduntur, aut modo praeternaturali & efficere quid, vel praedicere posse existimantur, de quibus hactenus dictum, & alia sint, quae nec causae rationem habent, nec praeternaturali

760 CAP. IX. DE GENERIB. SUPERST. QVAE IN DIR.
virtuti, qualis est spirituum, tribuuntur,
& tamen ad futura indicanda apta esse,
stolida prorsus censentur credulitate. In
quibus cum itidem rebus creatis ea tri-
buant, quae soli Deo propria sunt, ani-
mumque in Numinis voluntate minime
acquiescentem prodant, grauius & hocce
peccare, positum est extra omnem con-
trouersiam. *

* Quae superstitiosi homines per ineptam
credulitatem rebus creatis tribuunt, ad duo
reuocari capita possunt. Vel enim ab iis
aliquid *effici* putant, dum e. gr. sanitatem,
morborum depulsionem, diuitias, honores,
prospera, aduersa, & reliqua eiusdem gene-
ris, illis imputant; vel *futurorum* indicatio-
nem ab illis expectant. Quaedam vero ita
comparata sunt, ut utroque nomine super-
stitiosis inserviant, dum & effectum quen-
dam illis ceu causae tribuunt, & futurorum
quoque significationem ab illis expectant;
e. g. mali genii, & astra. Namque a spiri-
tibus malignis & operam seu auxilium in
quibusdam, & futurorum significationem,
homines artibus magicis addicti sibi polli-
centur. Sic & astra efficere non minus,
quam significare prospera & aduersa homi-
num creduntur. Haec vero cum ad prio-
rem

CIRCA NUMINIS CVLTVM VERSANTVR. 761
rem classem, de qua hactenus dictum, me-
rito referantur, nunc autem de iis, quae
alteram classem constituunt, seu ad futu-
rorum indicationem tantum pertinent, di-
cendum sit, ratio facile intelligitur, cur,
cum ultimo loco de superstitione diuinato-
ria agere nobis constitutum sit, *magicarum*
tamen & *astrologicarum* diuinationum iam
in antecedentibus iniecta sit mentio. Factum
namque hoc, ut diximus, ideo est, quia spi-
ritus maligni & astra ad primam obiecto-
rum superstitionis classem recte referuntur,
cum homines creduli non tantum futuro-
rum indicationem, sed alios quandoque ef-
fectus ab iis proficisci posse, sibi persua-
deant, immo interdum ceu causam futuro-
rum effectuum ea considerent. Ad ea ita-
que, de quibus hic loquimur, diuinationum
quod attinet genera, tanta est illorum mul-
tudo, ut numerum inire difficile, de omni-
bus verba facere, magni voluminis res fu-
tura esset. **SAMVEL WERENFELSIUS**, vir
clarissimus, cum bene obseruasset, quia ex
causarum effectuumque minime cohae-
rentium colligatione, ceu foecunda matre,
tot superstitionum genera orta essent, mi-
rum non esse, si eadem ratione innumera
orientur diuinationum genera, hominibus
non minus ad signum ex re qualibet desu-
mendum pronis, prout ex quolibet cuius-

762 CAP. IX. DE GENERIBUS SUPERST. QVAE INDI-
libet facere causam iis solenne est, eleganter
& ingeniose more suo addit: *Hinc tot sunt
diuinandi genera, ab hominibus excogitata,
ut, si nomina eorum paginae huic infarcire
vellem, ultra octoginta Graeca adducerem vo-
cabula, pleraque composita cum nomine par-
teia; prorsus, ut, si quis Grammaticus (ut
sunt in his rebus curiosi) ex me quaereret,
quodnam in Graeca lingua, quae omnium
maxime compositis abundat, vocabulum sit,
quod plurimas admittat compositiones, dice-
rem, verbum esse μαίνομαι; hinc enim duo
descendant nomina μαίνα & μαίνεα, quo-
rum composita non contemnendum vocabula-
rium constituisse possent; de superstitione in
rebus physicis, §. VII. pag. 21. seqq. Non
defunt tamen, qui in variis diuinationum
generibus recensendis operam studiumque
collocarunt, quod post CICERONEM libris
duobus de ~~Diuinatione~~, ex instituto egit
CASPAR PEVCERVS, in libro notissimo, de
variis diuinationum generibus, itemque HE-
RONYMVS CARDANVS, de rerum varietate
cap. LXVIII. seqq. IANVS IACOBVS BOIS-
GARDVS, de diuinatione & magicis praesti-
giis cap. V. pag. 15. aliique. In compendio
etiam praecipua diuinationum genera se-
cundum alphabeti ordinem recenset IOAN.
ALBERTVS FABRICIVS, in bibliographia an-
tiquaria cap. XII. pag. 409. seqq. Nos
missus*

missis reliquis; utpote hodie maximam partem ignotis, de *geomantia* saltem & *oniromantia* quaedam observabimus. Per *geomantiam* nimirum eiusmodi ars diuinatoria intelligitur, quae per puncta, vi quadam coelesti, ut putant, in chartam proiecta, & ad figuras reducta, rerum euentus praenuntiat. Paulo plenius rem exprimit **CASP. PEVCERVS**, dum, *geomanticae*, inquit, *coniectiones* fiant ex punctis sedecim forte constitutis. Figuras ipsas auctores primi composuerunt ex punctis digestis in certas species; nescio, an casu vel iudicio, & ab duodecim zodiaci signa septemque aptarunt planetas, ut hoc praetextu persuaderent imperiis, e coelo in figuras illas, dum ab artifice formantur, illabi atque influere vim novam, quae si in certa domicilia schematis ad imaginem vstiatam thematis coelestis constructi, disponantur, significent ea, quae astra ipsa hoc positu, nativa sua vi terrenis omnibus, ac hominum generi praecipue inferant, designentue; de variis diuination. generib. pag. m. 220. Unde simul patet, *geomantiae* cum *astrologia* conuenientiam quandam intercedere, immo illam pro huius filia non sine ratione a quibusdam haberi. Fuerunt, qui ex instituto *geomanticae* huius artis arcana panderent, quos inter haud postremus est **ROBERTVS FLVD** siue **DE FLVCTI-**

764 CAP. IX. DE GENERIB. SUPERST. QUAE IN DIR.
FLUGTIBVS, cuius extat liber: *de animae in-*
tellectuālis scientia, seu geomantia hominibus
appropriata, quorum radii intellectuales
extrinsecus, hoc est, circa negotia mundana
versantes, & e centro dissipati, in centrum
recolliguntur; in fasciculo geomantico, qui
anno M DC LXXXVII prodit, cum aliis eius-
dem commatis scriptis editus. Post FLVD-
DIVM & alii quam plurimi ingenii vires in
hocce campo exercuerunt; praesertim, cum
ante annos circiter quatuordecim haec su-
perstitio multorum in Germania animos ceu
pestis quaedam inuaderet, varii libelli ger-
manica lingua scripti, hac de re lucem ad-
spererunt publicam. Summam rei in com-
pendio exhibet, quem iam laudavi, CASP.
FEVCERVS, l. c. item IOACHMVS FORTIVS
RINGELBERGIVS, in operibus, iunctim anno
M D LVI Lugduni editis, pag. 540. cum pri-
mis autem legendis IO. ANDR. SCHMIDII,
theologi Helmstadiensis clarissimi, peculia-
ris de geomantia dissertatio. Vanissimam
vero esse hancce geomantiam, aequae ac re-
liquas eiusdem generis artes diuinatorias, &
per se facile intelligitur, & inde etiam patet,
quod nulla causa, cur hac ratione homini-
bus futura innotescant, assignari queat. Ex
astris, si vim istam futura indicandi arcessas,
eaedem contra geomantiam militabunt
rationes, quibus astrologiam supra im-
pugna-

CIRCA NUMINIS CULTVM VERSANTVR. 765
pugnauius. Si ad nescio quem spiritum motorem, quem alii iactitant, te recipias, incertum per aeque incertum probabis. Sed ex ipsa forte mente hominis causa istius rei arcessenda? Ita quidem artis huius magistri ac defensores existimant, quippe qui ad hancce diuinationem velut ecstasin quandam requirunt, hoc est, abstractionem radiorum mentis ab omnibus rebus siue negotiis peregrinis. Nam, *vt in raptu magno*, inquit, *mentis & animae radii sursum ad diuinam essentiam attolluntur, ibique aggregantur, sic etiam in hoc raptu mirori animae humanae radii foras emissi, & passim dispersi reuocantur ad centrum suum, & in mentem reflectuntur; atque ita homo, qui antea propter lucis suae diffusionem erat obscurus, iam illuminatur, fitque gloriosus per radiorum expansorum congregationem.* Ita rationem hanc exprimit **GEORGIUS PASCHIVS**, de *inuentis nou - antiquis, cap. VII. §. XIX. pag. 599.* quae tamen aut reuera nihil significat, aut animae humanae naturalem quandam vaticinandi facultatem tribuit. Hoc vero perperam fieri, abunde ex iis liquet, quae supra hac de re disputauimus. Nec vana tantum est ars geomantica; sed & superstitiosa, hominibus aut aliis rebus creatis tribuens, quae soli Deo sunt propria, prauisque saltem hominum cupiditatibus & intem-

766 CAP. IX. DE GENERIB. SUPERST. QVAE ENDIR.
 intemptivo futura sciendi desiderio, cui
 cum acquiescentia in Numinis voluntate non
 bene convenit, originem debens. Fuerunt,
 qui vanitatem artis istius ex instituto demon-
 strarunt, quod & in sumpendio solide fati
 fecit **CASP. PEVCERVS, loc. cit.** Ipse quoque
 eam agnovit **HENR. CORNELIVS AGRIPPA.**
 Cum enim aliquot scriptores geomanticos
 recensuisset, addit: *scripsi & ego quandam
 geomantiam ab aliis longe diversam, sed non
 minus supersticiosam fallacemque, aut, si
 vultis, dicam etiam, mendacem; de vanitate
 & incertitud. scientiar. cap. XIII. pag. 76.*
 Ad *oniromantiam* denique quod attinet,
 antiquissimam eam esse, immo olim partem
 quandam eruditionis & sapientiae consti-
 tuisse, nemo tam ignarus rerum omnium
 est, qui nesciat. Certe, cum Pharao, qui
 tempore Iosephi rerum in Aegypto potie-
 batur, de somni sibi oblato significatione
 sollicitus esset, a **חֲכָמִים** sapientibus, &
חֲזָוִיָּוִת divinis suis, quos eum in finem
 convocaverat, eam discere voluit. Quod
 ab iis profecto non postulasset, nisi cum
 aliis superstitionis partibus, artem interpre-
 tandi somnia, professi essent. De Nebu-
 cadnezare quoque magno, Babylonise rege
 legimus, quod a sapientibus Chaldaeorum
 non tantum interpretationem, sed indi-
 cationem somnii, cuius oblitus erat, postu-
 laue-

lauerit; his quidem indicationem, ceu positam supra hominum vires, deprecantibus, interpretationem autem, haud dubio secundum regulas artis, pollicentibus, *Daniel. II. vers. 3. 4.* Sunt omnino, qui aut Abrahamo, vt *SVIDAS VOC. Abramam*, aut Iosepho patriarchae, vt *IUSTINVS, hister. lib. XXXVI. cap. II.* onirocritices inuentionem tribuunt. Sed cum vanis ea superstitionisque artibus annumeranda sit, existimationi & sanctitati patriarcharum magnam, qui ita sentiunt, adspargere labem, vel me non monente quilibet facile intelligit, & a me iam obseruatum est, in *hister. ecclesiast. vet. testam. ad period. I. sect. III. §. XXI. pag. 402. 403.* item *ad period. II. sect. I. §. XXXVI. pag. 784.* Sane, patriarchis, aliisque viris sanctis, somnia diuinitus olim oblata constat, significationem quoque somniorum aliis oblatores iis a Deo indicatam, vel Iosephi nos minime dubitare finit exemplum. Ista vero cum haud dubio infernalis genius imitaretur, interdum vero & ex causis naturalibus contingeret, vt, quae futura erant, per somnium antea hominibus repraesentarentur, facile nonnulli superstitioni dediti, & rerum futurarum auidi, in eam ingredi sententiam popuerunt, somnia in vniuersum eum in finem hominibus obtingere, vt, quae illis euentura sint, ostendant.

768 CAP. IX. DE GENERIB. SVPERST. QVAE INDIR.
dant. Cumque euentus, qui forte huic
aut illi somnio respondissent, notassent, non
praetermissa analogia vel similitudine, quae
inter imagines, & res per imagines exhibi-
tas intercedit, ex hisce obseruationibus cer-
tas tandem sibi confecerunt regulas, quod
& in aliis diuinationibus factum recte ob-
seruat HERODOTVS, *hystor. libr. II. cap.*
LXXXII. pag. 119. secundum quas somnio-
rum interpretationem instituerent; vnde
tandem onirocritica enata. Ab orientali-
bus ad Graecos hanc somniorum discipli-
nam transiisse testantur scriptores oniro-
critici, quorum aut scripta aut nomina ad
nos peruenere, vt Artemidorus Daldianus,
de quo, vt & reliquis legenda, quae
IOANNES ALBERTVS FABRICIVS
obseruauit, *bibliothec. graec. libr. IV.*
cap. XIII. pag. 426. Non minus vero &
apud Iudaeos, cum aliis superstitionis gene-
ribus onirocriticam in vsu fuisse, vel ex
tractatu talmudico *Berachoth cap. IX.* li-
quet; exhibetque in compendio illorum
regulas AVGVSTVS PFEIFFERVS, in
pansophia Mosaica, cap. XII, pag. 485. seqq.
Sed & hodie inter nos non deesse, qui
somnia & significationi & interpre-
tationi plus, quam decebat, tribunt, & ex-
perientia docet, & tot libelli onirocritici
linguae quoque germanicae scripti nos
dubi-

CIRCA NUMINIS CULTVM VERSANTVR. 769.
dubitare non sinunt. De toto autem vt
eo rectius statuatur negotio, id cumprimis
obseruandum, somnia non vnus eiusdem-
que esse generis. Quaedam enim aucto-
rem Deum habent, quibus futura significari
nemo dubitauerit, & exempla quoque plu-
rima in scriptura sacra obuia testantur.
Sunt etiam ea plerumque ita comparata, vt
eorum significatio statim patescat, aut alia
ratione, quod factum quandoque nouimus,
a Deo ipso suppeditetur. Interdum vero
& ab infernali genio ea proficisci, itidem
non est, quod dubitemus. Praeterquam enim,
quod & hoc experientia testetur, tam op-
portunam occasionem, in varia peccato-
rum genera praecipites dandi homines, eum
praetermittere, credibile non est. Et licet
futura contingentia, malorum non minus
spirituum, quam hominum captum multum
superent, nullum tamen est dubium, quin
ex iis, quae ex certis causis innotescunt,
maligni spiritus longe plura cognoscere
queant, quam homines, adeoque & homi-
nibus, aut per somnia, aut alia ratione, reue-
lare. Tandem vero ex causis naturalibus
contingere potest, vt ob temperamenti,
quo quisque gaudet, rationem, morbi vel
aliae corporis mutationes, & quae cum
hisce vinculo quodam connexa sunt, in
somnia alicui offerantur, quanquam & in

CC9

hisce

hisce singularem subinde Numinis accedere directionem, neutiquam negauerim. Atque hinc quidem vt facile intelligitur, non omnia contemnenda, aut eodem habenda esse somnia loco, ita simul pleraque vana & inania, & pro imaginationis vagae, mentisque directione destitutae, effectibus reputanda esse, manifestum est. Nec turpius se traducere potuerunt etiam philosophi, quam dum neglecto hocce, quod antea obseruauimus, discrimine, eandem vim omaibus somniis tribuentes, eius rei causam inquirere aggressi sunt. Qua de re audire iuuat HENRICVM CORNELIVM AGRIPPAM : *Eui artificio (somniaorum interpretationi) etiam & quidem magni philosophi haud parum tribuerunt, praecipue Democritus, Aristoteles, & eius sectator Themistijs, atque Sinestius, Platonius, sic innitentes exemplis illis somniorum, quae casus aliquis vera fecit, vt inde nihil frustra somnari suadere conentur. Dicunt enim, quod, quemadmodum coelestes influxus in corporali materia formas producant diuersas, sic ex eisdem influxibus in potentia phantastica, quae organica est, phantasmata imprimi coelesti dispositione effectui cupiam producendo consentanea, maxime vero in somniis, quia animus tunc a corporeis externisque curis relaxatus, liberius diuinos illos suscipit influxus : vnde multa dormientibus*

in

in somniis innotescunt, quae latent vigilantes. Hac itaque potissimum ratione ipsis somniis veritatis opinionem conciliare nituntur. De causis tamen somniorum tam intrinsecis, quam extrinsecis, non omnes in vnam sententiam conueniunt; vnam Platonici illas referunt in species & notiones animae concretas. Auicenna in intelligentiarum ultimam mouentem lunam, medio illius luminis, quo irradiatur phantasia hominum, dum dormiunt. Aristoteles refert in sensum communem, sed phantasticum. Auerroës in imaginatiuam. Democritus in idola a rebus decisa. Albertus in influxum superiorum, mediis tamen quibusdam speciebus, quae continuo defluunt de coelo: medici in vapores & humores haec referunt; alii in affectus & curas vigiliae, aliqui Arabes in potentiam intellectualem; alii dicunt a potentiis animae & influxu coeli & simulacris dependere. Astrologi illa a suis constellationibus causari volunt: alii causas illorum in aërem circumdantem penetrantemque referunt; de vanit. & incertitud. scient. cap. XXXIX. pag. 158. Quamcunque autem ex hisce eligas causam, eam minime sufficientem esse, vt intelligatur, cur futura in somniis innotescant, statim deprehendes. Quo ipso vt praecipuum onirocriticae artis fundamentum collabascit, ita eius vanitas inde quoque recte

colligitur, quod regulae, quas artis istius magistri tradunt, analogia quadam & similitudine imaginum & euentuum, incerta prorsus & lubrica, & pro imaginationis foecunditate mox in hanc, mox in aliam partem vertenda, itemque experientia, quam iactant, fallaci prorsus & saepissime regulas erroris & mendacii arguente, nitantur. Quae omnia quam lubrica sint, quamue futilia, nemo non intelligit. Vnde & nemo facile, nisi quem aut intempestiua curiositas, aut adfectus pravi in transuersum egerint, fidem eiusmodi commentis adhibebit, simul vero hoc ipso, quam alienus a vera pietate & genuina Deum colendi ratione sit, demonstrabit.

CAP. X.

DE

CAUSIS, EFFECTIBVS, PROPRIETATIBVS ET REMEDIIS
SUPERSTITIONIS.

Σύνοψις.

S uperstitionis causae, §. I.	Proprietates & adiuncta, §. III.
Efectus, §. II.	Remedia, §. IV.

§. I.

§. I.

INter causas superstitionis praeter naturalem omnium hominum corruptionem, indeque ortam ad prava quaevis inclinationem, * aliasque generales, ** imaginatio maxime rationis regimen respuens, *** & hinc subinde originem ducens nimia credulitas * in censum venit. Nec praetermittenda tamen, quae haud raro cum imaginatione deprauata coniuncta sunt, & superstitioni occasionem praebent, idearum associatio, ** causarum & effectuum minime cohaerentium apparens, falsoque creditus nexus, *** itemque dicta aut effata veterum minus recte intellecta, * & quae reliqua sunt eiusdem generis.

* Corruptionis istius naturalis a lapsu primorum parentum deriuandae, etsi nemo mortalium sit immunis, non vna tamen eademque ratione in omnibus se exercit. Aliter enim in illis, qui in statu *securitatis*, aliter in illis, qui in statu *legali & seruitutis* constituti sunt, vim suam demonstrat. Vt enim illi ad *atheismum*, ita hi ad *superstitionem*, crassiori aut subtiliori quodam

Ccc 3

ratio

ratione, pro aliarum causarum vna concurrentium diuersitate, proueniunt. Qua de re cum alibi dictum sit, ea ut hic fusius edisserantur, necesse non est.

** Ad causas istas generales, propensiones & inclinationes naturales, ex corporum praecipue constitutione seu temperamento oratae, pertinent. Pro harum enim diuersitate diuersimode etiam homines in cultu Numinis sese gerere solent. Eos qui ambitioni dediti sunt, ad atheismum pronos esse, supra docuimus, ad *cap. IV. §. I.* Auaros autem, qui & plerumque temperamento melancholico gaudent, ad superstitionem procliuēs esse, iam obseruatum, in *institutionib. theol. moralis, ad cap. I. sect. IV. §. LXXI.* Varia autem ratione fieri potest, ut eiusmodi homines superstitionis oestro percellantur. Melancholici meticulosi sunt. Ineptus autem & seruilis metus in superstitione utramque haud raro facit paginam. Homo meticolosus quidlibet facile pro quolibet arripit, & ipsum diabolum pro Deo colit, modo a metu suo ea ratione utcumque liberari queat. Iudicii praeterea defectus, quo eiusmodi homines laborant, efficit, ut nihil tam absolum, tamque puerile sit, quod non tandem sibi persuaderi patiantur. Hinc & creduli sunt, narratiunculis, commentis,

mentis, anilibusque fabulis facile fidem adhibentes. Auaritia praeterea, qua plerumque laborant, non tantum auget atque confirmat hunc superstitionis adfectum, sed ita eos excoecat, vt haud raro ad vltimam stultitiae lineam progrediantur. Hinc olim ex parte crassioris idololatriae origo, dum homines a sole, luna, ceterisque coeli sideribus, plurima sibi promittebant commoda. Hinc magia, illicitaque cum spiritibus malignis commercia, cum in finem iuta, vt thesauris absconditis potiantur, vel alia ratione diuitias consequantur. Vix etiam alios, quam vetulas, aut qui illis similes sunt, eo vsque insaniae progredi videas, cum in iis auaritia, credulitas, ceteraque, quae cum hisce coniuncta sunt, vitia, dubia fere inter se palma dimicent. Nec tamen homines sanguineo temperamento praeditos, pronosque adeo ad voluptatem, superstitionis prorsus immunes esse, existimandum. Etsi enim sua natura ad statum securitatis, hinc & ad atheismum practicum sint procliuiiores, quia tamen iidem ad credulitatem propendent, & per vim imaginationis subinde in transuersum aguntur, aliquando superstitioni locum relinquunt, praesertim, si educatio, conuersatio, vitae genus, aliaque

causae morales ad hanc potius, quam ad atheismum, ducant. Cumque feminini sexus mores maximam partem temperamento sanguineo respondeant, cur & hic ad superstitionem pronior sit, quam ad atheismum, ratio intelligitur. De feminis enim atheis, vix quicquam in historiarum monumentis legeris, nisi quasdam ex iis, quae philosophiam coluerunt, speciatim Epicuraeam, huc referre velis, de quibus AEGIDIUS MENAGIUS consulendus, in *historia mulierum philosopharum*, pag. m. 498. Neque tantum ob credulitatem subinde & iudicii defectum, qui voluptati dediti sunt, facile ad superstitionem abripiuntur, sed & quod facillime putant se cultu Numinis defungi posse, aeternamque salutem consequi, si in externo subsistant cultu, de interno autem, animoque a vitiorum sordibus purgando, minime sint solliciti, quippe quod molestum nimis illis videtur. Quod ut ad certam saltem superstitionis speciem pertinet, ita illud simul observandum, non vns eademque ratione apud omnes illam se exerere, sed aliter hoc fieri in melancholicis & avaris, aliter in sanguineis, & voluptates corporis seu summum bonum sectantibus. Ad cholericos vero seu ambitiosos quod attinet, illos vel maxime ad athe-

PROPRIET. ET REMEDIIS SUPERSTITIONIS. 777
 atheismum pronos esse constat, & supra
 etiam docuimus, sed ita tamen hoc capien-
 dum, nisi educatio, vitae institutum, ac aliae
 causae morales obstant, & , quo minus na-
 turae corruptae vis hac ratione in illis
 sese exerat, impediant. Per educatio-
 nem enim, aliasque causas morales, fieri
 quandoque potest, vt non minus ac reliqui
 homines ad superstitionem ducantur, & iu-
 diciū, quo pollent, vis ita imminuatur, &
 obscuretur, vt interdum inepta quaeuis at-
 que ridicula calculo suo adprobent. Prae-
 ter naturalem istam inclinationem propen-
 sionemque, de qua haecenus diximus, ad
 causas generales superstitionis reliquae etiam
 causae morales, *educatio, institutio, imi-
 tatio*, ceteraeque, pertinent. Quanta enim
 harum omnium in intellectu corrumpendo,
 & variis erroribus imbuendo, vis sit & effi-
 cacia, neminem fugit, & saepius iam a phi-
 losophis est demonstratum. Nutrices, fe-
 minaeque plebeiae, quibus plerumque pri-
 ma infantum educatio committitur, cum
 superstitionibus & ineptis opinionibus totae
 fere scateant, mirum non est, commenta
 ista tenerrimorum infantum animis impressa
 tam altas radices agere, vt deinde vix, ac
 ne vix quidem, eici queant. Denique neq;
ignorantia hic praetermittenda, qua plerique

mortalium laborant, quauſ ſola nonnulli inducti, ſuperſtitioſis ineptiis pretium aliquod ſtatuunt; hoc iis mox denegaturi, ſi rectius fuerint eruditi.

¶ Quanta imaginationis extra orbitam deſcendentis vis ſit & efficacia, non temere quenquam fugit. Ad ſuperſtitionem autem varia ratione imaginatio aliquid confert. Primo enim, per eam effectum aliquem exiſtere, quandoque nobis perſuademus, qui tamen reuera nunquam exiſtit. Saepius contingere, notum eſt, vt homines in adfectu praefertim vehementiori conſtituti, aliquid ſibi audire, aut videre videantur, quod reuera nec vident, nec audiunt. Varia, quibus hoc probari queat, exempla collegit BALTHASAR BECKERVS, in *mundo fascinato, libr. IV. cap. I.* qui tamen haec ultra, quam par eſt, extendit, dum ſemper hac ratione homines falli, quoties ſpectra vident aut audiunt, inde colligit, quod ſupra iam refutauimus. Aliquando hac ratione homines decipi, negari nequit, & experientia teſtatur. Deinde vice verſa contingit, vt per imaginationem effectus producat, qui cum ad aliam cauſam refertur, dici non poteſt, quantopere inde confirmetur & excitetur ſuperſtitio. Sciunt medicorum filii, & quotidiana experientia

• condo-

condocentur, quanta imaginationis in curandis morbis, iisdemque aut mitigandis, aut exasperandis, vis sit & efficacia. Quod reges quidam, solo contactu strumas sanarunt, non aliunde, quam ex viribus imaginationis detiuandum, iam pridem viri docti, harumque rerum periti, pronuntiarunt; idque ex instituto etiam euicit vir clarissimus CHRISTOPHORVS BECMANNVS, in oratione de regum nostri temporis dona strumas sanandi, quae inserta est notitiae eius dignitatum illustrium, pag. m. 129. seqq. vbi simul aliis exemplis, prorsus ad rem nostram facientibus, idem comprobatur, dum, sic diuinerum, inquit, tutelarium appensa nomina, aquae benedictae lustratio, lapilli, carbores, radices, stato tempore, stata hora effossae, aliquando medicinam faciunt, quia, dum opinione trabuntur aegri spiritibus instigatis, in pristinam libertatem se asserunt. Sic magicos characteres, verba, sigilla, incantationes ideo successu aliquando non destitui videmus, non quia reapse praestant aliquid, sed quia imaginatione excitati & corroborati aegrorum spiritus extrema moluntur, & carceribus suis se eximunt; &c. pag. 136. Tandem & hac ratione imaginatio ad superstitionem aliquid confert, si homines ex similitudine quadam aut relatione, quae inter

res

res diuerſas intercedit, ſtatim nexum quendam cauſalem ſibi effingunt. Latiffime hancce patere cauſam, & foecundam ſuperſtitionis variae matrem eſſe, accurate & eleganter more ſuo obſeruat SAMVEL WERENFELSVS, & exemplis quibusdam declarat: *Sunt, inquit, qui putant, eas herbas iis humani corporis partibus ſeruandis aptiſſimas eſſe, quarum ſimilitudinem quandam, ſignaturam appellare ſolent, referunt. Hic quis non videt, in hac ſimilitudine nullam virtutem phyſicam latere poſſe? quid enim illa mouebit? Inde fortaffe haec opinio originem traxit, quod ſemper obſeruatum eſt, plantas atque animalia ſibi ſimilia generare; hinc, vt fit, ſimilitudini neſcio, quae vis tribui coepit, quae aliis cauſis adſcribenda erat. Qui omnia pleniora eſſe plenilunii, quam noui-lunii, tempore autumant, piſces, oſtreas, caneros, oſſium medullas, & quid non, primum in iſtam opinionem inciderunt, eodem prorfus argumento ducti; plenitudinem enim lunae neſcio quid ſibi ſimile in terris producere putarunt, non ſecus ac lupus lupum, canis canem &c. Ex inepta hac perſuaſione, quae ſimilitudini phyſicam tribuit efficaciam, omnia pene fluxerunt aſtologorum deliria, quicquid in terris eſt, ideo tale eſt, quia in coela ſimile quiddam reperitur. Mercurius fuit quidam mirae ſolertiae homo, poſt mortem in nume-*

rum deorum relatus ; huic attribuitur illa stella, quae vulgo stella Mercurii vocatur : haec non tantum eandem habet, quam Mercurius in terra habuit, solertiam, sed virtutem etiam parem solertiam hominibus in terra nascentibus infundendi. Hinc astrologorum regula : cum puerum praeceptorum trades, fac, ut Mercurius benigno adspectu aspiciat lunam lumine auctam ; dissert. de superstitione in rebus physicis, §. V. pag. 14. seqq. Sed legi etiam merentur, quae idem auctor vltterius hac de re differit §. VI. pag. 16. seqq. Imaginationi etiam, vt & hoc adhuc addam, quandoque, saltem ex parte, tribuendum, quod nonnulli non tantum superstitioni locum facile relinquunt, sed in ea ita obfirmant animum, vt nulla ratione ab ea dimoueri queant. Contingere namque videas, vt homines, qui non tantum explicare nequeunt, qua ratione fieri possit, vt causa haec hunc effectum producat, sed & qui saepius experientia conuicti sunt, frustra eiusmodi effectum ab ista causa expectari, a sua nihilofecius non discedant opinione. Rationem si quaeras, hanc omnium promptissime in imaginatione, vana ea vtique atque inani,prehendes. Nimirum, si effectus, quem sperarunt, non secutus est, nec ex ista causa sequi potuit, innumeras exceptiones foecunda imaginatio illis suppeditat,

non

non omnia, v. g. in vsu alicuius remedii superstitiosi, rite fuisse obseruata, mox hoc, mox aliud quid obstitisse, quo minus effectus sequi potuerit: paucis, dubitandum non esse, quin effectus sequi possit, etsi nunquam sequatur, & ratio nullam, ne possibilem quidem, inter causam & effectum nexum videat. Lepidissime ridiculam istam vim imaginationis delineat & exagitat auctor libri: *Historie oder wunderliche Erzehlungen der seltsamen Einbildungen, welche Mr. Ousse aus Lesung solcher Bücher bekommen, die von der Zauberey &c. handeln, cum primis cap. VII.* quanquam & in toto hocce libro talia occurrunt, quae vim imaginationis in superstitione demonstrant; quae vti lectu digna sunt, ita tamen nec diffitendum, auctorem fallaciam imaginationis ultra, quam par est, extendere; quod obseruare iuuat, ne in alterum extremum incidamus, dum alterum euitare volumus.

- * Qui imaginationi suae habenas ultra, quam par est, laxant, vel adfectibus praepediti, eam in ordinem redigere, nequeunt, quod haud raro melancholicis & sanguineis contingit, etiam creduli esse solent. Vis enim iudicii per imaginationis vehementiam impeditur, quo minus cuncta aequa lance ponderare & ab inanibus solida, vera a falsis discer-

discernere queant. Hinc vero superstitioni campus latissimus panditur. Parum eiusmodi hominibus est, illis, quorum magna apud eos est auctoritas, in omnibus, nullo discrimine, adhibere fidem, sed, quicquid plebei homines, quicquid mulieres vetulae narrant, id auide arripiunt, id firmiter credunt, nec dubium amplius vllum, quin id ita se habeat, animum subire patiuntur, grauius subinde illis irascentes, qui aliud quid, etsi rationi sit conuenientissimum, illis persuadere annituntur. Quo prouiores autem nonnulli sunt ad credulitatem, eo diligentiores alii sunt, ad quiduis excogitandum & eiusmodi hominibus persuadendum; vnde fabularum & commentorum, quibus superstitio ceu fulcris quibusdam innititur, nec finis, nec modus est. Quanta vero hinc eius incrementa, nemo non intelligit.

** De idearum associatione, ex instituto a me dictum, in *institutionib. theolog. moral. ad cap. I. sect. V. §. IX. pag. 233. seqq.* Superstitioni quo pacto occasionem praebeat, facile intelligitur. Si enim v. gr. in die quodam alias memorabili, alicui aut aduersi aut prosperi quid eueniat, tum idea istius diei cum idea calamitatis aut felicitatis, quae eodem nobis obtigit, coniungitur. Recur-
rente

rentē itaque idea istius diei, reuocatur simul idea calamitatis aut felicitatis, quae eodem nobis obtigit. Hinc persuasio ista superstitiosa, supra nobis notata, dies quosdam per se faustos aut infaustos esse. Idem de locis censendum, quorum, quae iis a quibusdam tribuitur fatalitas, non ex alio accessenda fonte. Ominum quoque plerorumque, quibus superstitiosi homines adeo delectantur, eadem origo. Quaecunque enim nobis in prospera aut aduersa fortuna constitutis occurrunt, eorum ideae cum ipsa infortunii aut felicitatis idea colligantur, etsi ceteroquin nullum inter se nexum habeant. Idea itaque rei eiusmodi recurrens, statim infortunii aut felicitatis ideam resuscitat, hinc persuasio, rem istam pro bono aut malo habendam omine.

*** Nexus ille apparens, falsoque creditus, causarum & effectuum, ex imaginatione & credulitate, concurrente & subinde idearum antea memorata associatione, ortus, vtramque fere in variis superstitionis generibus facit paginam, vti vel ex dictis abunde constat. Diuersa autem ratione homines in eiusmodi errorem induci possunt. Similitudo quaedam & conuenientia, quae inter easprehenditur, aut quam imaginatio fingit, interdum plurimum eo confert; interdum

interdum vero & experientia quaedam temere creditæ, omnique fundamento destituta, id hominibus persuadet, aut idearum associatio, vt, antea dictum, eiusmodi cogitationibus occasionem suppeditat. Quandoque & omnes istae causae, diuersa tamen ratione, ad nexum istum persuadendum concurrere possunt. Vndecunque autem ista persuasio oriatur, eam subinde animam velut superstitionis constituere, certum est. Si enim recte secum perpenderent homines, nexum eiusmodi causarum & effectuum non tantum non verisimilem, sed nec possibilem esse, nunquam sibi persuasuri essent, a tali causa eiusmodi proficisci posse effectum. Cautione quadam hic opus esse, probe scio, ne temere causae & effectus nexum minus possibilem esse, nobis persuadeamus. Sed hac de re iam supra dictum. Neque tantum in rebus physicis, adeoque indirecte saltem ad religionem spectantibus, sed & in theologicis haec observatio locum habet. Enimuero, si quis solum cultum Numinis externum absque interno, aut omnino solas ceremonias ritusque ad salutem consequendam sufficere arbitratur, nonne causae effectum tribuit, qui ab ea nullo modo nullaue ratione exspectari potest? Aquam lustralem pontificiorum, signum crucis externum, absque interna mentis deuotione,

Ddd

exor-

786 . CAP. X. DE CAUSIS ET EFFECTIVIS,
exorcismus ecclesiae Romanae, & quae reliqua sunt eiusdem generis, quibus magna vis & efficacia in pellendis spectris, eiicientis daemonibus, variisque beneficiis spiritualibus in homines deriuandis, tribui solet, huc itidem referenda esse, nemo nos intelligit.

- Ut superstitio temere saepius quidlibet arripit, ita mirum non est, si recte & innocenter ab aliis dicta, quandoque eidem occasionem praebent. Vim & efficaciam verbi diuini satis laudari non posse, nemo temere abnuerit. Hoc si superstitiosus audiat, statim ex solo eius vsu externo, si vel maxime id non intelligat, aeternam salutem sperabit; aut omnino partem eius schedulae inscriptam, colloque appensam, curare febrem sibi persuadebit. Si quis vel ioco dixerit, bonum non esse, si iter facienti lupo occurrat, eo quod periculum forte ab eo immineat, superstitiosus statim omen aliquod siue praesagium inde faciet. Pertinet huc, quod a nonnullis, speciatim a MAGNO DANIELE OMEISIO, in *Altorfina* quondam academia professore celeberrimo, obseruatum, ex symbolis quibusdam Pythagoricis, sensu simplici & communi intellectis, varios ritus ac superstitiones hodie adhuc durantes, originem traxisse videri, in
maniffa

maniffa ad ethicam Pythagoricam, pag. 123.

Ex horum numero sequentia sunt: I) *Nespeculum ad lucernam intueri.* Hocce enim efato cum vir sapientissimus id sibi vellet, vt homo se ipsum recte nosceret, & consideraret, non ad alienam lucem siue scientiae, siue laudis ab adulatoribus profectae, sed ad diem ac solem veritatis, quae omnibus patet ac lucet, nec pro veris falsa ostendit, alii κατὰ πρότυπον hoc intelligentes, errori seu superstitioni, hodie adhuc receptae, occasionem praebuere, qua nonnulli inducti noxium esse credunt, si quis ad candelae seu lucernae lumen se in speculo intueatur. II) *Offensa in vestibulo turpi vetula non egredere.* Quo symbolo cum docere voluerit, res illas, quarum turpia sunt principia, non esse prosequendas, mos inde forte, in quibusdam Germaniae adhuc vsitatus locis, ortus est, vt, si quis mane domo egrediens, praecipue kalendis Ianuariis, primo vetulam sibi obuiam habeat, inde dirum ac infelix omen accipiat. III) *Sal apponendus.* Hocce dicto monere voluit Samius senex, vt sal condiendis cibus est aptus, ita ad omnes actiones & sermones nostros adhibendam esse prudentiam. Alii vero cum id simpliciter acciperent, factum inde, vt sal mensis faceret haberetur, religionique sibi nonnulli ducerent, reliquos cibos ante saltem apponere.

Romanos certe credidisse, *mensas fieri sacras salinorum appositu*, ex ARNOBIO docet IVSTVS LIPSIUS, *Saturnal. libr. I. cap. II.* Plura eiusdem generis auctor antea laudatus *loc. cit.* exhibet.

§. II.

Effectus superstitionis tum intuitu eius, qui hocce morbo laborat, tum aliorum, quibuscum eiusmodi hominibus negotium intercedit, considerari possunt. Priori modo si spectentur, ut menti caliginem offundit,* ita pravis cupiditatibus vitiisque fouendis longe est aptissima;** simul vero, cum eiusmodi homines veram animi quietem ac tranquillitatem nunquam consequantur, longe sunt miserrimi.*** Aliis vero non minus molesti sunt, odio quippe haud raro plus quam Vatiniano eos prosequentes, qui non eandem secum statim sententiam ingrediuntur, hinc & saepissime ecclesiae pariter ac reipublicae grauissima ab iis imminent incommoda.*

- * Rectae enim rationi cum perpetuum velut bellum eiusmodi homo indixerit, & affectibus suis agatur intransuersum, non potest

potest non, si quod in eo superest, intellectus lumen, magis magisque obscurari. Mirum itaque non est, quod rationibus etiam evidentissimis quandoque non moueantur, immo ad eas percipiendas tandem prorsus inidonei reddantur. **Experientia hoc testatur quotidiana.**

** Et si homines superstitiosi interdum & sibi & aliis videantur religiosissimi, iudem tamen haud raro sunt flagitiosissimi, omnibusque vitiis atque sceleribus dediti. Primo namque certum, superstitionem cum improbitate consistere posse. Hoc de illis superstitionum generibus, quae directe ad Numinis cultum non pertinent, positum est extra controuersiam. Qui daemonum opera ad res illicitas consequendas vitur, qui signa & characteres ad curandos morbos adhibet, qui ex re qualibet omen aliquod captat, tantum abest, ut probitati & virtuti dediti censeferi queant, ut haec ipsa iam documento sint luculentissimo, eos vitiorum, prauarumque cupiditatum sordibus, penitus esse immerfos. Sed idem quoque de iis generibus superstitionum censendum, quae directe circa Numinis cultum versantur. Nihil obstat, quo minus aliquis rigidus sit cultus externi obseruator, & in ritibus ceremonisque sacris exactissimus, &

Ddd 3

nihilo-

nihilōsecius pravis impurisq̄ deditus cupiditatibus. Qua de re si quis dubitet, vel Pharisaicorum exemplo rectiora condoceri potest; conf. *Matth. XXIII. vers. 25. 26. 27.* Immo non tantum superstitio cum vitiis grauissimis consistere potest, sed iis etiam fouendis & alendis inseruit. Efficit enim vt homines sibi persuadeant, Deum vtpote cultū isto externo & rituum obseruatione placatum, satis sibi propitium esse, vt iam strenuē indulgere pravis cupiditatibus possint, nec tamen de aeterna salute consequenda vlla ratione sibi sit dubitandum. Qua quidem persuasionē ad conseruanda & augenda vitia, veram autem mentis emendationem impediendam, ac sufflaminandam, nihil temere efficacius cogitari posse, omnes puto facile mecum consentient. Neque tamen inde inferendum, ac si superstitio ipso atheismo sit deterior. Quantumuis enim & cum vitiis grauissimis consistere queat, & iis fouendis quandoque inseruiat, nullum tamen est dubium, quin homo eiusmodi, cum Deum scelerum vindicem credat, eius metu quandoque a peccatis quibusdam perpetrandis, retineatur, cum atheus contra nullo prorsus constringatur vinculo, quo minus libere cupiditatibus quibusuis frena laxet, & in quacuis ruat flagitia, modo poenae ciuilis

PROPRIET. ET REMEDIIS SUPERSTITIIONIS. 791
uilis metus non obftet. Sed hac de re iam
supra dictum, ad *cap. IV. §. IV.*

*** Cum homines superstitiosi certum, cui in-
sistant, fundamentum non habeant, va-
naque & incerta in plerisque ducantur per-
suasione, metu praeterea prorsus seruili, aut
variis etiam cupiditatibus, nunquam non
agitentur, nusquam, ubi conuiescere pos-
sint, aliquid inueniunt, suntque adeo mor-
taliū longe miserrimi. Eleganter hoc
exprimit TULLIUS, de superstitione ita verba
faciens: *Instat & urget (superstitio) & quo
tūcunque uerteris, prosequitur; siue tu ua-
tem siue tu omen audieris, siue immolaris,
siue auem adspexeris; si Chaldaicum, si ha-
ruspicem uideris; si fulserit, si tonuerit, si
tactum aliquid erit de coelo, si ostentū simile
natum, factumue quidpiam; quorum ne-
cesse est, plerumque aliquid eueniat, ut
nunquam liceat quieta mente consistere.
Refugium uidetur omnium laborum & sol-
licitudinum esse somnus; at ex eo ipso plu-
rimae curae metusque nascuntur; qui, qui-
dem ipse per se minus ualere, & magis
conterneretur, nisi somniorum patrocinium
philosophi suscepissent, &c. de diuinat. lib. II.
cap. LXXII. pag. m. 1278.*

De odio immani, quo homines superstitiosi interdum alios, qui non easdem secum sententias fouent, prosequuntur, deque ingentibus, quas subinde in ecclesia pariter ac republica dederunt, turbis, multae passim extant virorum doctorum querelae. Quae ut nequaquam fundamento destituuntur, ita nobis, ut, quae distinguenda rite & a se invicem separanda sunt, confundamus, committendum non est. Fieri sane potest, immo saepissime fieri experientia docet, ut superstitio seu falsa de Numinis cultu persuasio homines incendat, ut alios acerrimo odio prosequantur. Quamcunque autem eum de Deo eiusque cultu opinionem habeant, certum tamen est, eam pro vera religione habendam non esse, a qua quippe eiusmodi mores prorsus alieni sunt. Causa autem, cur tanto odio alios a se dissentientes insectentur, haec est, quod aegerrime palladium suum, in quo omnem spem vitae ac salutis collocant, sibi eripi patiantur. Quam enim eiusmodi homines sceler ingressi sunt consequendae salutis viam, eam, utpote sua opinione optimam, tutissimam, facillimam, aegro dimittunt, adeoque non possunt non illis irasci acriter, qui eam reicere aut contemnere audent. Accedit, quod tum demum firmiter religioni suae adhae-

adhaerere sibi videantur, si reliquos omnes odio acerrimo prosequantur, idque adeo Deo longe gratissimum esse sibi persuadent. Idque ipse seruator significauit, cum ad discipulos suos dixit: *eritque tempus, cum omnes Deum a se coli putabunt, qui vos interfecerint; Ioan. XVI. 2.* Atque ipsi hoc satis suo exemplo comprobauerunt Iudaei, quorum primum in Samaritanos, deinde in christianos, odium longe vehementissimum, atrocissimumque, neminem fugit. Inter ipsos gentiles etiam contingebat, ut, qui deorum cultu dissentiebant, acerrimo se inuicem prosequerentur odio, iuxta notissimam illud IUVENALIS testimonium:

*Inter finitimos vetus atque antiqua sim-
ultas,*

*Immortale odium, & nunquam sanabile
vulnus,*

*Ardet adhuc Ombos & Tentyra; summus
utrinque*

Inde furor vulgo, quod numina victorum

*Odit uterque locus, cum solos credit la-
bendas*

Esse deos, quos ipse colit, &c.

Ddd 5

satyr.

satyr. XV. vers. 33. Quantus deinceps gentilium contra christianos fuerit furor, neminem fugit, nisi qui hospitem plane ex veteris ecclesiae annalibus retulit animum. Quicquid calumniarum, quicquid obtreccionum, quicquid suppliciorum & cruciatuum excogitari potuit, hoc adhibuerunt, ut christianos opprimerent, obruerent, & prorsus delerent. Legere ea licet in B. CHRISTIANI KORTHOLTI *Pagano obtreccatore*, in compendio autem, & vnico velut fascie comprehensa, in PHILIPPI CAMERARII *operis horarum subsissuarum seu meditationibus bisforis cent. I. cap. XXXIX. pag. 175.* Nec inter ipsos proh dolor! christianos exempla desunt, quibus idem comprobari queat. Acerrimae illae inter varias sectas, quae per omnia fere secula exortae sunt, contentiones, cum contumeliis & conuitiis atrocissimis coniunctae, & in grauissimas vexationes, si modo alterius partis vires hoc permetterent, erupturae, id satis superque testantur; cum primis autem Romana ecclesia, igne & ferro crudelissime in omnes a pontificis decretis dissentientes, ceu haereticos, hoc est, homines, ecclesiae istius sententia, tam flagitiosos, ut nullum sit tam atrox suppliciorum genus, quo non iustissime adficiantur, saeuens, exemplum eius rei luculentissimum praebet. Hinc tot homines

mines

mines honore & fortunis spoliatos, actos
 in exilium, coniectos in carceres, compe-
 dibus vinctos, damnatos ad triremes, alios
 gladio, alios laqueo, igne rursus alios e me-
 dio sublato videas; non aliam ob causam,
 quam quod coeco obsequio aliorum vt am-
 plecterentur in religione placita, a se im-
 petrare non potuerint. Tam immani au-
 tem odio si quis statim alios in quibusdam
 a se dissentientes prosequatur, illi autem,
 qui dissentiunt, non minori studio se con-
 tra eiusmodi insultus defendant, quantae
 inde in ecclesia oriantur turbae, facile co-
 gitari potest; idque & experientia testatur.
 Nec ecclesia modo, sed ipsa quoque res-
 publica subinde hac ratione concutitur,
 atque conquassatur. Ecquis enim ignorat,
 quot quantaevae rebelliones, quam atrociam
 bella, religionis causa excitata sint? Cumque
 bella quaeuis maximopere sint formidanda,
 & caedibus, rapinis, incendiis cuncta com-
 pleant, hinc & vrbes solo aequent, floren-
 tissimasque regiones miserum in modum
 devaastent, ea tamen, quae religionis causa
 geruntur, longe reliquis esse funestiora,
 constat, quippe in quibus furore quodam
 concitati homines superstitioni crudelitatem
 in laude ponunt, eo se Deo gratiores esse,
 sibi persuadentes, quo atrocius in hostes,
 Deo quippe, vt putant, ob alias opiniones
 inui-

inuifos, faeuunt. Vt autem cuncta, quae hic in cenfum veniunt, eo rectius diiudicari queant, diligenter obferuare inuat, non de quauis fuperfitione, fed ea praecipue, quae directe circa Numinis cultum verfatur, quae diximus, intelligenda effe; quemadmodum & haec ipfa fuperfinitio diuerfos habet gradus, hinc &, fi crudelitatem odiumque erga alios fpectes, diuerfos effectus. Praeterea coniuncta haud raro eff cum aliis adfectibus; vt, quod homines ambitione aut vindictae cupiditate, aut aliis vitiis impulfi faciunt, id ex zelo quodam pro religione & opinionum, quibus imbuti funt, veritate fe facere, & ipfimet, turpiffimo errore delufi credant, & aliis aliquando facile perfuadeant. Cum primum autem a fuperfitione, turpiffima caute discernenda eff hypocrifis. Haud raro enim contingit, vt nonnulli religionem ambitioni fuae, aliisque cupiditatibus obtendant, cumque reuera doctrinae, pro qua tam acriter pugnant, fidem non adhibeant, aliis tamen, ac fi religionis caufa cuncta agant, perfuafum cupiunt, fub fpeciofa ifta *προδοσει*, imperii, quod in alios moliuntur, limites longe lateque proferentes, aut iftud contra fecus fentientium infultus egregie confirmantes, corroborantesue. Exemplum iterum Romana praebet ecclefia, in qua nonnullos quidem

quidem falsa persuasione ductos, adeoque ex mera superstitione, maximo contra haereticos odio flagrare, nullus equidem dubito; nec tamen, praesertim inter primi ordinis praesules deesse existimo, qui religionis omnis expertes, religionem tamen ubique consiliis suis obtendunt, ut auctoritatem suam, potentiam, imperium, opes, diuitiasque maiores aut acquirant hac ratione, aut augeant, amplificentque. Non omnia itaque ipsi superstitioni tribuenda, quae aut a superstitionis hominibus, aut sub religionis etiam praetextu aguntur. Praeterea, quantumvis foeda sit superstitionis facies, quam & ita, ut decet, exhibuimus, quantumvis etiam magna ex ea in ecclesiam pariter ac rempublicam redundent incommoda, ut summo studio fugienda sit & euitanda, quia tamen humanae societatis vincula non conuellit penitus ac labefactat, atheismum foediorum adhuc magisque noxium esse negari nequit. Sed hac de re supra iam ex instituto dictum est, ad *cap. IV. §. V.*

§. III.

Proprietates & adiuncta superstitionis sunt *irrationabilitas*; * & *pertinacia*, dum aegre, ut mentem sententiamque

mu-

798 . . . CAP. X. DE CAUSIS, EFFECTIVIS,
mutent, se induci patiuntur, hinc & dif-
ficulter admodum a morbo isto liberari
possunt: ** quibus quaedam velut *uni-
versalitas* accedit, quia nulla gens, nul-
lusue in orbe est populus, quamcunque
etiam profiteatur religionem, nullum
praeterea vitae genus, quod non labe
ista adpersum & commaculatum depre-
hendatur. ***

* Si rationis dictamen homines superstitiosi
admittere possent, non essent superstitiosi.
Id vero ab illorum indole plane alienum.
Dum enim imaginationem, experientiam
falso iactitatum, auctoritatem aliorum, pro
norma & regula assumunt, & quicquid in-
super affectus male sanus suadet, promte
arripiunt, rationi locus esse nequit. Gene-
ratim hoc tum de ea, quae directe, tum
quae indirecte circa Numinis cultum versa-
tur, superstitione intelligendum. Ad hanc
enim quod attinet, qui a daemonibus ex-
pectant, quae ab iis praestari nequeunt,
qui per verba & characteres morbos pel-
lere, & mirabilia quaevis efficere annitun-
tur, aut quae his similia sunt, suscipiunt,
rectae rationi bellum apertum indixisse,
nemo temere dubitauerit. Non minus ta-
men & de illis hoc censendum, qui cum
vitiis

vitiis suis cupiditatibusque, quibus indulgent, pravis, Deum offendere non desinant, ritibus actibusque quibusdam externis, aut, quae eiusdem sunt generis, quae ipsi sunt comenti, cum placari posse, sibi pueriliter persuadent. Quis enim vel rationis ductum sequens existimare posset, Deum, qui spiritus est purissimus sanctissimusque, eiusmodi externis delectari, cum interea mens hominum omni impuritate coinquinata sit? Hinc & ipse apostolus hanc superstitionem ceu *ἄλογον* in ethnicis damnauit, eique *λογικὴν λατρείαν* opposuit, *Rom. XII. 1.* Cum vero non tantum cum superstitione coniuncta sit irrationabilitas, sed haec per illam etiam magis magisque augeatur, ut ad §. praecedentem obseruatum, hanc & inter adiuncta illius, & inter effectus, certa ratione referri posse, nemo non intelligit.

** Etiam hac de re non temere quis, qui indolem superstitionis paulisper expenderit, dubitauerit. Enimuero ad eam superstitionem quod attinet, quae directe circa Numinis cultum versatur, cum sibi eiusmodi homines firmiter persuadeant, se solos veram rationem Deum colendi tenere, quam & sine periculo salutis aeternae iacturam faciendi dimittere non possint, fieri aliter nequit, quam ut sint longe pertinacissimi.

Mirum

Mirum itaque non est, quod nonnulli mortem potius subire, & extrema quaeuis pati, quam a sententia, qua semel imbuti sunt, discedere parati sint. Habet enim superstitio non minus suos martyres, quam vera religio. Dantur tamen, ut in ipsa superstitione, ita & in pertinacia, certi gradus. Nec vno eodemque omnes habendi sunt loco. Prout enim variae concurrunt causae, diuersos etiam in eiusmodi hominibus obseruare licet pertinaciae gradus. Melancholicos enim, qui natura sua pertinaces sunt, si superstitione laborent, quod plerumque contingit, longe pertinaciores esse sanguineis, si & hos eadem forte pestis inuadat, quod fieri quandoque posse, supra monuimus, non temere quis dubitauerit. Ad eam vero superstitionem quod attinet, quae indirecte Numinis cultum attingit, non minus quandoque pertinaces homines reddit; siquidem imaginationis, quae utramque ibi facit paginam, ea vis est & efficacia, quemadmodum supra itidem obseruauimus, ut, si experientia vel centies eiusmodi homines fallat, nunquam tamen persuaderi sibi patiantur, effectum, quem causae tribuunt, ab illa proficisci non posse, sed aliud quid, quod ipsimet nesciunt, obstare, quo minus effectus ille semper sequatur. Vtramque igitur superstitionis speciem, priorem

PROPRIET. ET REMEDIIS SUPERSTITIONIS. 301

priorem tamen magis, quam posteriorem, inter morbos, qui difficulter curari possunt, referre licet. Nec tamen prorsus est im-
-medicabilis, si modo quis remedia, quae
-scriptura sacra & sana ratio suppeditat, de
-quibus deinceps dicemus, rite adhibere
-velit.

*** Cum causae superstitionem progredientes
-tam late pateant, fieri aliter nequit, quam ut
-ipsa quoque superstitio multorum occupet
-animos. Quod diximus, nullam gentem
-esse, quaecumque etiam in religione sequatur
-placita, quae superstitionis prorsus sit
-immunis, facili negotio comprobari potest.
-Quarundam equidem, ut Iudaeorum, prout
-hodie se habet, ethnicorum, & Muhamedanorum
-religio, tota fere superstitiosa est; obseruare
-tamen apud eos plurima licet, quae specialiori
-quadam ratione superstitionis nomine sunt
-insignienda. De Iudaeorum credulitate, fabulae
-amp; commenta rabbinorum, numero fere infinita,
-simulque tam portentosa, ut ne speciem quidem
-verosimilitudinis habeant, abunde testantur.
-Fabulae autem temere creditae, superstitionis
-foecundam segetem suppeditant. Exempla
-superstitionis iudaicae, ridiculae quidem,
-fatisque ineptae, qui desiderat, is IOAN.
-SVXTORFFI *Synagogam iudaicam*, similiaque
-de rebus Iudaeorum scripta adeat, in quibus

magna copia ea inueniet. De ethnicis & Muhammedanis aliquid dicere superuacuum foret, cum nemo temere tam rudis rerum omnium fit, vt nesciat, eos ad delirium vsque superstitioni deditos esse. Varia de iis in vnum collecta exhibet IO. CHRISTOPHOR. MANLINGIVS, in *den denkwürdigen Curiositäten derer so wohl in- als ausländischer abergläubischen Albertaten*, &c. vbi *cap. II.* de Iudaeorum, *cap. III. IV. & V.* de Persarum, Turcarum & Arabum, *cap. VI.* de Indianorum seu ethnicorum superstitione, agit; immo & *cap. VII.* de christianorum. Hos equidem, si sui nominis vim implere vellent, ab impietate aequae ac superstitione longissime remotos esse oportebat; sed plurimos ad alterutrum ex hisce scopulis allidi, naufragiumque verae fidei facere, ipsa quemuis condocet experientia. Nec vlla inter ipsos christianos secta est, in qua non superstitionis aequae ac impietatis exempla quotidie occurrunt. At hoc inter eos intercedit discriminis, quod quaedam superstitionem pro ipsa religione, aut eius certe parte *minime* contemnenda habeant, eamque adeo adprobent calculo suo atque defendant. Romanenses hoc facere, neminem fugit, apud quos ritus & ceremonias maximam fere cultus diuini partem absolueri constat, & supra iam ad *cap. VIII. §. VI. & VIII.* nobis est obseruatum.

PROPRIET. ET REMEDIIS SUPERSTITIONIS. 303
tum. Cumque eiusmodi ritus sint, quos Deus
non praescripsit, qui insuper omni usu desti-
tuuntur, & subinde ad pompam saltem sunt
comparati, plurimi etiam solis istis ritibus
vim Numen placandi, istudque sibi reddendi
propitium tribuant, a superstitione foedissi-
ma eos liberari non posse, manifestum est.
Sunt equidem, fateor, & in nostra ecclesia,
qui cultui externo, immo & interdum ritibus
& ceremoniis plus, quam decebat, tribuunt,
adeoque superstitionis cuiusdam rei fiunt.
Sed maximum hic inter nos & Romanenses
intercedit discrimen. Non alium enim Nu-
minis cultum externum, nec alios ritus ac
ceremonias, quam quae ad cultum internum
promouendum aliquid faciunt, adeoque
mandato Numinis saltem generali nituntur,
adprobamus. Deinde actibus externis, riti-
busque, nullam vim aut efficaciam per se Nu-
men placandi, aut eius fauorem conciliandi
hominibus tribuimus; sed tum demum exter-
na omnia rite se habere, contendimus, atque
docemus, cum cultus internus, qui vera in
Iesum Christum fide absoluitur, per ea incen-
ditur, alitur, fouetur, promouetur. Quod si
itaque nonnulli inter nos vita forte, moribus-
que, aut alia ratione ostendunt, se externis
actibus plus, quam decebat, tribuere, adeo-
que superstitionis cuiusdam iure argui, illi
resistantur, se a vera & genuina ecclesiae no-

strae sententia alienos esse. Quare ecclesiae euangelicae, quae veram puramque doctrinam B. Lutheri opera a variis errorum sordibus repurgatam, profitetur, laus haecce propria manet, quod, vt ab errore omni, ita & a superstitione procul est remota. Nec contrarium ex eo probari potest, quod ritus quosdam ex Romana ecclesia, speciatim exorcismum, retinimus. Ratione enim innocentissima hoc a nobis factum, res ipsa testatur. Nec enim ipsis verbis, aut formulae, vim expellendi daemone[m] tribuimus, sed peccati originalis, quorum omnes nascimur, grauitatem significamus, quae tanta est, vt per naturae conditionem simus *filij irae*, *Eph. II. 3.* & *serui diaboli*, *Ebr. II. 14.* simulque inuimus, per baptismum, ceu lauacrum regenerationis, infantes liberari a seruitute ista & potestate infernalis genii, quam in omnes a federe Dei alienos habet, & ex filiis irae filios fieri gratiae, aeternaeque vitae, si in statu regenerationis perseuerent, heredes. Quae commonefactio vt perquam utilis, ita ab omni quoque superstitione prorsus est aliena. Pari ratione & ad reliqua, quae nobis obiiciuntur, facili ratione responderi potest; quod cum ab alijs iam factum, hisce non immorabimur. Ad reliqua potius vt progrediamur, nullus quoque inter homines status est,

qui

PROPRIET. ET REMEDIIS SUPERSTITIONIS. 805
 qui superstitionis prorsus immunis censeretur
 queat. Ad statum enim, quem vocant, *po-*
liticum quod attinet, cum non prorsus hic
 eximendum esse, vel ea, quae de *auguriis &*
auspiciis Romanorum, de locis itidem, *nomi-*
nibus, temporibusque fatalibus, quibus impe-
 riorum mutationes, prosperaque & aduersa,
 quae iis eueniunt, tribui solent, diximus, fa-
 tis testantur. Nec existimandum, aut prin-
 cipes rerumque dominos, aut ciuiliū rerum
 administrōs, expertes semper superstitionis
 esse. Immo quō vehementioribus hi quan-
 doque agitantur cupiditatibus, quae rationis
 omne extinguere lumen aptae sunt, quōue
 minorem in ratione instruenda & rite exco-
 lenda industriam ponunt, eo superstitionis
 addictiores istos esse oportet. Ipse Ale-
 xander, cui res praeclare fortiterque gestae
magni cognomen peperere, non intactus
erat ea superstitione mentis, ut Q. CVRTIVS
RUFVS loquitur, lib. IV. cap. VI. immo su-
perstitionis potens non erat, ut idem auctor
pronuntiat, libr. VII. cap. VII. Aristandro
 vati eum credulitatem suam addixisse, alibi
 asserit: *Qui post Darium victum ariolos &*
vates consulere desierat, rursus ad superstitio-
nem, humanarum gentium ludibrium, reuolu-
tus, Aristandrum, cui credulitatem suam addi-
xerat, explorare euentum rerum sacrificiis iu-
bet; &c. Idem cum post Cliti caedem solatiū

expers viueret, somnii saltem cuiusdam commemoratione ab Aristandro erigi iterum atque reuocari potuit: *Ἀριστάνδρου δὲ τῆ μάν-
 τως ὑπομνησκοντ* (C) αὐτὸν τὴν τε ὄψιν
 ἣν εἶδεν περὶ τῆ κλείτῃ, καὶ τὸ σημεῖον, ὡς δὴ
*πάλαυ καθεμαρμένων. τῶτων ἔδοξεν ἐκδι-
 δόναί.* At cum uates Aristander visum illi
 quod de Clito fuerat ei repraesentatum & pro-
 digium subiiceret, iam dudum haec in fatis
 fuisse, visus est animum relaxare. Ita PLVTAR-
 CHVS, in *Alexandro*, p. 694. De Augusto iam
 supra diximus; possetque idem exemplis in-
 numeris comprobari, si modo iis in re non
 dubia opus esset. Immo flagitiosissimos
 principum vel maxime superstitiosos fuisse,
 gentium annales testantur. Patetque id vel
 ipsius Neronis exemplo, de quo id obseruat
 C. SVETONIVS TRANQVILLVS, in *Nerone cap.*
XXXIV. XLI. XLVII. Sed & de Catilina,
 Caligula, Heliogabalo idem constat. Le-
 genda, quae de his aliisque differit PETRVS
 BAELIVS, *pensees diuerses part. I. §. CXXX.*
pag. 251. seqq. De Attila Hunnorum rege,
 non alia magis re, quam barbarie & crude-
 litate, noto, CALLIMACHVS Cyrenaeus: *Re-
 ligioni, persuasionibusque de diis a sua gente
 susceptis, vsque ad superstitionem additus; in
 Attila.* Nec milites, virosque, qui castra
 sequuntur, expertes labis huius, quae omnes
 vexat, credat. Nihil frequentius in histori-
 corum

PROPRIET. ET REMEDIIS SUPERSTITIIONIS. 807
 eorum monumentis, quam quod callidi duces, mox solis ac lunae ecclipsibus, mox tonitru ac fulguris terroribus, aut cometarum apparitionibus, similibusque *turbamentis vulgi*, vt C. CORNELIVS TACITVS vocat, ad flectendos superstitionis militum animos, prout id e re sua esse duxerunt, vfi sint. Exposuit ista peculiari, de *turbamentis vulgi* dissertatione, IO. CHRISTOPHORVS BECMANNVS, *cap. cumprimis II.* Immo sunt quaedam superstitionis genera militibus propria, dum aut verbis formulisque magicis, aut alia ratione, se contra quosuis globorum & gladio- rum ictus tutos, adeoque inuulnerabiles reddere annuntur, & quae his sunt similia, quorum quaedam IOAN. CHRISTOPH. MANLINGIVS exhibet, *libro citato, cap. XI. pag. 261. seqq.* vbi de *militum superstitione* verba facit. A politico statu, si ad *ecclesiasticum* transeamus, amplissimum itidem superstitionum deprehendemus campum. Ea praecipue, quae circa Numinis cultum directe versatur, ab ipsis haud raro sacri ordinis viris alitur, fouetur, immo & quandoque defenditur, tum quod illorum interest, ea homines imbutos esse, tum quod plurimi eodem & ipsi morbo laborant, in peruersa ista praeposteraque colendi Deum ratione spem omnem salutis ponentes. Vtrumque iterum vel Romanae ecclesiae exemplo luculenter patet. Istius con-

tra superstitionis, quae indirecte circa Numinis cultum versatur, *status domesticus* exempla quotidie innumera suppeditat. Siue enim pecori concilianda sit foecunditas, siue fertilitas agris, aut damna quaeuis a re familiari auertenda, si fortunarum procurandum incrementum, si morbi a liberis iumentisque pellendi, superstitio statim vel mille remedia, quibus haec omnia & longe plura effici queant, suppeditat. Quid vero de omnibus dicam? quae homines plebei sine fine captant, ut de anni prouentu, de suis aut liberorum fati futuris, certiores reddantur, & num hoc aut illud negotium ex voto succesurum sit, resciscant. Inter ipsos etiam fures atque latrones stolidae superstitionis deprehendere documenta licet. Si enim anulum ex catena, qua quis in patibulo suspensus est, aut manum vel digitum hominis suspensi secum gestent, prospere feliciterque facinora sua sibi cessura, firmiter sibi persuadent; ut reliqua, quae eiusdem generis, quibus soporem hominibus; ne expergiscant, inducere, aut alia ratione securitatem in facinoribus suis perpetrandis sibi conciliare conantur, taceam. Possem ulterius ostendere, nullum vitae humanae actum notabilem esse, qui superstitioni non inseruiat, simulque speciatim de superstitione circa *natiuitatem hominis & baptismum, circa sponsalia*

&

& *nuptias*, circa *aegrotos*, *mortem* & *sepul-
turam*, varia in medium adferre; sed cum
maximam partem haec longe notissima sint,
& nobis ad finem tandem properandum sit,
his diutius non immorabimur.

§. IV.

Medela denique tum demum rite
adferetur superstitioni, * si a praejudi-
catis falsisque opinionibus, inepta cum-
primis credulitate, liberetur intellectus; **
simulque imaginatio intra iustos limites
coërceatur; *** voluntas autem a pravis
cupiditatibus, speciatim & ab avaritia pur-
getur. * Qua in re vt legitima verbi
diuini tractatio cum precibus deuotis
coniuncta, vtramque merito paginam fa-
cit, ** ita & philosophiae, verae & ge-
nuinae studium sobrium, minime con-
temnendum est. ***

* Remedia superstitionis aequae ac atheismi
vel *προφυλακτικά* sunt, vel *θεραπευτικά*.
Ad illa pertinet educatio, institutio, conuer-
satioque. Haec enim omnia si superstitioni
faueant, ad corrumpendas mentes ingenias,
& hocce veneno inficiendas, plurimum va-
lent; rursus tamen, si ita, vt debet, com-

Ecc § para-

parata sint, ad praemuniendos contra hanc pestem iuuenum animos vim egregiam habent & prorsus singularem. Minus sane frequens esset hicce morbus, nisi plerique mortalium a prima infantia a nutricibus, parentibus, praeceptoribus, eodem inficerentur, & deinceps inter eos, qui eo laborant, viuendum esset. Quousque autem aut in nostra, aut aliorum positum sit potestate, hisce remediis vti, quilibet facile intelligit. Nos hic de *Ἐξαπνευτικῶς* praecipue sumus solliciti, quorum summa eo redit, vt eiusmodi homines ad stultitiae suae & miseriae agnitionem perducantur. Hoc si obtinueris, reliqua facile procedent. Non itaque argumentis multis, aut disputationibus opus est, vti contra atheos. Detexisse enim superstitionem, est eam refutasse. Nec rationibus eiusmodi homines pugnare solent, quippe quibus destituuntur; sed cuncta ad imaginationem, experientiam, sed falso iactitatum, narrationes aliorum redeunt, quae cum lubrica sint & infirma, explodi statim, si fides eis non adhibeatur, & ita vnico ictu prosterni possunt.

** Credulitatem enim cum aliis intellectus vitiis, inter causas superstitionis haud vltimum tenere locum, ad §. I. huius capituli docuimus. Quaecumque autem ratio sit, ab
 eius-

PROPRIET. ET REMEDIIS SUPERSTITIONIS. §II
eiusinodi morbis & imbecillitatibus intel-
lectum liberandi, omnium rectissime philo-
sophia docet.

*** Namque & hanc inter causas superstitionis referendam esse, ad §. I. huius capituli ostendimus. In emendanda autem & corrigenda imaginatione, exercitationem utramque facere paginam, a libi ex instituto docetur. Haec autem ut rite adhiberi & institui queat, defectus imaginationis prius agnoscere necesse est. Hi ergo ut hominibus, superstitionis morbo laborantibus, ostendantur, opera sedulo est nauanda.

• Praeterquam enim, quod credulitas, aliaque intellectus vitia, quae pro causis proximis superstitionis habentur, maximam partem ex prava voluntatis dispositione originem trahunt, eam superstitionem, quae directe circa Numinis cultum versatur, in meticulo quodam erga Deum adfectu praecipue consistere, constat. Vnde neminem, nisi emendata rite & purgata voluntate, ab ea liberari posse, manifestum est. Eam vero, quae indirecte circa Numinis cultum versatur, superstitionem, prauis cupiditatibus, praecipue & auaritiae imputandam esse, res ipsa neminem dubitare finit. Nec enim vlla alia magis re ad commercia cum malignis spiritibus, similiaque suscipienda, inducti

ducti sunt mortales. Curiositas intempestiua, si quos in transuersum egit, eam tamen, si modo non aliud hocce nomine regatur vitium, nihil aliud, quam voluptatis esse speciem, alibi demonstratur. Huius autem vt & reliquarum cupiditatum, quae ad superstitionem ducunt, in voluntate hominum sedes est.

** Non alibi, quam in ipsa scriptura sacra, tum contra vitia quaeuis, tum & contra superstitionem, certiora praestantioraque inuenire licet remedia. Haec enim primo euidenter docet, verum genuinumque Numinis cultum non in ritibus, non in ceremoniis, aut actibus externis, sed in puro atque sincero Numinis amore consistere, *Deut. VI. 5.* Quocum vt timor filialis, fiducia, obsequium, & reliqua, quae cultum internum absoluunt, indissolubili vinculo coniuncta sunt, ita ab iis, qui vera in Christum fide destituuntur, frustra expectatur. Per Christum enim seruatorem cum patre conciliati, *II. Cor. V. 20. εν πληροφορία πιστως* ad eum accedere possumus, *Ebr. X. 22.* Vbi ergo vera in Christum fides, ibi & amor sincerus Dei, immo & proximi, cum hic ex illo non possit non fluere, *I. Ioann. IV. 20.* Quo sensu & Iacobus *purum & impollutum apud Deum & patrem cultum* (*Θρησκείαν καθαράν*

PROPRIET. ET REMEDIIS SUPERSTITIONIS. 813
 καὶ πατέρα καὶ ἀμύαντον παρὰ τῷ Θεῷ καὶ
 πατρί) hunc esse, ait, curam gerere pupillarum
 & viduarum, in eorum calamitate, & inta-
 minatum se custodire a mundo, cap. I. v. 27.
 Summatim autem Paulus apostolus cuncta
 complectitur, asserens: in Christo Iesu ne-
 que circumcisio quicquam valet, neque prae-
 putium, sed πίστις δι' ἀγαπῆς ἐνεργουμένη,
 fides per obaritatem operans, Gal. V. vers. 6.
 Et licet scriptura ritus & ceremonias cum
 cultu Numinis interno non pugnantes, sed
 eundem potius promouentes, non damnet,
 ac reiiciat, immo omnia etiam in contenti-
 bus, qui sacrorum causa instituuntur, ἐυχρη-
 μέως καὶ κατὰ τὸ εἶναι fieri velit, I. Cor. XIV.
 vers. 40. tantum tamen abest, ut illorum,
 qui in externis eiusmodi tantum Numinis
 cultum ponunt, errorem adprobet, ut istos
 etiam, qui ritibus a Deo ipso in veteri te-
 stamento praescriptis hac ratione abuteban-
 tur, grauissime reprehendat, ut vel ex *Esaiac*
cap. I. III. seqq. abunde liquet. Neque tantum
 ostendendo veram diuini cultus rationem
 superstitioni obuiam in scriptura sacra, sed
 per fidem in Christum seruatorem, ad quam
 homines ducit, contra eorum, tum a reliquis
 adfectibus prauis, tum maxime a metu ser-
 uili, adeoque & omni superstitione purgat;
Actor. XV. vers. 9. Ut enim fides in Chri-
 stum uictoria est mundum superans, ita per
 eum

eam etiam cum reliquis cupiditatibus pravis, meticulosam istam, quae in superstitiosis hominibus est, animi dispositionem vincere possumus. Et licet homines veram pietatem sectantes, in vero Numinis cultu non minus *ἀξιθεῖς* esse studeant, quam sunt quandoque superstitiosi, nihil tamen absque Numinis praescripto, cuncta vero non ex spiritu seruili, sed ex amore, adeoque spiritu filiali agunt. Non enim *seruitutis spiritum acceperunt, rursus ad metum, sed spiritum acceperunt adoptionis, per quem clamant, Abba, pater, Rom. VIII. 15. conf. Gal. IV. 6.* Quo magis etiam in amore Numinis proficiunt, eo longius metum omnem seruillem, genuinam superstitionis matrem, a se remouent. *In charitate enim metus non est: quin perfecta charitas foras quatit metum, quoniam metus cruciatum habet: qui- que metuit, perfecta charitate non est: I. Ioan. IV. 18.* Fides vero dum reliquis etiam animi morbis medetur, eo homines adducit, vt in calamitatibus quibusuis a solo Deo auxilium expectent, eiusque in omnibus praescriptum sequantur, hinc & inter alia, vanam & intempestiuam curiositatem fugiunt. Idque qui serio facit, ab iis etiam superstitionum generibus, qui indirecte circa Numinis cultum versantur, animo erit alienissimo. Immo haec omnia eo magis de-

testa-

PROPRIET. ET REMEDIIS SUPERSTITIONIS. 815
testatur, quo certius nouit, ista omnia
cum vero Numinis cultu consistere non
posse, immo seuerissime a Deo esse
prohibita; conf. *Deuter. XVIII. vers. 10.*
Leuit. XX. 27. add. & *Esa. XLVII. vers. 12.*
13. 14. Idque probe illi ex Ephesiis intelli-
gebant, qui ante conuersionem suam *πε-*
πίεργα tractauerant, libros quippe, in qui-
bus talia continebantur, adferentes, & ad
eiusmodi facinorum detestationem publice
concremantes; *Act. XIX. 29.* Ex scriptura
autem dum remedia contra superstitionem
petenda, contendimus, de *legitima eius* hoc
intelligimus *tractatione*; vt aliquis eam dili-
gentia debita non tantum legat, sed & scru-
tetur, verumque eius ac genuinum sensum
inuestiget, tum cuncta rite ad se ipsum
transferat, & hac ratione ad poenitentiam
& fidem, & per fidem ad sincerum Numi-
nis amorem perducatur. Quod fieri non
posse, nisi preces deuotas & ardentissimas
cum ista tractatione coniungat, obsequi-
umque doctrinae coelesti praebere paratus
sit, nemo non intelligit. Hoc enim si
non faciat, sed existimet, externam uerbi
tractationem sine attentione, sine serua ap-
plicatione, sine animi exploratione, sine
precibus, sibi profuturam, speratum non
tantum inde non referet fructum, sed potius
hoc ipso superstitionis se reum faciet.

*** Verae

*** Veracē & genuinae philosophiae studium ad eiiciendam ex animo superstitionem plurimum conferro, non temere quis, nisi expers fuerit omnis philosophiae, dubitauerit. Credulitatē enim, similibusque intellectus vitiis, medebitur logica; quippe cuius hocce est proprium munus. Morbos enim istos intellectus non tantum designat, sed eorum etiam foeditatem demonstrat, & rationem ab iis se liberandi ostendit. Philosophia moralis, vti de reliquis adfectibus, ita & de auaritia, metu inconsulto, & intempestiua curiositate nos erudit, & quanto studio haec omnia, ne miseros nos reddant, fugienda sint, nos condocet. Physica autem, seu naturalium rerum scientia id efficit; vt euidenter intelligamus, falsi magnopere homines supersticiosos, dum inter causas quasdam & effectus nexum sibi fingunt, qui reuera non tantum non est, sed nec esse potest; stolidetque adeo & insipienter eos agere, qui sibi ab aliis ea persuaderi patiuntur, quae non tantum non sunt, sed nec esse possunt. Haec vero omnia, cum abunde ex supra dictis constant, plura vt addamus, necesse non est.

S. D. G.

CAP.



CAPITVM

QVIBVS HAEC COMMENTATIO

ABSOLVITVR

S E R I E S

- I. AN DENTVR ATHEI? VBI ET HISTORIA ATHEISMI SVCCINCTE TRADITVR, ET AB EIVS SVSPICIONE VIRI QVIDAM INNOCENTES LIBERANTVR.
- II. ATHEISMVS QVID ET QVOTV- PLEX? VBI ET PRAECIPVA ATHEISMI FVNDAMENTA EXHIBENTVR.
- III. DE DOGMATIBVS, QVAE CVM ATHEISMO CONIVNCTA SVNT, AVT AD EVM DVCVNT.
- IV. DE ATHEISMI CAVSIS, PROPRIETATIBVS ET EFFECTIBVS.
- V. DEVM ESSE DEMONSTRATVR.

Fff

VI. FVN-


VI. FVNDAMENTORVM ATHEISMI
EVERSIO, VBI ET AD PRAECIPVA
ATHEORVM ARGVMENTA RE-
SPONDETVR.

VII. REFVTATIO DOGMATVM CVM
ATHEISMO CONIUNCTORVM,
AVT AB EVM DVCENTIVM.


VIII. SVPERSTITIO QVID ET QVO-
TVPLEX ? SPECIATIM DE IIS
SVPERSTITIONVM GENERIBVS,
QVAE DIRECTE CIRCA NVMI-
NIS CVLTVM VERSANTVR.

IX. DE IIS SVPERSTITIONVM GE-
NERIBVS, QVAE INDIRECTE CIR-
CA NVMINIS CVLTVM VERSAN-
TVR.

X. DE CAVSIS, EFFECTIBVS, PRO-
PRIETATIBVS ET REMEDIIS SV-
PERSTITIONIS.



INDEX



INDEX AVCTORVM

QVORVM SCRIPTA ET TESTIMONIA
HINC INDE ADVOCANTVR.

A

- A**ALSTIVS Io. 278
ABARBANEL R. Isaac 286
ABBADIE Jac. 376. 456. 467. 627. 648
ABAEIARDVS Petrus, 108
ABELIANVS, 78. 326. 754
ALBERTVS M. 76
ALDOBRANDINVS Thomas, 59
ALEXANDRO Alex. 752
ALLIACENSIS Petrus, 722. 725
ALLIX Petrus, 624
AGRIPPA Henr. Corn. 703. 766. 770
AMBROSIVS, 540
ANTONINVS M. Aur. 52. 54. 90. 480
APONENSIS Petr. 736
APVLEIVS, 701
de AQUINO Thom. 166
ARNOBIVS, 98. 104. 105
ARNOLDVS Gothofr. 122. 185
ATHENAGORAS, 104

Fff 2

AVGV

INDEX

AVGVSTINVS, 21. 23. 97. 98. 354. 679. 689. 707.

742

AVERROES, 261

B

BACO Rogerus, 736

BAELIVS Petrus, 21 29. 34. 43. 45. 48. 51. 59. 60.

70. 76. 100. 108. 119. 129. 137. 138. 141. 144.

149. 152. 243. 244. 250. 252. 262. 264. 273. 276.

277. 292. 339. 346. 364. 365. 368. 499. 503. 550.

551. 552. 703. 720. 725. 806

BAILLETVS Adrianus, 152

BALTVS, 29. 287

BARBARVS Hermolaus, 110. 144

BASNAGIVS, 254

BECMANNVS Ioan. Christ. 754. 757. 758. 779.

807

BECKERVS Balth. 278. 579. 778

BENTLEY Rich. 181. 198. 332. 386, 391. 399. 423.

440. 455. 486

BENOIST Elias, 2. 102. 196

BERNARDVS Jac. 156. 347

BLYENBURGIVS Guil. 171

BOCHARTVS Sam. 698

BOECLERVS Io. Henr. 130. 714.

BONAMICVS Laz. 144

BORREMASNVS Ant. 143

BOYLE Rob. 181

BRAVNIVS Io. 179

BRVNVS Iord. 109. 113. 301

BVR-

A V C T O R V M.

BURNETIVS Thom. 63
 BURNETIVS Gilb. 344
 BUXTORFFIVS Io. 801

B.

CALLIMACHVS, 87. 806
 CALOVIVS Abrah. 677
 CALVINVS Io. 201. 689
 CARPZOVIVS Io. Gottl. 654
 CASALIVS Io. Bapt. 682
 CASAVBONVS Isaac. 47. 49. 657. 690. 739
 CASAVBONVS Mericus, 81
 CAMERARIVS Phil. 794
 CAMPELLENSIS Guil. 198
 CHAVVINVS Petrus, 360
 CHIFFLETIVS Io. 735
 CHEYNE Georg. 182. 227. 387
 CARDANVS Hieron. 109. 126. 205. 234. 711. 721.
 723. 726. 762
 CARTESIVS Renatus. 147. 152. 264. 358. 369.
 489. 716.
 CENSORINVS 435. 448. 755
 CHRYSOSTOMVS Io. 219. 745
 CICERO M. Tull. 23. 24. 33. 35. 45. 46. 47. 51.
 58. 59. 63. 67. 70. 72. 74. 75. 85. 97. 256. 263.
 281. 363. 381. 413. 416. 418. 425. 429. 431. 450.
 451. 453. 470. 476. 477. 482. 485. 487. 560.
 563. 661. 744. 762. 791
 CLARCHIVS Sam. 267. 375. 378
 CLAUDIANVS, 249

fff 3

ELL

I N D E X

- CLERICVS Dan. 84
 CLERICVS Ioan. 156. 182. 227. 287. 289. 328. 387.
 630. 714
 CLEMENS ALEXANDRINVS, 60. 73. 79. 207. 256
 COLBERGIVS Ehregott Dan. 29
 COLERVS Io. 164. 167. 172. 173. 606
 COLLINVS Ant. 10. 91. 97. 99. 197
 COMESTOR Petr. 698
 CONRINGIVS Herm. 133. 134. 135. 450
 CONTARENVS Casp. 118
 COTELERIVS Io. Bapt. 698
 COVWARDVS Wilh. 251. 265
 CRELLIVS Io. 595
 CRENIVS Thom. 144
 CRINITVS Petrus, 145
 la CROIX du Maine, 149
 la CROZE, III. 114. 116. 121. 125. 130. 148. 200.
 201. 324. 364
 CVDWORTH Rad. 21. 281
 CVFFELERVS Abr. Io. 174
 CVPERVS Franc. 171. 173
 CVRTIVS, 805
 CYPRIANVS, 696
 CYRILLVS ALEX. 64. 219. 623. 632

D.

- van DALE Ant. 746
 DAVBVZ Car. 631
 DELRIO Mart. 127. 689

DIEC-

AUCTORVM.

DIECMANNVS Io. 124
 DIGBAEVVS Kenelmus 564
 DIO CASSIVS, 104
 DIODORVS SICVLVS, 72. 85. 301
 DIONYSIVS, 363
 DONATI. Chriff. 419
 DRVSIVS Io. 243
 DVRANTVS Io. Steph. 682
 DVRRIVS Io. Conr. 172

E

ENNIVS, 88
 EPICTETVS, 52. 54. 90
 ERYTHRAEVVS Ian. Nic. 129. 146
 ESCHENBACH Andr. Chriff. 744
 EVSEBIVS, 19. 34. 36. 59. 60. 85. 253. 534. 566.
 623. 696. 706. 712

F

FABRICIVS Io. Alb. 12. 30. 35. 39. 66. 73. 76. 78.
 84. 91. 762. 768
 FABRICIVS Io. Lud. 364
 FAYVS Iac. 8. 102. 196. 265. 565. 661
 FENELON Franc. de Salignac 419. 433. 488
 FERRERIVS Augerius, 688
 FEVERLINVS Io. Guil. 155
 FLORVS L. Annaeus, 367
 FILESACVS Io. 691
 FLVD Rob. 763

Fff 4

GAFFA-

INDEX

G

- GAFFARELLVS Jac. 734. 738
 GALE Thom. 756
 GALENVS, 419
 GASSENDVS Petr. 68. 69. 76. 237. 242. 258. 271.
 463. 572. 717. 726
 GAUDENTIVS Pagan. 141
 GAVRICVS Luc. 722
 GAVANTVS Barthol. 682
 GELLIVS Aul. 37. 38. 74. 753
 GERSON Io. 105
 GEVLINGIVS Arnold. 174
 GIFANIVS Obertus, 246
 GLANVILIVS Ios. 579
 GRABIVS Io. Ern. 27
 GRAMONDVS Gabr. Barth. 121
 GRAPIVS Zach. 279. 361. 364
 GRATAROLVS Guil. 118
 GRATIANVS, 690
 GREGORIVS NAZ. 219
 GREW Nehem. 181
 GROTIUS Hugo, 629. 668
 GVNDLINGIVS Nic. Hier. 83. 145. 193

H

- HACHENBERGIVS Paul. 691
 HAMBERGERVS Georg. Alb. 419
 du HAMEL Io. Bapt. 474
 HAMMONDVS Henr. 668
 HANNEMANNVS Lud. 716

HART-

A V C T O R V M.

MARTSCHMIDIVS, 564
HERODOTVS, 19. 353. 254. 446. 712. 768
HESIODVS, 89
HESYCHIVS ILLUSTRIVS, 72. 242
HILDEBRANDVS Ioach. 564
de HISPANIA Io. 6
HOBBSIVS Thom. 265. 277. 338. 514. 517. 653
HOMERVS, 89. 445. 360. 688
HORATIVS, 54. 408
HVETIVS Pet. Dan. 113. 172. 195. 196. 372. 564. 653
HVLDRICVS Io. Iac. 687
HVNIVS Aegidius, 647

I

IABLONSKI Dan. Ernst. 332
IAEGERVVS Io. Wolfg. 174
IAMBlichVS, 255. 706
IAQVELOT II. 156. 172. 449. 433. 648
IENICHEN Gottl. Frid. 164. 172. 178
IENSIVS, 172
IMPERIALIS Io. 140. 142. 145
IVNCKERVS Christianus, 304
IVNCTIVS Franc. 726
IOSEPHVS Flavius, 243. 254. 623. 630
IVRIEV Petr. 89. 156
IVSTINVS, 144. 149. 151. 767
IVSTINVS, Martyr, 26. 30
IVVENALIS, 793

K

KNVTSSEN Matthias, 198

Eff 5

KORT-

INDEX

KORTHOLTUS Christ. 104. 168. 171. 183. 188. 295.
300. 794

KRAVSIVS Ioan. Gottlieb, 714

L

LACTANTIVS, 64. 72. 89. 237. 247. 319. 551. 568.
696 .

LAERTIVS Diog. 21. 24. 25. 33. 36. 37. 44. 46. 47.
48. 49. 51. 59. 60. 61. 62. 64. 67. 68. 71. 81. 90.
231. 255. 271. 273. 425. 477. 479. 482

LAMBECIVS Petr. 712

LAMI Franc. 172

LAVNOIVS Io. 39

van LEENHOF Frid. 178

LEIDECKERVS Melch. 172

LIGTFOOTVS Io. 244

LINDENBROGIVS Frid. 740. 755

LIPSIVS Iustus, 16. 62. 259. 453. 477. 788

LIVIVS Tit. 96. 101. 753

LOCKIVS Io. 360

LVCRETIVS Tit. 231. 232. 245. 257. 390. 394. 397.
399. 408. 422. 425. 428. 491. 495. 521. 567.
570. 659

LVTHERVS Mart. 42. 201

M

MACROBIVS, 261. 451

MAENLINGIVS Io. Chr. 446. 756. 758. 801. 807

MAIMONIDES Moses, 14. 286. 669. 713

MALEBRANCHIVS, 150

MANSVELDIVS Regnerus, 172

MAR- .

AUCTORVM.

- MARCELLINVS Ammianus, 740
 MARTINI Raimundus, 631
 van MASTRICHT Petr. 172
 MAYERVS Io. Frid. 721. 726
 MELA Pomponius, 33. 346
 MELANCHTON Phil. 143. 266
 MENAGIVS Aegid. 34. 49. 75. 273. 776
 MERSENNVS Marius, . III. 147
 MILLIVS Thomas, 267
 MICHAELIS Greg. 734
 MINVTIVS FELIX, 23
 MIZALDVS Anton. 729
 MOLINAEVS Petrus, 91
 MOLLERVS Io. 200
 MONLORIVS, 144
 MONTANVS Mich. 147. 150
 MORMOFIVS Dan. Georg. 117. 113
 MORINVS Ioan. Bapt. 166. 714. 724
 MORVS Henr. 172. 173. 181. 400. 483. 564. 578
 de la MOTHE C. G. 172
 MVLLERVS Ioan. 10. 110
 MVRETVS M. Anton. 73
 MVSAEVS Ioan. 172. 182. 199. 361. 372. 648

N

- NAVDAEVS Gabr. 58. 66. 117. 127. 701. 703. 725
 NEVTON H. 227. 387
 NICHOLS Guil. 181
 NIPHVS Augustinus, 117

OLEA-

I N D E X

O

- OLEARIUS Gottfr. 27. 82. 702
 OLEARIVS Io. Gottlieb; 119. 121. 124
 OMEISIVS Magnus Dan. 786
 ORIGENES, 284
 OVIDIVS, 443. 693

P

- PANCIROLLVS Guido, 455
 PARACELSVS Theophr. 720
 PARKERVS Sam. 21. 23. 24. 39. 41. 46. 56. 58. 66.
 129. 137. 138. 139. 153. 155. 181. 187. 192. 400. 419.
 463. 490
 PASCHIVS Georg. 688. 704. 710. 724. 725. 729.
 704. 736. 765
 PAVSANIAS, 253
 PEDEMONTANVS Alexius, 729
 PERERIVS Bened. 696. 716.
 PERIZONIVS Iac. 86
 PETERSEN Io. Wilh. 200
 PETITVS Petrus, 283. 286. 601
 PEVCERVS Casp. 762. 766
 PEYRERIVS Il. 305. 653
 PHILEVTERIVS, 197
 PHILO, 16
 PICVS Ioan. 716. 720
 PFEIFFERVS Aug. 10. 654. 670. 768
 PLACEIVS Vinc. 564. 643
 PLINIVS, 96. 102. 251. 273. 401. 414. 446. 451. 624.
 688. 692. 695. 699. 700.
 PLINIVS Iunior, 629

PLV-

A V C T O R V M.

PLVTARCHVS, 44. 58. 64. 76. 81. 85. 87. 231. 281.
 470. 721. 806
 POGGIUS Franc. 109. 113.
 POIRET Petr. 157. 158. 172. 513
 POMPONIVS vid. MELA.
 POPEBLOVNT Thom. 150
 PORPHYRIVS, 592. 705. 707
 PORTA Io. Bapt. 729
 POSSEVINVS Anton. 133. 201. 205. 209
 POSTELLVS Guil. 39
 PRITIVS Io. Georg. 356
 PROCLVS, 707
 PTOLOMAEVVS, 723
 PVFENDORFIVS Sam. 672. 681
 PYCROFT Sam. 197

Q
 QVINTILIANVS, 425

R

RAIMVNDVS Florim. 716
 RAINOLDVS Ioan. 87. 103
 RAPPOLTVS Frid. 54. 172
 RAPHSON Iof. 330
 RAYNAVDVS Theoph. 73. 118. 123. 127. 132. 203
 RAYVS Ioan. 181. 390. 396. 419. 490
 RECHENBERGIVS Adamus, 219
 REINESIVS Thomas, 36. 57
 REISERS Anton. 7
 RINGELBERGIVS Ioach. Fort. 764
 ROMANVS Car. Frid. 279
 RONDELLVS Iac. 68

desa-

INDEX

S

- de SALIGNAC vid. FENELON.
 SAGITTARIUS Casp. 443
 SALLVSTIVS, 443
 SALMASIVS Claud. 714. 721. 755
 SALVIANVS, 547
 SARESBERIENSIS Ioan. 716
 SAVANOROLA Hieron. 716
 SCHMIDIUS Erasmus, 676
 SCHMIDIUS Io. Andr. 84. 419. 689. 726
 SCIOPPIUS Caspar, 114
 SCHOOCKIUS Mart. 152
 SCHRAMMIVS Ioan. Maur. 121
 SCHWELINGIVS Eberh. 564
 SECKENDORFIVS Vit. Lud. 43
 SELDENVS Ioan. 722. 732
 SENECA, 52. 53. 67. 259. 561
 SEXTVS EMPIRICVS, 28. 63. 74. 85. 90. 214. 215.
 237. 242. 262
 SIMON Rich. 92. 112. 306
 SPARTIANVS Ael. 736
 SPENERVS Phil. Iac. 205. 344. 359
 SPINOZA Bened. 264. 273. 284. 291. 296. 303. 336.
 429. 552. 601. 605. 611. 614. 635
 SPIZELIVS Theoph. no. 137. 141. ff. 186. 311. 314
 STANLEIVS Thom. 27. 60. ff. 80. ff. 270. 214
 STEENWINCKELIVS Paulus, 278
 STEPHANVS Henr. H
 STILLINGFLEET Eduard. 626
 STOVPA, 179
 STRABO, 17. 63. 195. 301. 446. 626

STRV

A V C T O R V M

STRUVIVS Burc. Goth. 112. 114. 131. 314. 744

STVRMIVS Io. Christ. 419

STVRMIVS Leonh. Christ. 715. 716

SVETONIVS, 629. 744. 806.

SVIDAS, 67. 72. 76. 767

T

TACITVS C. Corn. 135. 343. 445. 629. 807

TATIANVS, 451

TAVRELLVS Nic. 238

TEISSIERIVS Anton. 150

TERTVLLIANVS, 259

THEODORETVS, 60. 249. 256

THEOPHILVS ANTIOCH. 36. 56

THEOPHRASTVS, 741

THOMASIVS Iac. 31. 41. 42. 52. 54. 77. 105. 107. 238.
243. 261. 453

THOMASIVS Ienkinus, 40. 64. 182. 226. 326. 378

THOMASIVS Christianus, 177

THVANVS Aug. 147. 756

de TILLADET, 196

van TILL Salom. 172

TOLANDVS Ioan. 9. 101. 103. 116. 179. 180. 194.
265. 301. 375. 531. 627. 659

TRALLIANVS Alexand. 688

TRIBBECHOVIVS Adamus, 201

V

VALERIANVS M. 39

VALERIVS MAX. 79

a VALLE Gothofr. 149

le VASSOR Mich. 172

VAYERIVS Franc. Moth. 723

VEL-

INDEX AVCTORVM.

VELLEIVS PATERCVLVS 64
 VELTHVSIVS Lamb. 172
 de VERSE Aubertus, 172
 de VILLEMANDY Pet. 139. 215. 237. 463
 VIRGILIUS MARO, 694
 VIRGILIUS Polydorus, 446, 451
 VIVES Ludou. 143
 VNTEREICH Theod. 333
 de VOISIN Ioseph
 VOETIVS Gisb. 4. 110. III. 141. 148. 149. 152. 178.
 207. 342
 VOSSIUS Gerh. Ioan. 33. 34. 47. 143. 272. 401.
 447. 714. 717

W

WAGTERVS Io. Georg. 12. 365
 WAGNERVS Tobias, 113. 142. 184
 WALTHERVS Mich. 654
 WECKERVS Io. Iac. 729
 WEIGELIVS Val. 717.
 WERENFELSIUS Sam. 746. 750. 761
 WIERSVS Ioan. 177
 WITSIVS Herman. 630
 WITTICHIVS Christoph. 172. 174.
 WOLFFIUS Io. Christoph. 6. 13. 16. 22. 24. 32. 244. 365

X

XENOPHON, 25. 28. 46

Y


YVON Petrus, 172

Z

ZACHTVS Abr. 243

ZEISOLDVS Ioan. 43. 272

INDEX



INDEX RERVM

A

A *Brabamus*, an astrologiae inuentor? 712.
eius posteritas religionis verae conserua-
trix, 8

Abnegatio sui an cum magistratus officio bene
possit consistere, 355.

Abstinentia ab esu animalium, 668

Abusus in ecclesia christiana, 688

Aborigines, 346

Actus mentis reflexus an sensibus tribuendus?
518. 588

Academiae primae, 33.

Ggg

Adcifi-

Adeifidaemon, 8. 101

Ἀδιαφορία vltra saepe, quam par est, extenditur, 314

Aequator, eius in coelo situs, 390

Aegyptii, artis medicae vsu olim destituti, 446. gens antiquissima, 450. primi animas dixisse feruntur immortales, 253. astrologiae inuentionem sibi tribuunt, 711

Aegyptus ob terrae fertilitatem memorabilis, 439

Aer infinitus omnium rerum iuxta quosdam causa, 23. an rerum materia, ibid. pro Deo habitus, ib. plenus animarum, 270. omnibus necessarius, 396.

Aeternitas animarum, 361. rerum, 504. conceptus eius quoadmodum obscurior, 378. 238

Affectiones Dei, 177. affici an Deus dici queat, ibid.

Ἀπονοία, vnde oriatur, 316. a cognitione non separanda, 317. an cessare aliquando queat, 322

Alexander M. superstitione non intactus, 805. diem habuit fatalem, 754

Alexander, philosophus Epicuraeus, 55. 76

Almaricus philosophus, 104. 105. erroris eius origo, 106

Alphonsus, Castiliae rex, corporum coelestium systema confusum censet, 383

Ambitio,

- Ambitio*, impietatis atque atheismi causa, 369
Ambitiosi ad atheismum prona, 774
Amor aliorum, virtute quadam nobis conciliandus, 727
Amuleta, quaenam eorum efficacia, 733. 739
Amplitudo rerum infinita, 381
Απὸ Θεοῦ nimis saepe extenditur, 314
Αποθέωσις naturae, 13
Anatomica hodie diligentius exculca, 389
Anaxagoras, philosophus, 25
Anaximander, philosophus, 19. 434
Anaximenes, philosophus, 19
Ancile, Romanorum amuletum, 733
Angeli, existere a quibusdam negantur, 269. an possint edere miracula, 270. eorum officia & ministeria circa natiuitatem, vitam & resurrectionem Christi, 583. tres Abrahamo apparentes, 580. vid. *spiritus*.
Angeli mali an nihil in hoc mundo valeant efficere, 589
Angelus increatus, 580
Anglia, opinionum varietate memorabilis, 178. atheismi non expertus, 180
Anima animae, 424. *humana* immortalis, 119. 123. 127. 359. an cum corpore gignatur? 569. diuina cura perfecta, 431. an Dei particula? 478. aut ex essentia diuina orta? 261. 568. an in Deum sine mundi
Ggg 2

I N D E X

mundi animam reuertatur? 254. pro facultatibus ex mechanismo resultantibus habita, 266. & cognoscendi ac volendi facultate praedita, 420. principium naturaliter mortale, iuxta quosdam, sed immortale reddendum, 267. quo tandem redeat, 268. dicitur *πνεῦμα πουργῶδες*, 259. *Anima Samuelis*, an Sauli apparuerit, 581. an artibus magicis e beatorum sedibus euocata, *ibid.* *Anima mundi* an *ὑπόστασις* diuina, 573. de *Anima brutorum* quid sentiendum, 503

Animalcula membrorum quoque vsu gaudent certissimo, 385

Animalia alia viuipara, alia ouipara, 409. pleraque tempus pullis maxime accommodatum accurate obseruant, 411. num ex terra gignantur? 439. terrestria cur capita in terram prona habeant, 402. cur quatuor pedibus instructa, 402.

Animantia, quibus ad nutritionem organis instructa, 407. terrestria & aquatilia dentibus, *ibid.* volatilia, ventriculo admirabilia, *ibidem.*

Animus per omnes mundi partes commens, 547. humanus infiniti imaginera capere non potest, 514. & suis & corporis laborare morbis

- morbis dicitur, 570. natura eius simplex,
 560
Anni climacterici, 755
Annihilatio, an sine infinita potentia fieri
 queat, 559.
Anaximenes, philosophus Cyrenaicus, Cynico-
 rum antistes, 50.
Apostoli factorum Christi testes idonei, 629. qua-
 ratione a Spinoza adducantur, 304
Apparitiones spirituum, an certiores nos reddant
 de eorum existentia, 577
Aqua varium in vita usum praebet, 393. an sit
 primum rerum omnium principium? 255. lu-
 stralis pontificiorum, 682.
Aquavilis quam admirabilis structurae, 406.
Arabes, astrologiae auctores, 712. 715. super-
 stitiosi, 802
Arbitria principum pro legibus, 445.
Arcana naturae, 700
Arcefilas, academiae secundae auctor, 32. 35.
Aretinus Petrus, atheis annumeratus, 109. 118
Argumenta ad probandam Dei existentiam va-
 rii generis, 372. 380. ff. 441. *atheorum*,
 519. ff.
Aristippus, Cyrenaicae sectae conditor, 45
Aristoteles, an atheus? 38. 40. cuiusmodi philo-
 sophiae

INDEX

- sophiae condiderit systema, *ibid.* an cum scriptura sacra consentiat? 39. 43. duas statuit substantias, 38. de Deo quid senserit, 52. de mundo quid senserit, 41. 238. eius de Deo a Stoicorum differt sententia, 42
- Ars* magica, an causis naturalibus nitatur, 696.
699
- Artes* diuinatoriae ante Mosis tempora, 712.
- Asaphus*, an de prouidentia diuina dubitauerit, 610
- Ascanius* Abderita, 37
- Ascitae*, haeticorum genus, 679
- Associatio* idearum superstitionis causa, 773.
783
- Astra*, in superstitionis occasionem versa, 720. cur gentiles pro diis coluerint, 388. an influxum habeant in corpora sublunaria, 437
- Astrologia* iudiciaria, 127. 214. superstitionis damnata, 711. eadem, aruspicina & auguratio, daemonum inuenta, 696. ab Arabibus ad Europaeos propagata, 712. cum theologia infeliciter coniuncta, 715
- Astrologi*, qua ratione contuincendi, 718. 721
- Astronomi*, qua stude digni, 382
- Atheismus*, quid sit, 207. quotuplex, 222. *practicus*, an a theoretico differat? 223. *Stoicus*, 225. 473. *theoreticus*, quotuplex, 214. *philosophicus* quotuplex, 224. *dogmaticus* quotuplex,

R E R V M

tuplex, 225. *Aristotelicus*, 227. *scepticus*, quo fundamento nitatur, 336. unde ostenditur, 309. inter Graecos frequentior, 79. *speculativus* in examen elencticum vocatur, 184. cum religione christiana comparatus, 353. cum superstitione comparatus, aequè noxius, in se autem longe est perniciosior, 353. stultitiae & irrationabilitatis arguitur, 332. an statui civili noxius, aut maius damnum adferat, quam idololatria & superstitio? 346

Atheismi historia, 182. fulcra praecipua, 161. gradus, 20. proprietates siue vitia, 330. remedia, 358. falso eius suspecti, 6

Athei, an dentur, 4. primi & secundi ordinis, 209. quinquam fuerint post renatas litteras, 110. clancularii, 132. 203. a virtute vera longe alieni, 335. stultitiae arguuntur, 332

Atheorum mater Italia, 111. eorum in Gallia multitudo, 147. varia systemata, 161. characteres, ex quibus cognoscendi, 341. ad principium a materia distinctum deducendi, 375

Atheus, vox quomodo sumatur, 5. haereticus, 208. providentiam diuinam non admittit, 241. animam hominis non credit immortalem, 251. an ex negatione spirituum finitorum arguendus, 376. atheus & superstitiosus inter se comparati, 341. atheus an agnito errore ad saniozem redire mentem

I N D E X

- queat, 344. an ciuitatis rationibus repugnet, 349. quam diu boni ciuis officio fungatur, 350. quo pacto religionem necessariam existimet, 351. superstitioso ad quidlibet audacior, 352.
- Atbenienses* αὐτόχθονες, 449
- Atom*i philosophorum quorundam principium, 55. rerum naturalium, 230. an semper extiterint? 483. an pondere praeditae? 484
- Attributa* entis independentis naturae, an omnia demonstrabilia, 379. in argumentum ab atheis vertuntur, 519. non separanda, sed coniungenda, 552. 554
- Auaritia* adfectum auget superstitionis, 775
- Auari* ad superstitionem proni, 774
- Aurea* an primum fuerint secula, 451
- Auris*, dextra tinniens quid ominis designet, 748.
: ex eius structura, Dei existencia demonstratur, 419
- Aures*, cur in altis corporum partibus collocatae, 416
- Auspicia* Augusto Imperatori obseruata, 744
- Auersio* a Deo naturalis, 308

B.

- Babylonii*, Empiricorum primi, 446. stultitiae
condemnantur, 450

Baculus

R E R V M.

- Baculus* in serpentem mutatus, 584
Baelius Petrus. an atheus, 147. 156
Barbarus Hermolaus, 110. 144
Beatitas an cum negotiis & curis conueniat, 67
Belgium, religionis in eo status, 179
Bella gerere an christianis liceat, 355
Berigardus Claudius, philosophus, an atheus,
 110. 138
Bion Boristhenaites, philosophus Cyrenaicus, 46
Bona in hoc mundo plurane, an mala sint, 550
Bonitas diuina quomodo consideranda, 554
Boni & honesti viri an sint in hac vita miseri, 562
Brunus Iord. an atheus? 109. 113. 115
Bruta qua animae natura praedita, 503

C.

- Cabbala* pura, 652
Caesalpinus Andr. atheismi accusatus, 109. 137
Caesar Cremoninus, 110. 139
Calamitates hominis an cum bonitate numinis
 consistere queant? 550
Caput hominis maiori cerebri copia quam bru-
 torum instructum, 414. qua structura gau-
 deat, 414
Captiuitas Babylonica praenunciata, 598
Carneades Cyrenaicus, tertiae academiae condi-
 tor, 32
Cardanus, Hieron. atheismi accusatus, 109. 126.
 ff. 234

Ggg §

Car.

I N D E X

- Cartesius* Renatus, atheismi accusatus, 147. 152
 cum Vanino comparatus, 152. an cum scepticis
 consentiat, 153. ratiocinatione fallitur, 370
- Callimachus*, philosophus Cyrenaeus, 87. 806
- Campanella* Thom. atheismi accusatus, 109.
 129. 724
- Campellensis* Guil. spinozismi suspectus, 108
- Casa* Jo. ob laudatam carmine paederastiam ma-
 le audit, no. 145
- Casus* rerum fortuitus negatur, 381. ff.
- Castigatio* quid iuuet, 557
- Cataphryges*, haeretici, 680.
- Cato* uterque, quo nomine censendus, 97
- Causa* prima demonstratur, 372. rerum creatu-
 rum vniuersalis, 432. primaria vnica, secun-
 dariae quatuor, 185. liberrime ac sapien-
 tissime agens, 384. necessaria an aliunde sit,
 378. sui ipsius num quid esse possit, 376. effe-
 ctrix quid sit, 58. materialis quid? ib. efficiens,
 an recte Deus pro ea a Spinoza habeatur, 177
- Causae* infinitae an sibi inuicem succedant, 374.
 rerum adspectabilium ab aliis dependent cau-
 sis, 376. subordinatae, 377. politicae in rebus
 publicis intercedentes, 543. secundae in rebus
 naturalibus, ib.
- Cautio* circa atheismi suspectos adhibenda, 184
- Celsus*, iuratus christiani nominis hostis, 91

Cere-

R E R V M.

Cerebrum humani capitis munimento instructum, 417.

Ceremoniae superstitioni inseruunt, 681

Chaldaei astrologiae inventores, 711. pantheismi rei, 15. iidem, atque Indi, an primi animas dixerint immortales, 253.

Characteres ad curandos morbos adhibiti, 739. magici successu aliquando non destituti, 779

Charitas christiana an cum officio magistratus possit consistere, 355

de *Cherbury* Eduard Herb. atheusne, an naturalista? 180. 182. 295

Chinenses, dubiae antiquitatis, 450

Cholerici vel maxime ad atheismum proni, 777

Christus, doctoris munere functus, 638. an nouam condiderit religionem? 534. mirabili ratione ecclesiam constituit, 544. plurima edidit miracula, 630. interdum in miraculis edendis medio, sed neutiquam naturali, usus fuit, 617

Christiani secundum seruatoris disciplinam vitam instituentes, mores statui sociali accommodant, 353. ab ethnicis impietatis accusati, 103.

Cicero, atheismi accusatus, 96

Circumspectio circa spectra opus, 578

Circumstantia vel minima quid valeat, 544. an plures circa miracula omissae, 615

Claudicatio Jacobi, luctae non imaginariae iudicium, 581

Clavicula Salomonis, 704

Cle.

I N D E X

- Clericis* magia prohibita, 739
- Coelum* in terra, 275
- Cogitatio* unde producat, 423. 491. quid? 499.
 naturae a Spinoza attribuitur, 169. an mate-
 riae repugnet, 500. an proprietates sit spiri-
 tus, 501. an cum extensione coincidat, ib.
- Cogitationes* hominum diuersae saepe & contra-
 riae, 427
- Cognatio* omnium inter se, 669
- Cognitio* Dei naturalis, qua methodo acquiren-
 da, 330. homini tribuitur, 517. sensualis quae-
 nam, 438. an Deo tribuenda, 520. alia in mente
 hominis reflexa, ib. Dei certa, num detur? 457
 rerum certa euincitur, 459. ab atheis negatur,
 517. obiecta eius quoduplicia, 461. nostra
 terminis angustis circumscribitur, 540. ve-
 ritatis ad praxin vitae deducenda, 317
- Coloniae* populorum, 449
- Columna* nubis, 588
- Commercium*, magorum cum spiritibus malignis,
 578. cur inita, 775. rerum permutatione olim
 peracta, 445
- Conceptus* entis infiniti quid inuoluat, 515. rei
 imperfectus an negationem rei inferat, 513
- Concordia* rationis & fidei, 200. 564. religionis
 christianae statusque ciuilis, 134. 535.
- Confusio* rerum unde metuenda, 415

Con-

- Coniunctio stellarum* quid portendat, 438
- Conscientiarum*, 199
- Consensus gentium* pro existentia Dei militans, 158
vniuersalis an ex educatione deriuandus, 366.
an norma veritatis vnica? 183. de inferis, 561
- Conseruatio rerum* a Deo creatarum, 542
- Consilia*, cur sapientissima effectu quandoque careant, 544
- Constantia corporum* coelestium incredibilis, 387. Iudaeorum in obseruandis institutis Moisaicis admiranda, 533
- Contingentia rerum* creatarum, in argumentum vocata, quid inferat, 377. futurorum 595
- Conuersatio* cum improbis noxia, 310
- Conversiones rerum* publicarum directionis diuinae indices, 543
- Copernicus* cuiusmodi systema condiderit, 387
- Cor* hominis munimentis instructum, 417
- Corpora* coelestia an incolis sint vacua, 382. solida, 385
- Corpus* an ex aere formari queat, 584. idem & substantia num differant, 192. 265
- Corruptio* naturalis omnibus mortalibus communis, 773 varia se ratione exerit, ib.
- Creator & creatura* num idem sint, 105. quomodo comparati, 220
- Creatio* Dei an essentiae ipsius mutationem inferat? 523. an per emanationem explicanda? 524. an in modificatione essentiae eius constituenda, ib.

Cre

I N D E X

- Credulitas* cum superstitione coniuncta, 757. nimia & inepta, 685. superstitionis causa, 773. 810.
- Critias*, degener Socratis discipulus, 28. atheismi reus, 235.
- Ctesias* exploditur, 444
- Cultus* deorum optimus, 661. Dei externus, an iure nitatur naturali, 675. peruersus, 671. fictus, 676. sine ritibus esse nequit, 681. verus in quo maxime consistat. 812.
- Cura* rerum omnium Dei opus, 546. an cum Dei beatitudine consistat, 251
- Curatio* morborum per verba & characteres, 730
- Cyrenaici*, atheismi rei, 46

D.

- Damis* Epicureus. 48
- Daphides* grammaticus atheismi reus, 79
- David de Dinanto*, atheismi, speciatim Spinozismi reus, 104. 106
- Democritus*, atheismi reus, 55. 64. 65. 435. 701
- Diagoras*, Epicureus, atheus, 55. 74.
- Dicaearchus*, acerrime contra immortalitatem differens, 263
- Diogenes* Cynicus, summae prope impietatis reus, 50
- Diogenes Pbryx*, inter atheos relatus, 79
- Daemones*, artium maleficarum inventores, 696.

futurorum contingentium ignari, 595

Daemoniaci, porcorum gregem immigrantes, 585

Decreta Dei quid sint, 613

Defensio suis circumscripta limitibus, an Christianorum moribus repugnet? 355

Demonstratio de Deo, 330. 378

Dependentia rerum à suis causis, 373

Desideria pia, unde sint enata, 325

Desiderium sciendi omnibus innatum, 459

DEVS ex mente Platonis cum materia coniunctus, 30. 330. 475. an libere mundum ex materia creauerit, ib. ἀντίστοιχῶς quo sensu a Platone dicatur, 31. primus ille motor, 41. Aristoteli pro anima mundi habitus, 52. pro forma assistente vel informante, ib. Deus & natura Stoicis vnum idemque, 53. 476. per γνῶμην intellectus, 81. Deus omnia, 105. finis omnium, ib. materia prima, ib. quis Spinozae sit, 169. 496. Deus & natura an eidem vnum sint idemque, 170. Deus omnium rerum causa materialis vel immanens, 171. an ex solo lumine naturae possit demonstrari, 173. an afficiatur, modificetur, 176. in scripturis quomodo locutus, 189. quomodo in somnio, ib. an absque creaturis possit concipi, 221. quomodo a Stoicis conceptus, 476. an fati legibus obnoxius, & cum materia coniunctus? 230. 475. an, si mala permittat, culpa vacare dici queat, 249. dominus exercituum, 384. generis humani conditor, 440. qualem mundum

I N D E X

dum creauerit, 541. quid ante mundum conditum egerit, 470. 472. ante mundi creationem qualis fuerit, 519. an ab homine cognosci possit, 517. ex conceptu incomprehensibilitatis demonstratur, 513. absque omni scientia & cognitione nullus, 529. annon sensibus, sed solo intellectu concipiendus, 527. vel ex ipsa sui notione omni menti insita cognoscitur, 537. ex miraculis, 608. bonitatis & potentiae immensae, 539. bonorum & malorum quomodo auctor, 546. rerum a se creatarum curam gerit, 537. recte factorum remunerator, 544. vindex scelerum iustissimus, 545. 562. an contingentia praeuideat? 596. an mala tollere & velit, & possit? 551. quomodo se ipsum contempletur, 521. quomodo aliquid decernere, certamque decreto conditionem possit adiicere, 524. 613. an salua essentiae suae immutabilitate varia facere decreta possit? ib. quomodo colendus, 677

Dei existentia vnde probetur, 369. speciatim ex mentis nostrae facultatibus 430. an ex spirituum finitorum existentia probari possit? 276. ex operibus creationis, 181. a consensu gentium demonstratur, 158

Deum esse, animis hominum est insitum, 358

Dii gentilium qui fuerint, 85

Diabolus, cum Michaelē angelo super corpore Moysis contendens, 582. sub forma serpentis naturalis latitans, 696

Disce-

R E R V M.

- Dispositio* in summa rerum varietate aptissima, 380. naturalis ad vaticinandum, 601
- Disputationes* de rebus diuinis an reiiciendae? 329
- Distantia* solis ac planetarum a tellure nostra, 381. stellarum a sole reliquisque planetis, ib.
- Distincta* inter se diuersa admittunt praedicata, 496.
- Dies* quidam fausti, alii infausti, 752. quidam fatales, 754.
- Diffa* veterum minus recte intellecta, 773
- Digitus*, eorum structura mirabilis, 418
- Diluuium* vniuersale sine miraculo non contigit, 437. 455
- Directio* Dei circa fulmine ictos obseruanda, 398
- Diuersitas* morum & opinionum vnde? 530
- Divinatoria* superstitio, 759.
- Doctus* atheus, 324
- Dodryvellus* Henr. animam natura statuit mortalem, 267
- Dogmata* religionis christianae communia & propria, 621. 632. cum atheismo coniuncta, 241. ff.
- Domina* rerum quando introducta, 445
- Dubia* circa prouidentiam diuinam praecipua atheismi fulcra, 241
- Dubitare* scepticorum est, 488
- Dubitatio* Cartesiana, 155

Hhh

Eccle-

E

- Ecclesia* christiana mirabiliter plantata, 544.
 euangelica superstitionis expers, 804. ritus
 quosdam ex Romana retinuit, ib. Romanae
 crudelitas, 794
- Eclipses* solis & lunae usu suo non destituuntur,
 390
- Educatio* praua quid efficiat, 310. an diuersarum
 sit opinionum causa, 366. 530. superstitiosa, er-
 rorum causa, 777
- Effectus*, potentiae & virtuti auctoris respondens,
 380
- Eleatica* secta, 55
- Elementa* quatuor, ex iis Numinis existentia pro-
 batur, 392
- Elisaeus* vates, 603
- Eluiones* particulares, 454
- Emanatio* rerum omnium ex Deo, 13. 219. ad
 Spinozismum ducit, 271
- Ἐμπρωσις εἰδῶν, 424. 491
- Ἐθελοθρησκεία, 676
- Eius* infinitum quid inuoluat, 515. immutabile
 & independens omniumque perfectissimum
 quid requirat, 466. an necessario existat, 379.
 necessarium dari, euincitur, 373. 377
- Entelechia*, 144. 266
- Enthusiasmus*, vbi locum habeat, 665. an ab a-
 theismo differat, 251
- Epicuræi* mentis facultates explicare nequeunt,
 428.

428. diuinitam prouidentiam impugnant, 548

Epicurus, Deum absque rerum cura fingit, 55.
negauit prouidentiam, 66

Epistolae obscurorum virorum, 688

Errores eorumque causae, 529, quilibet in rebus
physicis pro superstitione non habendus, 749

Essentia & existentia Dei num perfecte compre-
hendi queat, 461.

Essentia spiritus an in cogitatione consistat, 501

Esus animalium, an iure naturali sit illicitus, 669

Ethnici honeste viuentes an salutis aeternae
compotes, 186

Euangelistae, quo loco habeantur Spinozae, 304

Eucharistia, cur instituta, 690

Euentus vaticiniis respondens, 591

Euclides Megarensis, philosophus, 45

Euripides, poeta tragicus, 87

Existentia Dei demonstrata, 158. in creationis
operibus manifestata, 181. ex miraculis, 507.
argumentis variis probata, 370. 372. 276. ne-
cessaria ad conceptum materiae non pertinet,
465

Exercitus in legiones, & hae porro in cohores
&c. distribuuntur, 383

Experientia quotidiana consulenda, 542. 544.
astrologorum ancora, stultorum magistra,
719

Extensum quid an Deus sit, 496

I N D E X

Extensio materiae tribuitur, 473. 501

F

Fabulae poetarum quo spectent, 561. de praeadamitis, 305

Facta Moſis duplicis generis, 625. quibus chriſtianae religionis veritas innititur, 629

Facultas mentis res concipiendi, 508. Deum cognoscendi an in homine detur, 517

Facultates animae an ex materia elici queant? 575

Fata gentis Iſraeliticae Abrahamo indicata, 598. mundi, regnorum & urbium an ab aſtris dependeant? 721. religionum, ſpeciatim chriſtianae, an ab aſtris pendeant? 722.

Fatum in motu perpendiculari fruſtra conſtitutum, 429. Stoicorum fatuum, 54, 481

Feliciores feliciffimis, 555

Feliciffimi miſerrimi, ib.

Felicitas vitae huius quomodo comparata, 555. improborum maior, quam reuera eſt, videtur, ib.

Feminae ad atheiſmum minus pronae, 776

Femininus ſexus moribus ſanguineo reſpondet temperamento, 776

Fides divina vnde oriatur, 640. hominum vnde exciteretur, 686. in Chriſtum, 812. rationi oppoſita, 157

Fertilitas quarundam regionum, 439

Fili

- Filii prophetarum*, 602
- Fines rerum omnium Dei prouidentiae dant argumentum*, 533
- Finis*, ad quem cuncta accurate conspirant, 381
- Fontes & fluuia an ex vaporibus oriantur?* 384
- Forma assistens an mundo competat*, 41. 52. *informans*, ib. & 475. *substantialis*, 472
- Fortuna* quid designet, 250. splendidissima cum labore incommensabili coniuncta, 555
- Franciscani monachi*, impiae superstitionis rei, 689
- Fruentum* principatum inter plantas tenet, 401
- Fundamenta atheismi*, 336. seqq.
- Fures stolidae superstitionis*, 808
- Futura*, an in somniis innotescant, 771. an spiritibus nota, 769. contingentia, 591. ff. ex siderum adspectibus deriuata, 719
- Fulgmina an casu contingant fortuito*, 397

G.

- Gallinae* pro pulloꝝ defensione, acriter in accedentes insurgunt, 411
- Gemmae* quaedam virtute daemones fugandi praeditae finguntur, 729
- Genius* infernalis, seductionis auctor, 580
- Generatio* aequiuoca ex orbe proscripta, 440
- Gentes*, earum origines de origine humani generis testantur, 436. extra societatem ciuilem

Hhh 3

con-

I N D E X

- constitutae an religionis omnis fuerint exper-
tes, 349. integrae quare a maiorum suorum
placitis, moribus, institutis, abeant, 366.
quaedam an sine nondum cognitae, 368
- Gentiles* cur diuinitatem astris tribuerint, 388.
christianae religionis hostes, 292
- Germania* atheismi non expert, 180. 198
- Geomantia*, ars diuinatoria, 76
- Gnostici*, 680
- Graecia*, nullis olim legibus adsueta, 445
- Graeci* quantum a barbaris acceperint, 451
- Gustatus* cur in certa oris parte habiter, 416
- Gustus* non tam actio, quam passio, dicitur, 322.
num pars sit, an accidens religionis, 324.
vtrum eo nobis potius, quam Deo, seruiamus, 322

H

- Harmonia* seu consensus scriptorum biblicorum,
642
- Haruspex* haruspici ridendus, 97
- Hauftus* halitus subterranei, 601
- Heracitus* philosophus, an atheus? 80. supersti-
tionis & idololatriae hostis, 81
- Heracleonitae*, 678
- Herbae* quaedam certis humani corporis parti-
bus seruandis tributae, 780

Hip-

- Hippocrates*, an atheus? 77. 83
Hippon, atheus, 79
Historiae in certa tempora distributae, 448
Historici gentilium nihil quod Mosis repugnet, proferre potuerunt, ib.
Hobbesius Thom. epicureismi reus, 180. 187. 235
Homo inter res creatas omnes nobilissima, 430. libertate praeditus, 554. quali corporis structura, 403. Statura inducitur erecta, 413. ad existentiam & sapientiam Nummis probandam spectat, 412. integer a Deo conditus, 554.
Homines vnde orti, 434. primum rudes, 451. propagandi genus suum facultate praediti, 440. vultuum varietate admirabiles, sibi nunquam prorsus similes, 414. an sine legibus aliquando vixerint, 444. an naturali polleant vaticinandi facultate, 286
Horae canonicae cum superstitione coniunctae, 68.
Humilitas, discipulorum Christi character, 544
Hypocrisis a superstitione caute discernenda, 796
Ἰπποκράτης Platonis tres, 261
Hypothetica decreta an in Deo mutationem inferant, 524

I

- Idea* vox quid significet, 370
Ideae atque imagines a mente percipiendae
 Hhh 4 421.

I N D E X

- piendae, 421. ex comparatione aliae formantur abstractae, ib. creantes & creatae, 105. intelligibiles in obiectis sensuum frustra quaeruntur, 518. plurimae in mente nostra a sensibus non ortae, 517
- Idearum* associatio, 784
- Idea Dei* nobis innata ad probandam eius existentiam, 369. an existentiam per se includat, 379.
- Idea* entis perfectissimi an ad entis eiusmodi existentiam probandam recte adhibeatur? 371
- Idea* rei infinitae, & summe perfectae, an aliunde quam a re infinita oriri queat? 369
- Idololatria* cum atheismo comparata aequinoxia, 352. superstitionis species, 662. alia crassior, 663. alia subtilior, ibid. Israelitarum, 610
- Iesus Nazareus*, maximis diuinam potentiam probauit miraculis, 629
- Ignis* vitam hominum iuuat, 392. varia ad vitam commoda praebet, ib.
- Ignorantia*, superstitionis causa, 777.
- Imaginatio* quid possit, 577. quid minus, 582. quid in uaticiniis, 284. an Deum assequi valeat, 527. superstitionis causa, 773. quanta eius vis? 778.
- Imagines* an efficaciam in morbis pellendis habeant, 737

Imita-

R E R U M.

Imitatio superstitionis causa, 777

Immaterialitas animae, immortalitatis argumentum, 559. vnde probari queat, 502

Immobilitas rerum omnium scepticismi principium, 60

Immortalitas animae asseritur, 119. vindicatur, 123. an vitae obstat iucunditati? 255. ex sola naturae lumine ostensa, 564. ea negata, an existentia Numinis statim etiam negetur, 252

Incantatores quinam fuerint, 707

Incarnatio Christi a Spinoza negatur, 299. impugnatur, 636

Inclinatio cordis ad praua naturalis, 308. an ad veritatem ducat amplectendam, 528

Imperia orbis supremæ directionis indiga, 543. maiora vnde orta, 443

Imperium civitatis pactis nititur & conventionibus, 339. quodnam voluntati competat, 431

Improbi cur prosperis subinde rebus utantur, 555

Incomprehensibilitas, Dei attributum, 511

Indifferentissimus religionum vniuersalis, 212. quoniam eius suspectus, 180, 186

Indigentia rerum creatarum, 541

Infinitas, Dei attributum, 512. impugnatur, 514

Hhh §

Infinita

I. N. D. E. X.

Infinita num plura dentur? 61

Infinitum obiectum cum finito intellectu comparatum, 370

• *Infirmitas* & indigentia rerum creatarum, 541

Influxus astrorum, 437. in corpora sublunaria, 717

Initium quod habet, an id finem quoque habeat, 569

Innocentes & nocentes a fulminibus feriuntur, 397. atheismi accusati, 201

Insecta, quae observanda de iis, 411. 440

Insuperbus naturae summam arguit sapientiam, 412

Intellectus, an unus sit numero, 573. divinus humano longe perfectior, 598. hominis qua vi polleat, 431. finitus an obiecti infiniti capax, 370. quanta eius corruptio, 209. circa Dei cognitionem a vitio purgandus, 527.

• *Intellectus* & voluntas, an in homine superstitioso rectius se habeat, quam in atheo, 159

Intelligentiae sphaerarum coelestium motrices, 41. 42

Iouius Paul. atheismi accusatus, 110. 142

Ionica, philosophorum apud Graecos secta, 19. atheismi rea, 20

Iosephus, providentiae diuinae testis, 545

Ire

- Ire* ad patres, quid sit? 566
- Irrationabilitas*, superstitionis proprium, 797
- Israelitae* de Deo plane conuicti, 610. religio-
ne iam ante Moſen imbuti, 534. 610. eorum
doctrina, 12
- Israelitica* gens ad superstitionem prona, 9
- Italia* foecunda atheorum mater, 111
- Iudaei*, siue Israelitae, religionis obseruantissi-
mi, 531. superstitiosi, 687. 801. testes Moſis,
622
- Iudicium* de probitate hominis difficillimum,
557
- Julianus*, imperator, apostata, 296
- Iurisprudentia*, a prisca facies recentioris diuer-
sa, 445
- Iustitia diuina* pro animae immortalitate argu-
mentum praebet, 562

L

- Lacydes* Cyrenaeus, secundae academiae philo-
sophus, 32
- Lapides*, vncti, 741. pretiosi, 400
- Lapsus* primorum parentum, 580
- Latitudinarii*, an in atheorum classem refe-
rendi, 295
- Lectio* librorum ad atheismum ducentium,
310
- Leges diuinae*, vel negatiuae, vel affirmatiuae,
666

I N D E X

666. quando ortae, siue cuius sint antiquitatis, 444. antiquorum simplices & rudes, 445. mechanicae quatenus, 490. motus a Deo constitutae, an tolli iterum & suspendi possint? 604. naturae circa naturalia obseruandae, 398. summam Dei arguunt sapientiam, ibid. vniuersales, 604
- Leucippus*, sectae Eleaticae philosophus, 55. 62
- Liberatio* ex captiuitate Babylonica praenunciata, 598
- Libertas* cogitandi, a quo asserta, 197. se mouendi, quid designet, 558. homini concessa, 554. an cum praescientia contingentium conciliari possit, 596. *hominis* in quo consistat, 426. an in motu declinationis constituenda, 429. summa, an cum immutabilitate queat consistere, 519. volendi, an essentiae repugnet immutabilitati, 524. omnis a Spinoza homini adimitur, 314
- Ligaturae*, superstitionis opus, 742
- Litterae* humaniores, an animos corrumpant, 312. 315
- Liuius Tit.* atheismi accusatus, 96. 101
- Loca* quaedam hominibus fatalia, 756
- Locustae* in Aegyptum adiectae, 618
- Logica*, an atheorum aliquando impietati inseruiat, 312
- Ἀλόϛ σπερματικὸς quid Stoicis sit, 480

Lucanus,

R E R V M.

Lucanus, atheismi accusatus, 97

Lucianus, atheus, 90

Lucta Iacobi, quomodo contigerit, 581. an imaginaria, ibid.

Lumen rationis, an ad salutem consequendam sufficiat, 431. an ad reuelationem inuestigandam eo uti liceat, ibid.

Luna vsus praestat longe nobilissimos, 190. quot telluri praestet comoda, 389

Lutberus Martinus, atheismi accusatus, 42. 208

M

Machiauellus Nicol. atheismi reus, 109. 132. 235.

Machiauellismus, 136

Magia naturalis, 692. illicita an cum Numinis cultu possit consistere, 691. quotuplex sit, 706. quaenam eius origo, 695. quodnam fundamentum, 697. quid hodie significet, 692. quem in finem adhibeatur, 775

Magi cum spiritibus malignis agentes, 578. 584. quinam sint, 707. quomodo daemones tanquam superiores inuocent, 706

Magnitudo vniuersi quanta? 381. infinitae maiestatis ac potentiae auctorem arguit, ibid.

Mala vera a falsis discernenda, 551. vera physica a moralibus oriunda, ibid. physica cum bonis comparata, 550. an cum bonitate Numinis conciliari possint, 247. moralia quo loco collocanda, 248. mala permittere, an diuinae

INDEX

- diuinae repugnet bonitati, 248. quare bonis viris accidant, 249
- Manichaei* duplex statuente principium, 244. quibus sacris vsi, 680
- Manichaeismus*, an ab atheismo differat, 156. ante Manichaeum, 244
- Marcionitae*, ibid.
- Manus*, multarum artium ministrae, 418. ad probandam Dei existentiam idoneae, 418.
- Materia*, an sit aeterna, & a Deo differat, 161. 504. an ex nihilo producta, 161. in se spectata, quid sit, 466. 467. an necessario existat, 161. 465. an sola hominem constituat, 438. an corpori hominis formando idonea, ibid. an cogitationis capax, 439. quomodo concipiat, 473. an semper moueatur, aut quiescere vnquam possit, 438. an vita quadam naturali & vi plastica instructa, 483. an motu praedita, 484. in se spectata mere passiuia, 486
- Materialitas* animae tribuitur, 566. refutatur, 567
- Mathesis* quomodo inuenta, 447
- Mathematici* nostri seculi laudantur, 383
- Mechanica* philosophandi ratio, 489
- Media*, gratiae a Deo constituta, 686. num qua in edendis miraculis a Deo adhibita, 616
- Medica* ars, quando inuenta, 446

Melan-

Melancholici meticulosi, 774. si superstitiosi
longe pertinaciores sunt sanguineis, 800,

Melancthon Philippus, atheismi accusatus,
201

Melissus, sectae Eleaticae philosophus, 55. 61

Membrana oculorum nictitans, 403

Mens humana totius orbis compendium, 420.
omnis materiae & destructionis expers,
558. hominum an numero sit vnica, 573.
gigni dicitur, 568. morbis laborat, 571. va-
riis doloribus, passionibus, miseris obnoxia,
572. dicitur modificatio essentiae diuinae,
498. materiae tribuitur, 14

Mensurae, quo tempore inuentae, 446

Mercurius quid nascentibus designet, 781

Meretrix obuia quid significet, 746

Metalla varii generis, 400

Metaphysica minus recte intellecta atheis arma
praebet, 313

Μετεμψύχωσις, 254

Meteora quot naturae admiranda nobis exhi-
beant, 396

Methodus discendi duplex, 158.

Metus poenarum, communis de inferis opinio-
nis causa, 560. ineptus & ferudis superstitio-
nis causa maxima, 774.

Milesius

I N D E X

- Milites* superstitionis non expertes, 806
- Milui* artem gubernandi nauem videntur docuisse caudae flexibus, 406
- Miseriae* hominum, an providentiam diuinam tollant, 549. ad regnum coelorum viam parant, 551
- Miseri* honesti improbis feliciores, 555. multi ii non futuri, nisi se miseros esse sibi imaginarentur, 551
- Miracula* in dubium vocata, 120. an edi possint & a quo? 605. a Mose edita, 533. edere solius Dei est, 189. 605. 607. ad demonstrandam christianae religionis veritatem, Numinisque existentiam, faciunt, 268. negantur a Spinoza, 293. 607. naturae stupenda, 441
- Miraculum* quid sit? 289. quid Spinozae significet, 607
- Modificatio* animae tribuitur, 275. 497
- Montanus* Mich. atheismi suspectus, 147. 150
- Montes*, quibus visibus inserviant, 399
- Moralia* praecepta quantae dignitatis, 632
- Moralis* doctrina quatenus ad atheismum ducat, 314
- Morbi* mentis & corporis, 571. varii per verba, signa, characteres curandi, 729

Mores

Mores christianorum statui civili prorsus accommodati, 354

Mortalitas animae, an a Petro Pomponatio asserta, 127

Moses, an pantheista? 8. 199. animam hominis docet esse immortalem, 253. vnde miracula ediderit, 289. imposturae accusatus, 533. an religionem primus instituerit, 534. quis fuerit, 612. pentateuchi auctor, 624. reliquis scriptoribus omnibus antiquior, 626. ab impiorum calumniis vindicatur, 637

Μοχολατρεία Israëlitarum, 608

Motor primus demonstratur, 373

Motus, an in genere materiae sit necessarius, 375. conatus ad motionem, an materiae sit essentialis, 376. attractionis, 486. declinationis atomis tributus, 428. perpendicularis, 231. 485. motus corporum coelestium summam & potentiam & sapientiam demonstrat, 386. eius origo argumentum pro Dei existentia suppeditat, 373. motus aut facultas se mouendi, an a materia aut alio quodam sit principio, 375. spiritus sancti extraordinarius, 602

Mundus, an Salomoni aeternus, n. a Stoicis pro Deo habitus, 15. qualis Aristoteli, 41. quomodo iuxta Epicurum coaluerit, 232.

INDEX

quomodo in Deo contineatur, 175. qualis
a Deo conditus, 542. an aeternus dici pos-
sit, 442. 451. 468. an ex fortuito atomorum
concurſu ortus, 483. 486. eius systema
argumentum pro exiſtentia Dei praebet,
380. an absque Deo possit conſistere, 45.
233. 492

Mubammedani superſtitioſi, 801

Mulberga, locus fatalis, 756

Mulieres ad superſtitionem pronae, 776

Mulier vaticina, quam Saul conſuluit, 581

Munera a ſpiritibus accepta, 578

Muretus M. Anton. epicureismi ſuſpectus, no.
146

Musculus oculorum ſuſpenſorius cui viſui,
403

Musica instrumentalis a prophetis adhibita,
602

Mutatio rei, an in ipſa Dei eſſentia efficere
mutationem poſſit, 523

Mutatio circumſtantiae vel minimae quid va-
leat, 544

Mutationes rerum publicarum ſine ſingulari
Numinis directione non contingunt, 543

Mysteria religionis chriſtianaee rationis captum
ſuperant, 633

Mysterium

Mysticis crucis ab improbis non capitur, 1957

Mystici scriptores, enthusiasmi accusati, 218

N

Naves, cur fursum collocatae, 416. cur binae conditae, 417.

Natiuitas Christi ex astris derivata, 127

Natura in duo principia diuisa, 38. pro Deo habita, 65. quo secundum Spinozam iure gaudeat, 338. secundum Hobbesium, ibid. natura quid secundum Stoicos, 477. in quo consistat, 361. a Deo distinguenda, 606. num aeternum, fixum & immutabilem seruet ordinem? 605. degenerans, 451. quarta quae-
nam, 424. miraculis stupendis plena, 441. res ingratas procul amandauit a sensibus, 417

Naturalismus quid sit, 211. diuersimode accipitur, ibid. cui imputetur, 124

Naturalista quis sit, 182

Naturalistae quousque religionis christianae veritatem admittant, 621

Necessitas absoluta, an cum libertate pugnet, 519. fati Stoici ineluctabilis, 481. ontis per se existentis, 377. aeterna, 606

Necromantia, magiae species, 696-708

Neglectus divinae veritatis quid efficiat, 326
Nexus causarum & effectuum falso creditus,

784

Nihil mouetur a se ipso, 192. potest sui ipse
 esse causa, 376

Nodus sacer, 481

Nomen tetragrammaton, 687

Nomina superstitioni hominum obnoxia, 77.
 quaedam fatalia, 758. sanctorum, liberis
 imposita, 759. eorum impositio, 758. mu-
 tatio, Dei mandato facta, mysterii non ex-
 pers, 759

Notio Dei, an actu omnibus insit hominibus,
 360. 462. Spiritus erronea, 586. vera & ge-
 nuina, 587

Notitia Dei insita quid sit? 316. omnium
 cordibus est inscripta, 338. acquiritur
 vel rudior est, vel accuratior, 372. legis,
 notitiam supponit legislatoris, 362. Dei,
 ex vniuersali gentium consensu colligitur,
 365

Notitiae communes, an tantum in scripturae
 sacrae scrutinio tanquam certae admitten-
 dae, 183

Numa Pomp. religione, seu dominandi in-
 strumento, usus, 367

Nummi aurei coctus delapsi, 733

Nutrices plebsiae superstitionum & opinionum
 ineptarum promotrices, 777

Obiecta

- Obiectum* infinitum cum finito intellectu comparatum, 370. an possit concipi, ibid. deficiente objecto, an sit scientia, 388
- Obsessiones* corporales, 579
- Obsessi*, quorum in nouo testamento fit mentio, 585
- Oceanus*, cur tantum spatium occupet, 394
- Occursus* hominis altero oculo orbati, aut claudi, an diem reddat improsperrum, 746
- Oculi* ceu speculatores locum obtinent altissimum, 416. cur bini conditi, 417. ex oculi structura Dei existencia demonstrata, 419. animalium ab humanis diuersi, 403
- Odium* immane superstitionis, 792. Iudaeorum erga christianos vehemens, 793
- Oldenburgius* Henricus, 296
- Omen* nonnulli ex re qualibet captant, 789
- Omina* superstitionis, 808. apud ethnicos captantur, 740
- Omnipotencia*, empiricius perfectio, 516
- Onirocritica*, 767, 770
- Opera* diuina quomodo aestimanda, 543
- Operationes* animam produunt immortalem, 559. spirituum malignorum, 582. impugnatae, 586
- Ophitae*, haereticorum genus, 680

I N D E X

- Opinio* a parentibus accepta non est causa
metus poenarum infernalium, 561. de Deo,
an a regibus, principibus, ac magistratu in-
troduta, 366. an a parentibus accepta,
530. superstitiosa de Deo, eiusque cul-
tu, pro religione vera non habenda,
792.
- Opiniones* praedicatae, hoc nomine per-
perato christianae religionis scita, traducuntur,
33. 529.
- Oracula* gentilium, quibus tribuenda, 287. Söyl-
lina, 604.
- Orbis* habitabilis, an nimis aliquando angustus
metuendus, 394.
- Ordo* a Deo constitutus observandus, 552. 612.
in summa rerum varietate elegantissimus,
380. 382. 387. ordo vniuersi concinnus, an
casui fortuito tribuendus, 487. eidem re-
pugnat, 488.
- Organa* sensuum miranda, 403.
- Origines* mundi, 442. rerum, 446. philosophiae,
447. mathematicae, 448. imperiorum & regno-
rum, 437. populorum, 449.
- Origo* hominum ad comprobendam Numinis
existentiam facit, 433. animae, 505. 509.
mali morales, 551. 583.
- Orpheus*, graecanae religionis auctor, 17. an
atheismi reus, ibid.

Orphanes

Ostiones, praecipuus artium magicarum magister, 699

Oves sua se utilitate omnibus commendant, 409

P.

Pacta cum spiritibus malignis inire, solidum non minus quam illicitum est, 693. 709

Paederastia carmine laudata, 145

Palladium, Graecorum amuletum, 703

Panteismus, 8. 24

Pantassa quis, 196. quinam hodie dicantur, 165

Papiliones ova arboribus affigentes, sapientiae divinae argumentum praebent, 411. 412

Parmenides, sectae Eleaticae philosophus, 55. 60

Partes corporis humani praecipue nutriendis instructae, 417

Patetolensbitas, haeretici, 679

Pauper cum diuite comparatus, 555. mansuetudo contentus, 356

Pecunia, quo tempore, inuenta, 446

Pyrae ad volandum structurae admirabilis, 406

Peripatetici, haeretici, 679

Perceptio, qualis sit in mente facultas, 316

Perfectio corporis humani admiranda, 416. scientiae divinae infinita, 599

Peripatetici, 729

Persae superstitiosi, 801

Persusio superstitiosa, 785

Pertinacia, superstitionis proprium, 797

Petitio principii, 567

INDEX

- Phaenomena* naturae, quomodo explicanda, 225. 468. 472. 488. 644
- Philosophia* ab abusu vindicatur, 315. vera commendatur, 816. ante septem Graeciae sapientes apud Graecos nulla, 447. studii incrementa, ibid. corpuscularis, an ab atheismo libera & quanti facienda, 226. moralis, 816
- Philosophi* Graecorum, physici, 19. veteres quid de hominum origine statuerint, 439
- Physica* ineauto tractata ad atheismum ducit, 314. superstitionem hominum convincit, 816
- Pii* cur iniquis premi facti videantur, 149
- Pili* cui vsus destinati, 416. pennarum inter se complexi, 406
- Pisces*, quantum specie differant, 390
- Plaga* in spatio infinito, superior, aut inferior, concipi nequit, 485
- Planetae* quantum a stellis distent, 381. an incolis sint vacuae, 382
- Plantae* Numinis existentiam probant, 400. generare sibi similia observantur, 780. quaedam virtute dactylohes fugandi dicuntur praeditae, 729
- Plastica* vis quid & unde? 441
- plato*, Socratis discipulus, 29. a nonnullis male audit, ibid. polytheismi & superstitionis accusatus, ibid. an ab aetheismi suspitione liberandus, 32. qua loco eius placita habenda, 29. quomodo de Deo senserit, 30

Plenitudo

Plenitudo lunae numquid sibi simile in terris
producat, 780

Plinius an atheis annumerandus, 96. 102

Pluralitas membrorum quorundam quid sibi
velit? 417

Plutarchus atheismi accusatus, 90

Pluuia quam late se exerat, 397

Poenae peccatorum temporalis a Sadducaeis cre-
dita, 241. prae actorum post hanc vitam me-
tuenda, 561

Poetae cur theologi apud Graecos dicti, 18. po-
lytheismo sunt patrocinati, 19

Poggium Franc. atheismi reus, 109. 111

Politianus Angelus, atheismi reus, 110. 143

Polytheismus Platoni exprobratus, 29. quinaria
ei fuerint patrocinati, 19

Pomponatius Petrus, atheismi accusatus, 109. 116. ff

Pondera, quo tempore inuenta, 446

Pondus, an atomis tribuendum, 484

Porci a daemonibus correpti, 585

Portenta falsis prophetis tribuuntur, 609. quo
loco Spinozae habeantur, 168

Positus siderum, 601

Potentia Dei absolute spectata, 552. ordinata, ibi.
infinita, 604

Praeadamitica fabula, 305

Praedictiones: futurorum contingentium a soli
Deo tribuendae, 590. 600. an dentur, 592. an
a naturali hominis facultate, aut spiritu crea-
to, proficisci possint, 591

III. 5. Prae-

I N D E X

- Præexistentiæ* animatum, 570
- Præiudicia* unde oriunda, 529
- Praemia* virtutum a Sadduceis erecita, 243
- Praemium* & poena an dentur post hanc vitam, 13
- Praeparatio* ad vaticinandum, 602
- Praescientia* contingentium, 596
- Praestigiae* a miraculis discernendae, 610. diaboli quid valcant, 584. mulieris vaticinae, 581
- Praestigiatore*, 707
- Praesidio* futurorum contingentiam 594. an cum libertate hominis concilianda, 595
- Principes* quo loco aliquando religione fuerint vsi 532. superstitionis non semper expertes, 81
- Princeps* Machiaveli, 133
- Principium* rerum omnium Stoicis materiale, 478
Manichaeorum duplex, 244. Marcionitarum, ib. independens, 156. Spinozae, 504
- Processiones* Pontificiorum solennes, 682
- Processus* in causis efficientibus in infinitum duplici ratione potest concipi, 376. negatur, 374
- Procreatio* sobolis in animalibus mirabilis, 409
- Prodicus*. Ceus, philosophus Epicuraeus, 55. 75
- Propensio* ad veritatem naturalis, 366
- Propensiones* naturales ex corporum praecipue constitutione ortae, 774.
- Propertio* attributorum diuinorum. obseruanda, 555. vacui infiniti ad atomorum quantitatem relata, 485
- Prophetae* an atheis fauant, 40. falsi, an possint facere miracula, 609
- Pro-*

Prophetia pro imaginatione a Spinoza habita,
303. num. merae imaginationis sit effectus,
601. an variet pro ratione temporum,
284

Προφυλακτικά atheismi remedia, 358

Protagoras, philosophus Epicuraeus, atheus,
55. 74 seqq. 545

Providentia diuina ab Epicuro negata, 66. 68. a

Pythagora adstructa, 37. quibus argumentis
impugnetur, 245. ff. 348 eius opera, 95

Psalmus centesimus nonus ad necem inimicis
inferendam adhibitus, 688

Puer mortuus ab Elisa excitatus, 620

Psalmiones cur in auiibus maiores, 405. hominum
suis munimentis instructi, 417

Purgatio per sacram eucharistiam superstitiosa,
690

Pyrrho, scepticus, 33. 37

Pyrrhoniti & academici philosophi comparati,
37

Pyrrhonismus, 216

Pythagoras, atheismi suspectus, 56. superstitionis
accusatus, 58. de Deo quid senserit, 57. 476.

sectae Eleaticae conditor, 56 cur ab essentia
malium suos abstinere voluerit, 689

Pyrrhonici quinam fuerint, 708.

Q

Qualitas an anima sit, 474

Qualis

I N D E X

Qualitates occulcae quid sint, 738. quae quae
 materiae dispositione oriri queant, ib.

R.

Rabelesius Franc. atheismi accusatus, 147. 149

Regna & respublicae vnde ortae, 442. f.

Religio naturalis principis philosophicis funda-
 ta, 182. vnde fluat, 621. gentiliū, errorum-
 que apud eos causae, 182. Sadduceeorum quae-
 nam, 244. Medici, 184. superficialia, 671. Mo-
 saica an rationibus politicis sancita, 533. an a
 Moſe primum instituta, 534. cuius fuerit au-
 thoritatis ib. quis eius scopus, ib. eius veritas
 demonstratur, 627. quatenus est gustus rerum
 diuinarum, cognitionem veram & sufficien-
 tem Numinis praesupponit, 319. a sapientia
 non separanda, ib. an actio sit aut habitus,
 322. an ea Deo seruiamus, ib. ex atheorum
 confessione ad conseruandam rempublicam
 necessaria, 348. an inter commenta politica
 referenda, 53. an aliquo in populo a princi-
 pe aut magistratu primum introducta, 364.
 pro firmitate reipublicae habenda, 368.
 quo loco imperantibus quandoque habeatur,
 532. summorum imperantium arbitrio ex
 mente Hobbesii obnoxia, 188.

Religio Christiana pro atheismo habita, 104. pro
 domi-

- dominandi instrumento perperam venditata,**
 534. in offendiculum vertitur, 527. an a Christo
 primum introducta, 534. quomodo comparata
 535. duplici spectari ratione potest, 621. quae
 nam eius dignitas & excellentia, ib. an my-
 steriorum expers sit, 632. an cuncta ad salu-
 tem necessaria sufficienter pandat, 620. an rei-
 publicae rationibus conueniens, 638. Ro-
 manensium tota fere superficialia, 674. 802
Remedia atheismi & superstitionis, 809. ex scri-
 ptura sacra petenda, 812. atheismi, duplicis
 generis, 358
Remuneratio an detur post hanc vitam, 558
Res humanae, quomodo comparatae, 349.
 creatae, in sua genera & haec in species con-
 cinne distributa, 383
Respublica an omni sublata religione possit con-
 sistere, 348. 351. atheorum reuera nulla, 352
Respublicae, directionis divinae testes, 543
Reuelatio a quo in dubium vocata, 188. num quis
 eius certus esse queat, 183
Ritus ad cultum Numinis externum requiran-
 tur, 681
Romanenses, superstitionis rei, 681. 802
Romani an ante Numam religione omni, noticia
 que Numinis, fuerint destituti, 367
Rosaria quo fine gestentur, 681
Ruggerius Cosmus, atheismi accusatus, 110. 141.
 234.

Rupes

I N D E X

Rupes quibus visibus inferuiant, 399.

S

Sadducei cuius fuerint religionis, 244.

Sagae cum spiritibus malignis commercium habentes, 578. 581.

Salopponendus quid designet, 787.

Salmo an atheis faueat, 10. an fuerit scepticus, 12. iniuria affectus, 611. sapientia excellens, non dono prophético, 285.

Saluari an in quavis religione homo possit, 184.

Samuel a Saulo consultus, 611.

Sapientia Dei summa pro eius prouidentia argumentum praebet, 537. in creationis operibus manifestata, 181. aeterna, quomodo ex Spinozae sententia se manifestaerit, 297. artificis vnde euidenter cognoscatur, 381. a religione non secernenda, 329. eadem & iustitia cum bonitate Dei coniuncta, 554.

Scabies Aegyptiorum, fauilla sparsa excitata, 617.

Scepticismus quid, 114. quotuplex, ib. vincibilis ne an invincibilis, 277. vniuersalis an ab atheismo differat? 214. exploditur, 459. debellatur, 139. 237.

Sceptici erroris conuincuntur, 448. quibus argumentis vrantur, 460. sibi ipsi non constant, 482.

Scholae Ebraeorum, 692.

Scientia diuina infinita ad contradictoria non extendenda, 599. 520.

See-

R E R V M.

- Scotiſtae*, an eorum quaedam hypotheſis ad atheiſmum dueat, 108
- Scriptores* ſacri imbecillitatum quae in alijs ſcriptoribus obſervantur, fuere immunes, 643
- Scriptura* ſacra & diuina eius auctoritas ab atheiſis impugnetur, 302. probatur, 639. ſufficientia, 642. plenius, quam ratio nos inſtruit, 579
- ſectae*, multitudine ad atheiſmum ducunt, 324. fructus doctrinae pro diuerſitate ſua impediunt, 327
- ſecta* Cyrenaica, quo conditore conſtituta, 45. Cynica, 50. Eleatica, atheiſmi rea, 55. vnde duxerit originem, 56
- Seductio* primorum parentum cui tribuenda, 580
- Seneca* an chriſtianus fuerit, 96
- Senſationes* an ipſi ſint materiae, 466
- ſenſus*, interpretes ac nuncii rerum 416. an falli poſſint, 460. 577. vnde in animantibus, 494. niſi rite diſpoſiti, varijs erroribus occaſionem praebent, 726
- ſententia* de Deo, an inter errores referenda, 528. veritas eſt longe maniſeſtiſſima, & cordibus hominum inſcripta, 529. an a ſola educatione orta, 530
- Serpens* ſeductor, 580
- Sidera*, ſeu corpora coeleſtia, exercitus coeli, 384
- ſigna* corpori impreſſa, 578
- Siluae* quibus vſibus inſeruiant, 399.

I N D E X

- Similitudo* rerum an virtutem arguat physica, 780. 784
- Situs* membrorum corporis humani aptissimus, 416
- Societas* ex veris christianis composita, an possit consistere, 354. nulla sine bellis, ib.
- Societates* an ad generis humani conservationem necessariae, 246.
- Sol* quantum distet a tellure nostra, 281. quot vicibus eandem magnitudine superet, 389. idem atque luna eundem finem habent, 387
- Solatium* miseriae, 555
- Somnia* varii generis, 769. quibus causis tribuantur, 771
- Somnus* omnium laborum ac sollicitudinum per-fugium, 791
- Sortes* biblicae 689
- Socrates* quis fuerit, 24. pro atheo habitus, 25, pro christiano, 26. a superstitione alienus, 27
- Sofias*, an atheus, 79
- Species* &c. individuum an inter se differant, 507
- Speculum* ad lucernam intueri, 789
- Spectra* a discipulis Christi credita, 584. an dentur? 279. 584. spirituum comprobant existentiam, 587
- Spectrum* Endoraicum Sauli fata indicans, 581

Spino-

Scotiffae, an eorum quaedam hypothesis ad atheismum ducat, 108

Scriptores sacri imbecillitatum quae in aliis scriptoribus obseruantur, fuere immunes, 643

Scriptura sacra & diuina eius auctoritas ab atheis impugnatur, 302. probatur, 639. sufficientia, 642. plenius, quam ratio nos instruit, 579

Sectae, multitudine ad atheismum ducunt, 324. fructus doctrinae pro diuersitate sua impediunt, 327

Seita Cyrenaica, quo conditore constituta, 45. Cynica, 50. Eleatica, atheismi rea, 55. vnde duxerit originem, 56

Seductio primorum parentum cui tribuenda, 580

Seneca an christianus fuerit, 96

Sensations an ipsi insint materiae, 466

Sensus, interpretes ac nuncii rerum 416. an falli possint, 460. 577. vnde in animantibus, 494. nisi rite dispositi, variis erroribus occasionem praebent, 716

Sententia de Deo, an inter errores referenda, 528. veritas est longe manifestissima, & cordibus hominum inscripta, 529. an a sola educatione orta, 530

Serpens seductor, 580

Sidera, seu corpora coelestia, exercitus coeli, 384

Signa corpori impressa, 578

Siluae quibus vsibus inserviant, 399.

52

I N D E X

- Similitudo* rerum an virtutem arguat physi-
cam, 780. 784
- Situs* membrorum corporis humani aptissimus,
416
- Societas* ex veris christianis composita, an possit
consistere, 354. nulla sine bellis, ib.
- Societates* an ad generis humani conseruatio-
nem necessariae, 246.
- Sol* quantum distet a tellure nostra, 281. quot vi-
cibus eandem magnitudine superet, 389. idem
atque luna eundem finem habent, 387
- Solacium* miseriae, 555
- Somnia* varii generis, 769. quibus causis tribu-
antur, 771
- Somnus* omnium laborum ac sollicitudinum per-
fugium, 791
- Sortes* biblicae 689
- Socrates* quis fuerit, 24. pro atheo habitus, 25,
pro christiano, 26. a superstitione alienus, 27
- Sofias*, an atheus, 79
- Species* & individuum an inter se differant,
507
- Speculum* ad lucernam intueri, 789
- Spectra* a discipulis Christi credita, 584. an den-
tur? 279. 584. spirituum comprobant existen-
tiam, 587
- Spectrum* Endoracum Sauli fata indicans, 581

Spino-

Spinoza, Bened. atheorum nostra aetate princeps, 163

Spinozismus ante Spinozam, 13, 14, 16. refutatus, 496. seqq. idem & Kabbalitarum doctrina quomodo inter se differant, 13

Spiritus infinitus & summe liber an producere hunc mundum potuerit, 161. 545. proprie sic dicti in systemate Spinozae locum non inveniunt, 274. cuiusnam sint naturae, 505. an praeter Deum animamque hominis alii sint, 575. 559. 586. quo pacto in materiam seu corpus agere queant, 586. eorum essentia an in cogitatione consistat, ib. maligni, 691. eorum operationes, 583. animales quomodo ad voluntatis nutum possint determinari, 586. quomodo ad musculos descendant, 417

Statura hominis erecta ab aliis animantibus hominem distinguit, 413

Status hominum in hoc mundo felicissimus, miserimus, 443. duplex, 309. mundi quomodo cum bonitate Dei conciliandus, 538. domesticus ad civilem comparatus, 531. securitatis ad atheismum ducit, 773. servitutis ad superstitionem, ib. nullus hominum superstitionis immunis, 812. politicus, 805. ecclesiasticus, 807. domesticus, 808

Stellae quantum a sole distent & a reliquis planetis, 381

Stella fixa quaelibet solis instar, ib.

I N D E X

- Stilpo*, philosophus Cyrenaeus, atheismi reus, 46. 49
- Stoici*, Zenonis Cittieei sectatores, 51. plerique maximi in vita hypocritae, 54. coarguuntur, 453
- Strato*, Lampiacenus, Theophrasti discipulus, philosophus peripateticus 43. atheismi accusatus, 44. quale eius systema, 233. 492
- Structura* corporum quorumvis admirabilis, 402. si corporis humani in quibusdam cum structura corporum brutorum conuenit, 538. partium singularum animantium quid designet, ib.
- Studia* incaute aut praepostere tractata, ad atheismum ducunt, 310. sobrie tractata multum conferunt ad veram religionem promouendam, 312. historiarum, 447. philosophiae, ib.
- Sceleritia* atheorum, 434. atheismi, 181
- Sublimitas* mentis naturalis, 601
- Succesio* causarum infinita an admitti possit? 377
- Substantia* Spinozae vnica, 170. an detur, 405. ad eam quid requiratur, ib. vniuersi in rebus creatis diuersimode modificata, 275. 497
- incorporea negatur, 192. 261. ex mundo exclusa, 230. an detur immaterialis, 265. 575. infinita an substantiam materiae expertem possit producere, 506. an alia possit ab alia produci, 506. materialis an cogitare queat, 586. an percipere & intelligere, 423. 495

Substan-

Substantiae an dentur incorporeae, 269.
466. 519. an dentur a se inuicem distinctae,
497

Superficies telluris ornamentis variis conspicua,
398

Superstitio quid? 657. unde oriatur, 309. ubi
se exerat, 666. figmentis & commentis
nititur, 667. cum atheismo comparata
aeque noxia, 352. an eo deterior, 790.
an cum improbitate possit consistere, 789.
gradus, 800. proprietates & adiuncta,
797. medela siue remedia, 809. eius
causa, 773. effectus, 788. genera, 662. ad
crudelitatem quandoque homines indu-
cit, 352. Platoni exprobrata, 29. diuinatoria
quam late pateat, 759.

Superstitiosi, unde dicti, 661. saepe etiam sunt
flagitiosissimi, 789. mortalium miserrimi, 791.
rationis dictamen admittere non possunt, 798.
eorum facinora non ipsi semper superstitio-
ni, sed prauis illorum cupiditatibus tribuen-
da, 352.

Superstitiosus Theophrasto delineatus, 748

Sybillina oracula, 604

Symbola Pythagorae in ritus varios ac super-
stitionem versa, 786

Sympathia, quanta eius vis sit, 738

Syncretismus, 184. vniuersalis, ibid.

Systema philosophorum atheismi accusato-
rum, Eleaticum, 226. Aristotelicum,

I N D E X

228. Epicureus, 230. 483. Stratonicum,
 233. 492
Systemata atheorum varia, 161

T

- Tactus* cur in toto corpore aequabiliter fufus,
 416
Talismanicae figurae vi varios effectus mirabiles
 edendi praeditae, 734
Talpa cur oculis pusillis instructae, 404
Tellus nostra summa rerum varietate praedita,
 382. sine sole inculta & inhabitabilis futura,
 388. situs eius quomodo comparatus, 391
Temperamentum naturalium propensio^{um} cau-
 sae, 374
Temperamentum hominis, an quid ad prophe-
 tiam conferat? 284. melancholicum ubi re-
 quitatur, 601
Tempus, an fatalitati obnoxium, 755. a Var-
 -rone in tria interualla distributum, 448
Tentator Christi infernalis genius, 582
Teraphim, statuae memoriales, 734
Terra basis & fundamentum, cui opera Dei
 superstructa, 398. an unquam homines aut
 animantia prodaxerit, 439.
Testes ἀποκταί, 652. testes & testimonia de
 apparitione spirituum, 577. non omnia re-
 uicienda, 578

Testis

Testis idoneus qualis esse debeat, quibus conditionibus instructus, 629

Testimonia Iudaeorum de Mose fide digna, 623

Theodorus philosophus atheismi reus, 46

Θεοπνευσία scripturae sacrae, unde probetur?

640?

Therurgia, magiae species, 706

Tresauri terrae latitantes, 400

Tonitrua an casu contingant fortuito? 397

Triticum, eo nihil est fertilius, 401

V

Vaninus Iul. Caesar, atheismi reus, 109. 120. seqq. 235

Varietas & multitudo rerum conuenire debet magnitudini, in opere cui ratio constare debet, 380. seq. ut rerum omnium, ita vultuum, sermonis & linguarum, 414. vocum & scripturae, ibid. quid praestet, 415

Varro, an inter libere cogitantes referendus, 97

Vaticinia soli Deo, vero & vnico auctori, tribuenda, 590. 645. an naturalem requirant dispositionem, 601. ab atheis non admittuntur, 280. varii sunt generis, 284. an faciant ad Numinis existentiam probandam, 281

Vegetabilia varii generis, 400., admiranda, 404.

INDEX

- Velle* quid Spinozae significet, 429. idem ei et ac, consentire, ibid.
- Veni* variam in vita utilitatem praestant, 396
- Verbum* divinum in superstitionem verum, 786
- Veritas* ob dubium non relicienda, 558. in rebus naturalibus cognita ad revelationem manuducit, 463. ea cognita quid factu opus, 318. in iniustitia detenta magno hominem periculo exponit, ibid. scripturae sacrae, 641. christianae religionis impugnata, 294. eius norma in necessariis unica, 153. unica an tantum sit, 529. a revelatione, item verisimili, possibili & falso distincta, 182
- Veritates* divinae ad hominum salutem comparatae, 315
- Vestimenta* sacra Pontificiorum superstitioni obnoxia, 682
- Vetula* in vestibulo offensa mali omnis, 787
- Vicissitudines* mundi magnae a Stoicis assertae, 457
- Vindicta* priuata a moribus christianorum aliena, 355.
- Virgo* obuia in boni omnis superstitionem versa, 746
- Virtutes* lapidum, herbarum &c. 729

Vis

- V**is plastica, quid & unde? 441
- Vitia & scelera** quomodo ex mente naturalistarum expianda, 183.
- Vita**, plastica animateriae essentialis, 493. sine sole miserrima, 389. plerorumque sacri ordinis virorum doctrinae illorum non respondens, occasionem quandoque atheismo praebet, 324
- Vivere**, nec homines, nec animantia sine sole possunt, 389.
- Vnctio** extrema Pontificiorum supersticiosa, 682
- Vnio** animae & corporis artificissima, 571. moralis voluntatum, 495. diversitatem sensus non tollit, ib.
- Vnitas** rerum omnium atheismi principium, 60
- Vniuersalia** scholasticis quibusdam argumentum atheismi praebuerunt, 33
- Vniuersum** an principium habeat & finem, 61. an casu fortuito exortum, 486
- Vna** natura, vna lex, vna ratio communis, vna veritas, 481. 529
- Vnus** per omnia diffusus, 481
- Voces** ideam Dei exprimentes, an nomina sint nihil significantia, 514
- Volatilia** cur loco pedum anteriorum duabus alis instructa, 464. ventriculo admirabilia, 407
- Volucres** pullis suis cibum adferunt, 411. nidos suos mirifice construunt, 411. quor speciebus differant, 382
- Voluntas** Dei absolute spectata, 551. cur ordinata,

INDEX T E R R V M.

552. immutabilis, 472. hominum quia si pol-
 leat, 431. libertate praedita, 425. facultatem
 se ipsam mouendi Epicurus contra sua princi-
 pia illi tribuit, 492.
- Votum* immortalitatis omnibus innatum, 562
- Vsus* cui cuncta inserviunt, 386. 384
- Utilitas* hominis inter fines creatoris constituta,
 548. an sola ad pacta seruanda sufficiat?
 339. solis, conditoris luenter arguit. Capi-
 entiam, 389
- Vitarii, vel Vtricularii*, haeretici, 679
- Vulpes* naturali calliditate praediti, 409
- Vultus* hominum varietate admirabilis, 414.

Z.

- Zabii* seu Sabaei aa. pantheismi recte accusen-
 tur 2, 14.
- Zeno* Citticus, philosophus Cynicus, Stoicae
 disciplinae conditor, 31.
- Zeno* Eleates, philosophus, 65. 52. 233.
- Zoroaster*, chaldaicae doctrinae auctor, 16. aa
 primus fuerit artis magicae inventor, 697.

F I N I S.



DATE DUE

~~SEP 30 2004~~

~~DEC 03 2005~~

GAYLORD

PRINTED IN U.S.A.

211.
B85 C1

THESE

